ANNALES
ORDINIS CARTUSIENSIS

IMPRIMI POTEST.

FR. ANSELMUS-MARIA, Prior Cartusiæ.
VI Nonas Julii, M. DCCC. XC.

IMPRIMATUR.

† DESIDERATUS-JOSEPH, Episc. Atrebat.,
Atrebat., Idibus Julii, M. DCCC. XC.

ANNALES

ORDINIS CARTUSIENSIS

AB ANNO 1084 AD ANNUM 1429

AUCTORE

D. CAROLO LE COUTEULX

CARTUSIANO

NUNC PRIMUM A MONACHIS EJUSDEM ORDINIS
IN LUCEM EDITI

VOLUMEN SEPTIMUM

MONSTROLII
TYPIS CARTUSIÆ S. MARIÆ DE PRATIS
M DCCC XC

ANNALES

ORDINIS CARTUSIENSIS

SECULUM QUARTUM PROSEQUITUR

JESU CHRISTI ANNUS 1396.

Bonifacii PP. IX	Ordin. Cartus.	Guillelmi II. Pr. Cart.
Ann. 7.	Ann. 313.	Ann. 30.

I. ANNO Christi nonagesimo sexto supra millesimum trecentesimum, Indictione quarta, rebus Ecclesiæ post frustra tentatam Cessionis viam in majori perturbatione versantibus, Patres tum Urbanistæ, tum Clementini, ad arma spiritualia, pro more suo confugientes, quosque sibi subditos cohortantur ut ferventius orent « pro schismatis extirpatione ac celeri unitate et pace S. Matris Ecclesiæ totiusque Christianitatis. » Urbanistæ addunt : « pro incolumitate sanctissimi Patris Bonifacii, » quem propterea in gravem quemdam morbum hoc anno incidisse colligimus. Clementini vero declarant Benedictum beneficia spiritualia et temporalia anno superiori ab eo erogata hoc præsenti renovasse quidem, sed iis solum « qui persisterent in sinceritate fidei, unitate S. R. Ecclesiæ et obedientia ac devotione ipsius Benedicti et successorum ejus

PRECES AB UTRAQUE OBEDIENTIA INDICTÆ :

pro pace Ecclesiæ,

ANNUS 1396

Romanorum Pontificum canonice intrantium. » Nec obliti Regis Franciæ et aliorum Principum ad conciliandam Ecclesiæ pacem laborantium, præcipiunt fieri « tricenarium de Spiritu Sancto pro Domino Rege Franciæ qui præterea misit Capitulo generali centum francos, pro Domina Regina et liberis eorum, ac pro Dominis Delphino et pro Dominis Ducibus de sanguine regio Aurelianensi, Burgundiæ, Bituricensi et Borbonii, eorumque consortibus et liberis. Et ultra singulariter pro bono statu corporali et spirituali personæ dicti Domini Regis, celebrantes dicant unam Missam de Beata Maria, etc. »

pro bellantibus contra Turcas,

Cum vero scirent eumdem Franciæ Regem auxiliares copias in Hungariam contra Turcas misisse, ut et ipsi divinum in Christianos suis precibus auxilium converterent, imperant ut « pro domino Comite Nivernensi, filio illustris Principis domini Ducis Burgundiæ fundatoris Domus Divionis et singularissimi defensoris totius Ordinis nostri, nec non et pro toto suo exercitu qui vadunt contra Infideles, ut Deus et Dominus noster viam et actus illorum dirigat, et inter omnes viæ et vitæ hujus varietates, suo semper auxilio protegat atque defendat, dicatur in qualibet Domo Ordinis nostri una Missa conventualis et solemnis de Spiritu Sancto, et omnes celebrantes dicant singuli unam Missam de SS. Trinitate, in qua pro commemoratione ipsius et suorum dicatur oratio *Prætende, Domine, famulo et famulis tuis dexteram...*, non celebrantes dicant septem Psalmos cum Litania, laici vero 50 *Pater noster* et *Ave Maria.* » Idem quoque præceperunt Urbanistæ « pro Sigismundo rege Ungariæ, et ejus regno gravissime ab Infidelibus impugnato. » Sed Deus Christianorum peccatis lacessitus, illos a Turcis victos teterrimam cladem pati permisit, ipso etiam Comite Nivernensi eorum duce capto et satis diu in vinculis detento, ut ex Charta Majoris Cartusiæ anni sequentis discimus, ubi preces tam pro defunctis, quam pro Comite et aliis captivis sic indicuntur : « Pro domino Comite Nivernensi et cæteris Christianis, qui cum eo captivi ab Infidelibus detinentur, fiat in

et pro iis qui captivi a Paganis detinebantur.

qualibet Domo Ordinis nostri pro eorum liberatione unum tricenarium de Spiritu Sancto. Et pro illis qui in bello et captivitate dictorum Infidelium sunt defuncti, unum tricenarium defunctorum. » Et anno nonagesimo octavo : « Injungitur missa de Spiritu Sancto in Conventu celebranda in qualibet Domo Ordinis pro gratiarum actione liberationis domini Comitis Nivernensis et secum liberatorum. » Nec in hoc nostri Urbanistæ siverunt se superari a Clementinis. Imo quod isti tantum per duos annos, hi per quinquennium præstiterunt his verbis : « Pro cunctis Christianis qui tenentur captivi a Paganis, ut Deus liberet eos de captivitate, fiat tricenarium de Spiritu Sancto, etc. » ANNUS 1396

II. Hoc anno, Henricus Egher, vulgo dictus Calkariensis, post triginta et octo annos, tum in Domorum sibi commissarum regimine, tum in variis Provinciarum Visitationibus cum magno labore transactos, ut tandem sibi soli vacaret, repetendi solitudinis portum licentiam obtinuit. Ab omnibus itaque officiis liber, Domum suæ professionis Coloniensem rediit ut ubi spiritu cœperat, ibi et cursum suum fide servata consummaret, nec altera illum terra tegeret mortuum, quam illa in qua Christo Servatori vitam suam sacris votis consecrarat. Fuerat quidem ab infantia sua cultor B. Virginis Mariæ piissimus, sed ut vitæ residuum religiosæ erga eam venerationi totum impenderet, cœpit eam variis pietatis operibus ardentius revereri : nec diu mater amabilis famulo suo distulit gratias impertiri. Quodam enim die, aperta visione inter suavia illius orationis colloquia, illum docuit quomodo psalterium sibi componeret, dicens « primo *unum Pater noster*, sunt verba chronici cartusiæ Coloniensis, deinde *decem Ave Maria;* et sic consequenter usque ad quindecim *Pater noster* et centum quinquaginta *Ave Maria.* Quam revelationem communicavit uni e Prioribus Ordinis nostri in Anglia ; et exinde per totam quasi Angliam sic divulgatum fuit hoc psalterium, ut pene nullus civis foret ibidem qui non haberet illud, nec cibum gustaret nisi prius illo recitato. » An propter cœlitus editum oraculum noster Calka-

H. CALKAR. B. V. MARIÆ CULTOR PIISSIMUS.

Psalterii B. Mariæ Virginis propagator eximius.

ANNUS 1396

riensis censendus sit autor Rosarii? merito dubitari potest, cum hanc prærogativam sancto Dominico, Prædicatorum Ordinis fundatori, det communis opinio, cui refragari non audemus, licet alii aliis eam tribuant. Haud tamen videtur Calkariensi hujus pii exercitii quod forsan his temporibus obsoleverat deneganda restauratio. Porro Rosarium in citato Coloniensi chronico vocatur *Psalterium B. Mariæ Virginis,* eo quod præter quindecim orationes dominicas, tot constet salutationibus angelicis quot Davidis Psalterium psalmis. Unde et alter usus huic non multum dissimilis jam diu inter Nos receptus est, quo pro psalterio a Monachis persolvendo, centum quinquaginta orationes dominicæ cum totidem salutationibus angelicis fratribus Conversis imponuntur; et id quidem juxta mentem nostri Guigonis qui « pro recenter defuncto trecentas orationes Dominicas » loco monachatus (qui duobus psalteriis Davidicis constat) a Conversis recitari jubet : videlicet centum quinquaginta pro quolibet Psalterio.

Consuetud. cap. 71.

DE QUODAM FRATRE CUI B. MARIA APPARUIT,

Chronicon Cartus. Lib. V. c. 5.

III. Porro quantum gratiæ in quemdam alium Cartusiensem in recitanda salutatione angelica assiduum Beatissima Virgo contulerit hic ideo referendum censeo, quod quo alias acciderit anno non novimus. Hanc vero historiam sic noster Dorlandus recenset : « In Gelria habemus Domum in oppido quod Ruremundam dicimus. Olim illic, sicut ipse legi, habitavit sanctus quidam Frater, qui divam Virginem Dei genitricem ardentissimo venerabatur affectu, et miris eam semper ac sublimibus præconiis attollebat. Salutationem quoque angelicam assidue illi devotus afferens, aures mitissimæ Genitricis suavi modulamine demulcebat. Unde quodam die, cum solus in capella solitas laudes, sed plus solito inflammatus insonaret, et pium benedictionis ejus sacrificium in holocausta transiret perfusus lachrymis, in osculum pulcherrimæ Virginis totus exarsit, his eam vocibus compellans : « O rosa virginum, o philomena cœlorum, o charissima in deliciis suavissime flagrans, quam Deus oris sui osculo est osculatus, tu scis quid maxime cupiam, o mitissima, tu cordis mei vota scrutaris. Præsta nunc mihi, te deprecor, sicut

nosti cor servi atque humilis amatoris tui. » Hæc divino igne calentia vota, ut vidit melliflua Virgo Maria, cujus venæ omnes melle sunt plenæ, non se ultra valuit cohibere, sed in sua imagine ab altari descendens, ac splendenti luce corruscans, Christum filium in altari deposuit, et ad anhelantem famulum benigne descendit. In quem dulcia lumina figens, post complexum misericordissimum, ori ejus osculum suavitatis impressit, quod in ipsas animi medullas insiliens, geminam hujus Dei viri substantiam refocillavit. Dehinc eum his est allocuta sermonibus : « Ego te, fili mi, et tua vota libens accipio. Ex quo enim honorabilis factus es in oculis meis et amorosus, ego dilexi te, et in miseratione tua cum filio meo recolligam te. Mecum regnabis, mecum gaudebis, mecum et semper epulaberis. » Quem et ad manum tenens, attraxit ad Filium qui in altari puer dulcissimus residebat. « Oro te, inquit, mi Vate, qui semper amatoribus meis faves, huic misero servitori meo teipsum præbe benignum, ut et hic tuam gratiam et post tuam gloriam valeat consequi. » Annuit lætus parvulus Salvator precibus Genitricis, et Fratrem in fœderis sui vincula stringens, cœlestem illi beatitudinem repromisit. Hac gloriosa visione Dei famulus magnifice roboratus, semper seipso melior reddebatur. »

ANNUS 1396

et quem confortavit.

Hujusmodi visionum exempla satis frequenter leguntur in vitis Sanctorum. Similia quoque reperies apud Cæsarium in suis Dialogis, et Antonium Senensem in chronico Ordinis Prædicatorum.

Lib. II. c. 12 ad ann. 1240.

IV. Hoc anno Bonifacius Ferrerii, sancti Vincentii frater, die sancto Benedicto sacra, habitum Cartusiensem in Domo Portæ Cœli induit cum ætate esset 41 annorum. Tribus vero post mensibus vota sua Deo reddidit, juxta factam in comitiis hujus anni potestatem quam in Charta sic legimus : « Priori Domus Portæ Cœli conceditur licentia anticipandi professionem Domno Bonifacio Ferrerii, quando sibi et Conventui placuerit. » Licentiam quoque a summo Pontifice Benedicto XIII in eumdem finem obtentam fuisse

BONIFACIUS FERRERIUS FIT CARTUSIANUS.

ANNUS 1396

scribit Joannes Baptista Civera, in Historia hujus Domus, ubi de initiis nostri Bonifacii hæc habet :

Natus in urbe Valentia.

Cap. VI.

« Natus est Bonifacius in insigni nobilissimaque urbe Valentia. Patrem habuit Guillelmum Ferrer, matrem vero Constantiam Michaelem sive Miguel, ambos mediocris status juxta seculum, sed probatæ laudabilisque vitæ. Nam ex facultatibus suis sumptis quæ sibi familiæque suæ necessaria erant, cætera pauperibus erogabant. Nati sunt eis sex filii : Petrus videlicet, noster Bonifacius, sanctus Vincentius, Constantia, Agnes et Francisca. » Duos addit Franciscus Diagus Ordinis S. Dominici in Vita sancti Vincentii anno nono decimi septimi seculi edita. Putat enim Beatum virum in concione quam anno 1411 habuit ad populum, locutum fuisse de patre suo, cum ait « se novisse quemdam civem Valentinum, qui quamprimum uxori suæ adveniebant dolores partus, pergebat ad ecclesiam, et genuflexus rogabat Dominum ut felicem partum ei concederet ; sicque orans perseverabat donec audiret uxorem peperisse. Tunc domum reversus, cum gaudio infantulum præ manibus tenens gratias Deo agebat illumque ei offerebat. Deinde data ei sua benedictione, rogabat ut de cœlo illam Dominus confirmaret. Quapropter octo filii quos habuit ita vixerunt, ut modo jam sint in paradiso Dei, exceptis tribus qui adhuc vivunt, quos similiter spero ituros in cœlum, nam vita illorum bona est et exemplaris. » Hæc Sanctus ; quæ noster Civera juxta mentem Diagi de patre Bonifacii intelligens, dicit ex octo liberis quinque tunc vita functos fuisse, Petrum videlicet, Franciscam, Constantiam et duos a prima ætate ereptos ; tres vero superstites fuisse, sanctum Vincentium, Bonifacium Cartusiensem et Agnetem. At constat ex nostris Chartis Constantiam superfuisse ad annum 1434, quo ejus obitus his verbis denuntiatur : « Obiit Constantia soror quondam Domni Bonifacii Ferrerii, Prioris Cartusiæ. » Hinc igitur merito dubitari potest an verba sancti Vincentii de patre illius accipienda sint. Quidam etiam scripserunt sancti Vincentii ac proinde nostri Bonifacii fratrem fuisse Lupum de Oliveto,

Emm. Roder. I. quæst. Regul. q. III, art. 10.

Ordinis S. Hieronymi, Priorem sive Præpositum Generalem quem Possevinus dicit Regulam sui Ordinis condidisse.

ANNUS 1396

« Natus est igitur noster Bonifacius anno 1355, quemadmodum evidenter demonstrat fr. Franciscus Diago. Et statim a pueritia, curaverunt parentes ejus ut litteras disceret; peractoque artium liberalium cursu, Perusium in Italia se contulit, ut jurisperitiæ studiis operam daret. Ibique Baldum Jurisconsultorum Principem magistrum habuit. Sed occasione cujusdam tumultus popularis in illa civitate moti anno 1373, quando Perusini rebellaverunt contra Ecclesiam et occiderunt multos alienigenos, Bonifacius cum socio per Dei misericordiam periculum evadens, reversus est in Hispaniam, et in Illerdensi Academia studia sua persecutus est donec Doctoris gradum in jure canonico adeptus sit. In patriam veniens cœpit in causis forensibus patrocinando se exercere, summa cum laude et litigantium opinione. » Ita ut, inquit Dorlandus, « statim post vigesimum ætatis suæ annum, utriusque juris consultus et omnium sui temporis spectatissimus haberetur. » Interea parentum voluntate compulsus uxorem duxit dominam Jacobam Dezpont, nobilitate et virtute insignem ex qua habuit quatuor filios et septem filias. « Quatuordecim annis vel circiter vixit in statu matrimonii nedum inculpabiliter sed et laudabiliter, ita ut ab omnibus amaretur et magni æstimaretur; juvabat autem non modicum existimationem istam venerabilis ejus aspectus, optima corporis dispositio et statura, gravitas in actionibus et humanitas in conversatione. Unde factum est ut plura honorifica munera in civitate ei collata fuerint; et inter alia, bis missus fuit ad Regem pro legatione in negotiis summæ confidentiæ, et in comitiis generalibus Montisonis interfuit nomine totius civitatis paulò antequam Religionem ingrederetur. Ac denique bis fuit unus ex sex consulibus patribus quos Juratos vocant quibus singulis annis incumbit utilitati et bono civitatis invigilare. Ejus sententia in concilio tantæ erat autoritatis ut facile illi omnes acquiescerent, scientes ejus rectitudinem et æquitatem in dicendo, ut nec minæ ullæ oppositæ

Jurisprudentiæ dat operam.

Civera, ubi supra.

Chronic. Lib. IV. c. 25.

Uxorem ducit.

Civera, § 2.

ANNUS 1396

vel terrores palam vel occulte incussi a juxto dimovere eum poterant; quemadmodum ipsemet testatur in tractatu quem de magno schismate composuit sicut infra dicemus. » Quanta imprimis polleret prudentia, ipsemet toti civitati Valentiæ exhibuit in defendenda a calumniatorum malitia fratris sui innocentia.

Mundo valedicit.

Civera, § 3.

Dum enim his quæ diximus muneribus et exercitiis liberorumque educationi vacat, moritur ejus uxor, moriuntur et brevi tempore septem filiæ ac duo filii natu majores. His jaculis a Deo jactatus, cœpit vitæ præsentis incertitudinem cum futuræ æternitate comparare, intusque inductus, uni necessario incumbendum esse, Religiosæ cuipiam familiæ nomen dare decrevit. Sed « adhortatus, ut loquitur Rauzanus, a B. Vincentio, Cartusiensem Ordinem elegit, ejusque habitum suscepit in quodam monasterio extra urbem Valentiam, quod ab incolis ibidem vocatur Porta Cœli. » Sed quomodo prius domui suæ disposuerit a nostro Civera audiamus. « Tam salubribus exhortationibus confirmatus Bonifacius in sancto proposito, cœpit domui suæ disponere; vendidit oppidum suum de Alfara pretio plus quam tria millia scutorum, quæ cum reliquis facultatibus suis ita distribuit : pauperibus et piis operibus bonam partem erogavit, partem aliquam monasterio nostro reliquit, in quo sacellum quoddam sub invocatione Sanctæ Crucis construi fecit cum omnibus ornamentis necessariis ad altare; unicuique ex duobus filiis minoribus qui supererant reliquit quinque millia solidos, qui computati ad rationem decem solidorum et sex denariorum pro floreno, juxta computatum illius temporis summam capiunt quadringentorum septuaginta sex florenorum et quatuor denariorum. Hæc autem non sine causa dixi tam specifice; nam F. Justinianus Antist, et F. Franciscus Diago in Vita sancti Vincentii dicunt quod non reliquit nisi centum florenos unicuique filio, et fundantur in verbis sancti Vincentii; nam sermone primo Dominicæ XIII post Trinitatem, ita dicit : Avisentur patres ne damnentur pro filiis. Notate quomodo fecit Domnus Cartusiæ qui solum dimisit

Domui suæ disponit.

centum florenos filiis, quando renuntiavit seculo. Sed veritas quam scripsi manifeste constat ex testamento ipso D. Bonifacii quod penes nos habemus, confecto 19 Junii anno 1396. ANNUS 1396

Cartusiensem habitum induit.

« Dispositis igitur rebus temporalibus et commendatis duobus filiis, nempe Francisco et Joanne, sorori suæ Constantiæ Ferrer ut eos nutriret et educaret, in nomine Domini ad hanc Domum advenit et cum omni humilitate et devotione habitum sanctæ Religionis suscepit, die sancti Benedicti 21 Martii anni 1396, cum ætatis esset tunc quadraginta unius anni. Brevi novitiatum suum peregit in cella quæ dicitur *Aquæ,* eo quod per ipsam aqua intrat in Domum pro sui provisione. Factus Novitius magnum sane humilitatis et submissionis in omnibus suis factis et verbis specimen præbuit. Ita namque corde propensus erat ad infima et humilia exercitia Domus, ut omnibus intuentibus magno esset exemplo, attenta suæ personæ gravitate et eminentia. Quapropter de licentia Domini Papæ et Reverendi Patris Prioris Cartusiæ fuit cum eo dispensatum ut tertio mense a susceptione habitus professionem faceret, die sancti Joannis Baptistæ, 24 Junii. Et statim die sanctæ Mariæ Magdalenæ, 22 mensis Julii proxime sequentis, omnes sacros Ordines recepit in hac Domo de manu Reverendissimi Joannis Formentera, episcopi Sindoniensis. Celebravitque primam Missam submissa voce die Assumptionis Beatæ Mariæ, et die Nativitatis ejusdem Dominæ cantavit eam conventualiter.

Sacerdotio initiatur.

Omnibus omnium virtutum fit exemplar.

« Tales brevi temporis spatio in omnibus exercitiis religiosis fecit progressus, ut cunctis religiosis Fratribus suis esset virtutis et sanctitatis exemplum. In oratione enim prolixa erat assiduus, in altari devotus, in psalmodia fervidus, ad Ordinis labores promptus, et in lectione devota continuus; meditando die ac nocte in lege Domini et in Regula quam professus erat, ut secundum illam, vitam moresque suos componeret ac moderaretur. Et ut ex antiqua traditione habemus, tam assidue in Statutis legendis occupabatur, ut raro e manibus librum ipsum deponeret. Cumque percontaretur cur ita frequens esset in lectione Statutorum? dicebat

ANNUS 1396

Lector Statutorum assiduus.

quia cæteri libri quantumvis optimi nihil aliud utilitatis afferunt quam suadere nobis observantiam eorum ad quæ tenemur ratione status nostri et professionis, hic autem liber digito hoc ipsum demonstrat ; et insuper quia in extremo examine juxta Statuta sumus judicaturi. Unde factum est ut in nonnullis Religionibus præcipitur Religiosis librum suarum Constitutionum memoriæ commendare ac tenere. Ita D. Bonifacius ex frequenti lectione Statutorum tam eximius et consummatus in omni virtute brevi tempore evasit, ut secundo anno professionis suæ, cum habitum Donati suscepisset nobilis ille miles Franciscus Aranda, per Reverendum Patrem Priorem illius magister assignatus fuerit ad instituendum eum.

Procurator instituitur.

« Anno 1398 migravit e vita minimus ejus filius ex duobus superstitibus, nomine Franciscus. Et decima sexta die Augusti noster Bonifacius factus fuit Procurator seu Correrius. Cum enim Prior, Domnus scilicet Franciscus Angresola, non minori humilitate quam prudentia præditus, patrem Bonifacium tantis virtutibus et naturæ dotibus insignitum videret, non solum Procuratorem nominavit, sed et Priorem ac successorem suum a Conventualibus postulandum curavit; » ut suo fusius dicemus loco.

D. LUPUS MARTINEZ MORITUR.

V. E vivis hoc anno sublatus est Lupus Martinez, cartusiæ Scalæ Dei professus, quem ob eximias animi dotes toti Ordini notum Conventuales Villænovæ Avenionensis, pastore orbati, in Priorem anno hujus seculi septuagesimo quarto, mense Junio elegerant. Patres quoque conscripti qui melius viri meritum noverant, in subsequentibus generalibus comitiis, ei jam in Visitatorem Domorum Provinciæ et Aquitaniæ constituto, totam etiam Alemaniam Cartusiensem eodem tempore lustrandam committunt, cum facultate eligendi collegam et eum mutandi quoties sibi videretur faciendum. Reversus a Germania, generalis Ordinis Procurator apud curiam Pontificam delegatur. Et ne tot occupatus negotiis, visitationes Domorum necessario intermittere cogeretur, novam (et hactenus nulli quod sciam concessam)

potestatem habuit munus Visitatoris aliis ad suum arbitrium Prioribus demandandi. « Provincias Aquitaniæ et Provinciæ, sunt verba Chartæ, visitabit Prior Vallis benedictionis cum socio quem duxerit eligendum, quam Visitationem possit aliis Prioribus committere secundum quod ei visum fuerit expedire. » Magna fuit existimatione et fama apud Patres Purpuratos, inter quos Petrus de Monte Ruco, cardinalis Pampilonensis, alter Vallis benedictionis fundator, Martinezium ita carum habebat ut vix eum sineret a se discedere; unde « propter ejusdem Cardinalis reverentiam, » ejus absentiam a Capitulo generali Diffinitores quantumvis inviti, aliquando sustinuerint. Nec viro humili ac solitudinem amanti placebat tam frequens cum Primoribus consuetudo, ad quam honeste declinandam ad regimen Vallisbonæ transferri petiit, ac tandem post non semel repetitas preces ea tantum conditione obtinuit, ne videlicet utriusque provinciæ Visitationem dimitteret. Sed biennio post ita egit ut ad primos Scalæ Dei lares revertendi copiam sibi fieri extorserit. Ibi solitudinis quietem officiorum præponens strepitibus, per aliquot tempus delituit, donec Patres Ordinis tantum virum communi bono natum sic otiari ægre ferentes, ei licet simplici Monacho, præcipua Domorum Cataloniæ negotia commendant; « volentes, inquiunt, quod Priores Cataloniæ pro suis negotiis et dubiis habeant recursum ad Priorem Scalæ Dei et D. Lupum Martinez in dicta Domo residentem, quibus quoad dictas Domos usque ad sequens Capitulum generale committimus vices nostras. » Deinde illius fama ad Castellam usque se diffundente, a Joanne rege selectus est qui Paularitanam plantationem ab eo recens fundatam regeret, ut suo loco vidimus. Tuncque Patres nacta hac occasione, eum novæ Provinciæ sub Cataloniæ nomine institutæ præfecerunt. Denique dum Paularitanam eremum suæ pietatis ac prudentiæ radiis illustrat, hoc anno die 30 Octobris ad æternam quietem rapitur ingenti sui desiderio relicto, donatus per Chartam anni sequentis pleno per totum Ordinem monachatu.

ANNUS 1396

Ex Charta 1376.

Visitator Ordinis celeberrimus.

Ex Charta 1381.

Ex Charta 1390.

Ex Charta 1393.

ANNUS 1396

Rex Aragoniæ moritur.

Ante Lupum obierat Joannes rex Aragoniæ, cujus obitus in Charta anni sequentis his verbis denunciatur : « Anno 1396 die 20 Maii, obiit inclytus Princeps dominus Joannes rex Aragoniæ qui habet per totum Ordinem plenum monachatum cum psalteriis. » Ex quibus verbis argui possunt qui illius obitum revocant ad annum nonagesimum quintum. Porro eum toti Ordini et præsertim nascenti Vallis Christi cartusiæ multa beneficia contulisse alibi vidimus. Cum vero nullam reliquisset virilem prolem, Matthæo comite Fuxensi illius genero a populis expulso, Martinus Joannis frater, Vallis Christi fundator, regni successor proclamatus est.

Spond. ad ann. 1395, n. XI.

Ex aliis partium Clementinorum amicis, obierunt ex Charta Majoris Cartusiæ : « Nicolaus quondam Episcopus Bellicensis. » Ex adverbio « quondam », non absurde posset quis conjicere, eum ante mortem episcopatum abdicasse. « Gaufridus Fabri sacerdos et officialis Gratianopolitanus ; hic ab anno 1388 inter magnos Ordinis benefactores commendabatur, pro quo aliquando missa de Beata Maria, aliquando septem Psalmi indicebantur. Nobilis et potens vir Gilbertus de Crudeliis. Nobilis Catharina de Lusiaco, et Nicolaus de Savigniaco cum Petronilla ejus uxore. » Horum omnium quilibet habet tricenarium defunctorum per totum Ordinem sicut et Jacobus Barrucherii Domorum Calesii et Correriæ benefactor, cujus memoria singulis diebus sive privatim sive conventualiter in Missa apud Correriam habetur.

MARCI PARUTÆ INSIGNIS BENEFACTORIS OBITUS.

Ex Charta 1395.

VI. Ex Urbanistis hi leguntur in eorum Charta : Paulus sacerdos et Rector S. Mauritii de Senis. Angelus de Albeto de Gaietta. Ulricus Zinck, civis Viennensis (ex equestri familia quæ nunc intercidit), cujus uxor Catharina ante sexennium denunciata fuerat. Post eadem comitia singularem fautorem, amicum et benefactorem amiserunt Nostri. Hic est Marcus Paruta, civis Venetus, qui anno 1383 associatus fuit, ut loquuntur Chartæ, tricenario de Spiritu Sancto quod Episcopo Venetiarum concessum fuerat. Et anno nonagesimo idem beneficium obtinuit cum uxore sua. Denique, mortuus hoc anno, ejus obitus in Charta Seizensi anni sequentis his

ANNUS 1396

verbis notatur : « Obiit dominus Marcus, civis Venetiarum, magnus benefactor et fere *Pater* totius Ordinis nostri, nona Septembris, qui habet monachatum cum associatione primi anniversarii prout bene meruit. » Sed in chronico cartusiæ Montellanæ die signatur 21 Junii, quod forsan Anniversarium ejus et parentum illius ad hanc diem in necrologio Domus reperiatur. Multa de eo citati chronici autor, qui eum optime noverat, notatu digna recenset inter quæ hæc habet :

Vocabatur Pater Ordinis.

« Hoc tempore, anno videlicet septuagesimo tertio hujus seculi, surrexit bonæ memoriæ dominus Marcus Paruta, qui habebat uxorem devotissimam. Ambo natione Lucani, honorabilesque inclytæ civitatis Venetiarum cives, magni utique hujus Domus benefactores, ut patuit in introitu præcipue Nicolai Prioris et aliorum. Sed et generaliter quanta fecerit personis Ordinis indifferenter enarrare quis posset ? » Dein postquam narravit quomodo nato schismate, Capitula generalia diversis in Domibus tenebantur, addit : « .... Prædicta igitur causa urgente, non solum singulis annis, sed etiam infra annum personæ Ordinis pergentes ad Priorem Cartusiæ (Johannotum) divertebant honestissime ad domum supradicti domini Marci, quod alacri devotione ad hospitium acceptabat ; et non solum alimenta eisdem magnifice præparabat, sed etiam abscedentibus viaticum solemniter ministrabat. Nonnunquam vero indigentibus personis Ordinis sumptus pecuniales necessarios propinabat. Singulariter autem huic monasterio innumerabilia fecit beneficia. Ipse namque in omnibus necessitatibus quibus reditus monasterii et aliarum personarum incertæ supplere non poterant eleemosynæ, ipse de proprio suaque procuratione supplebat. Aliquando, fame orta in his regionibus, multa Nostris contulit subsidia.... Hujus etiam sumptibus atque procuratione fideli facta est conventualis pulcherrima Biblia. Hic etiam benefactor cum esset dives et plures habuisset filios, sed obiissent, ignorans voluntatem Altissimi, rogare cœpit instantius ut absolute eorum precibus a Domino eidem filium impetrarent. Quid plura ? Annuunt Fratres illius petitionibus, obtulerunt-

Chronic. ms. de Montello. cap. 25.

Domus de Montello fautor eximius.

ANNUS
1396

que Deo singuli orationes flammigeras, quas ipse Dominus non distulit exaudire. Nam illis statim filium præstitit, sed ad tempus. Ipse enim qui cernit futura velut præsentia noverat eorum salutem. Quo tamen filio defuncto, intelligentes (ambo parentes) Altissimi voluntatem, destiterunt amplius petere filium, illius verbi Domini sedulo memorantes Apostolis petentibus sessiones in regno, apologetice inquientis : Nescitis quid petatis. Cœlibemque deducebant vitam, et officium divinum secundum Curiam communiter persolvebant.

Pie moritur suis stipatus Cartusianis.

Eratque domus illorum potius monasterium censenda quam vanitati secularium apta... Joannis de Ferraria Prioris Montelli tempore, præfatus dominus Marcus Paruta perseverans semper, ut cœperat laudabiliter, in præmissis, deveniens ad ultimum diem vitæ suæ legavit monasterio ducatos centum, plenusque bonis operibus inter Fratrum manus, qui tunc secum aderant de Nostris, exutus pœnosæ carnis ergastulo, in pace quievit anno MCCCLXXXXVI, die 11 Junii. Conjux vero ejus, relicto seculo, pene cum tota familia fœminei sexus Ordinem Prædicatorum petiit in monasterio Corporis Christi de Venetiis, factaque Vicaria, renovatum est totum monasterium illud ; ubi fere septuaginta Dominæ vitæ laudabilis serviebant Deo. In quo per aliquot annos, in sanctitate perseverans, quievit in Christo, anno videlicet MCCCCXII, die 18 Julii. Et habuerunt merito anniversarium in hac Domo.

« Et nepos suus qui secularis remanserat, ingressus est Ordinem Prædicatorum, vir acutissimi ingenii, scientiaque non mediocriter decoratus, a Domino Gregorio Papa postea factus est episcopus Emonensis. » Hic vocabatur Thomas Paruta, idem, ut puto, ac Thomas Thomasinus, de quo plura habet Ughellus in *Italia Sacra*. Porro, idem Thomas in testimonio quod de sanctitate Catharinæ Senensis dixit anno 1414, loquens de nostro Stephano Macono, ejusdem beatæ virginis (ut alibi vidimus) familiaritate conjunctissimo, hospitalitatis a patruo suo Nostris exhibitæ sic meminit : « Primo contestor quod cum essem puer secularis in domo meorum,

et propter schisma Ecclesiæ generale Capitulum Cartusiensium celebraretur in Seiz in partibus Sclavoniæ, Priores dicti Ordinis ad Capitulum accedentes et per Venetias transeuntes, cum hic monasterium non haberent, in domo nostra in accessu et regressu morabantur ex speciali devotione qua patronus domus (Marcus videlicet) afficiebatur ad illos. »

ANNUS 1396

Process. Canonisation. S. Catharinæ Senens. cap. I.

ECCLESIA DOMUS DE MONTELLO CONSECRATUR.

VII. Aliquot ante Marci obitum mensibus ecclesia et sacella præfatæ cartusiæ de Montello, ab Angelo Corario ad summum Pontificatum post Innocentium VII assumpto, tunc vero Patriarcha Constantinopolitano, dicata sunt. De quorum consecratione autor præfati chronici sic loquitur : « Tempore præfati Prioris (Joannis de Ferraria) Reverendissimus in Christo Pater et Dominus, dominus Angelus Corario, Dei gratia Constantinopolitanæ sedis dignissimus patriarcha, qui ante fuerat episcopus Castellanus, et demum factus presbyter Cardinalis, ad ultimum assumptus est feliciter ad Papatum post Innocentium, hic visitavit locum devotione præcipua ductus, una cum Reverendo in Christo Patre domino, Angelo Barrigo episcopo.... qui postea factus episcopus Veronensis, postremo factus est Cardinalis ; item cum venerabili Patre domino Antonio David, honestissimo sacerdote qui postea factus est episcopus Fani, aliisque honestissimis clericis. Placuitque sinceræ devotioni suæ cimiterium cum galileis seu porticibus, et ecclesiam cum quatuor capellis devotissime consecrare. Sicque autore Domino clarissime perfecerunt, præsentibus magnificis viris dominis Schinella et Rulando comitibus Tarvisinis, dominisque Colalti et castri S. Salvatoris, necnon domino Potestate Tarvisii et aliis multis clarissimis personis utriusque sexus. »

Cap. XVI.

PAPIENSIS CARTUSIA FUNDATUR.

VIII. Hoc eodem anno Joannes Galeatius, dux Mediolani, Ticini cum ageret, prolati imperii gloria ac dignitate plenus (quippe qui anno proxime elapso a Wenceslao Cæsare opulentissimæ Mediolanensis urbis et universæ ejus ditionis primus suæ gentis nomen Ducis pariter ac potestatem aucupatus fuerat), conceptum ab annis octo construendi monasterii nostri Ordinis consilium cœpit effectum dare. Ergo in arce

Vita Steph. Maconi. Lib. II. c. 14.

ANNUS 1396

quæ portam ad mœnia respicit S. Petri, ubi tunc degebat, coram pluribus Episcopis et Magnatibus declaravit se ad divini Numinis gloriam et ad suam in Dei Matrem testandam observantiam, postremo pro sua suorumque parentum salute, constituisse novam cartusiam in Villanova prope Ticinum excitare sub nomine ac titulo B. Virginis Mariæ de Gratia. Ad quam dotandam ampla assignavit latifundia, quorum largitionem ut rata firmaque esset, in publicas referendam jussit tabulas sequentis tenoris :

Fundationis tabulæ.

Apud Molin. p. 690.

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, ad honorem beatæ et gloriosissimæ semper Virginis matris Mariæ ac totius Curiæ cœlestis, amen ; et ad salutem animarum illustrissimi Principis ac magnifici et excelsi D.D. Joannis Galeaz ducis Mediolani et comitis Virtutum, ejusque liberorum quorumcumque tam præteritorum quam procreandorum, omniumque aliorum suorum agnatorum et cognatorum, tam vivorum quam mortuorum. Cum prælibatus illustrissimus Princeps ac excellentissimus D. D. Joannes Galeaz, dux Mediolani, etc., afflatus Spiritu divino proposuerit fabricari facere et levari unum monasterium Cartusiensium, sive Domum unam Cartusiensem, cum ecclesia una sub vocabulo Virginis *Mariæ de Gratia,* in quo quidem monasterio vult quod residere debeant unus Prior et Monachi viginti quatuor; et ipsum monasterium sive Domum de tot possessionibus dotare, quæ sint annui reditus florenorum duorum millium quingentorum auri, obtinuitque licentiam a summo Pontifice faciendi et ædificandi monasterium ipsum sive Domum et ecclesiam, ac ipsum uti ipsam juxta ipsius propositum dotandi, et locum unum elegerit in territorio Turris de Manghano campaneæ Papiæ, super quo monasterium ipsum sive Domum et ecclesiam fabricari et ædificari facere mandavit ; cui quidem loco cohæret ab una parte strata, ab alia Rolandus dictus Arbezanus, et ab alia hæredes Antonini de Landulphis, et ab alia Joannes Birtaminus de Azolellis de loco Villænovæ ; velitque ipsum locum electum necnon monasterium seu Domum et ecclesiam supra

Domus sub titulo B. Mariæ de Gratia.

ANNUS 1396

ipsum ædificandam dotare secundum ejus justam intentionem : propterea pro dote et ex causa dotis ejusdem monasterii seu Domus et ecclesiæ, memoratus D. Joannes Galeaz omnibus meliori jure, via, modo, causa et forma quibus melius potuit et potest, et cum interventu omnium solemnitatum tam juris quam facti, quæ in talibus et similibus tam de jure quam de consuetudine requiruntur, sponte et de certa scientia, de animo quieto et deliberato ; pro dote et ex causa dotis dicti monasterii seu Domus et ecclesiæ, ad præsens et inter vivos fecit et facit puram, meram, simplicem et irrevocabilem donationem mihi Catellano de Christianis notario publico et scribæ Domini antelati, tanquam publicæ personæ recipienti et stipulanti nomine et vice, et partem et utilitatem prædictorum loci, monasterii vel Domus et ecclesiæ, Prioris et Monachorum in ipso instituendorum, deputandorum et eligendorum ac successorum suorum quorumcumque, et per me Notarium, ipsis, loco, monasterio, Domui et ecclesiæ, Priori seu Prioribus et Monachis ipsius monasterii, et in ipso instituendis, deputandis et eligendis, de infra scriptis bonis, proprietatibus et possessionibus quæ sunt annui reditus florenorum duorum millium quingentorum ; .... Et pro dote ipsius monasterii sive Domus assignavit ipse et assignat perpetuo locum et bona Carpiani, Vinoschi, Mazentæ, cum prædiis, salvis aliis confinibus. Quæ quidem superius donata prædictus Dominus constituit... quod de cætero prædicti Prior seu Priores, et Monachi ibi per præfatum Dominum Ducem deputandi et eligendi, eorumque legitime successores habeant, teneant, gaudeant, possideant et quasi prædicta bona superius donata, et in dotem assignata, simul cum accessibus, ingressibus, egressibus et regressibus, et cum omnibus juribus, causis, pertinentiis, cum limitatione prædicta ipsis spectantibus et pertinentibus; fructus ex ipsis bonis et proprietatibus pro victu et vestiariis Prioris et Monachorum et aliis utilibus ad ipsum monasterium percipiant, sine prælibati Domini hæredumque suorum contradictione, sed cum ejus legitima defensione ab omni

Dos assignatur,

pro victu et vestiariis Monachorum,

ANNUS 1396

persona ecclesiastica, collegio, Communi et Universitate, de jure. Præterea prælibatus Dominus vult, disponit et mandat quod ex ipsis denariis expendantur in fabricatione dicti monasterii et ecclesiæ fabricandæ et ædificandæ sub vocabulo beatæ Virginis de Gratia floreni decem millia omni anno, quousque Prior seu Priores cum duodecim Monachis in monasterio ipso residere possint. Qui Prior et duodecim Monachi habeant et percipiant pro victu eorum et vestiariis et aliis sibi necessariis et utilibus ad ipsum monasterium florenos mille ducentos quinquaginta ex reditibus prædictarum possessionum superius donatarum et in dotem assignatarum, et quod alii mille ducenti quinquaginta floreni reddituum prædictarum possessionum cum florenis decem millibus annuatim ex bonis prædicti Domini percipiendis, usque ad perfectam fabricationem et constructionem dicti monasterii et ecclesiæ singulo anno expendantur in ipsius monasterii et ecclesiæ fabricatione. Quibus perfectis, totalis reditus prædictorum florenorum duorum millium quingentorum remaneat Prioribus ac Monachis. Ulterius prædictus Dominus vult, disponit et mandat quod annuatim ex bonis prædicti Domini, secundum continentiam sui testamenti per executores in ejus testamento ad hoc deputatos, decem millia floreni dispensentur ; quam quidem donationem et dotis institutionem et quæ omnia et singula supra scripta et infra scripta prædictus Dominus promisit et convenit, mihi Notario, tanquam publicæ personæ recipienti et solemniter stipulanti nomine et vice prædictorum loci et monasterii, Prioris seu Priorum, Monachorum et omnium et singularum personarum quarum aliqualiter intererit seu interesse poterit, in futurum et cunctis temporibus, ratam, gratam, firmam et stabilem, rata, grata, firma et stabilia habere et tenere, et supra et infra attendere et observare, et non contra facere, dicere seu venire, aliqua ratione, occasione vel causa, de jure vel de facto, sub refectione damnorum interesse, et expensarum litis, extra, et sub obligatione bonorum omnium Domini prælibati.... Actum anno a Nativitate Domini 1396,

et fabricatione monasterii.

Indictione quarta, die quinta decima mensis Aprilis, hora mane, in civitate Papiæ, in castro prælibati Domini sito in porta sancti Petri ad murum, in parochia S. Mariæ, in proticha (videlicet in camera) deintus depicta, respiciente versus portam S. Mariæ prætactæ ; præsentibus Reverendissimis in Christo Patribus : D. fratre Guillelmo de Centuariis, episcopo Papiensi et comite; domino fratre Petro de Candia episcopo Novariensi*; domino fratre Uberto episcopo Feltrensi et Lunensi ; domino Joanne de Castellione episcopo Vicentino ; necnon spectabili domino Francisco de Barbavariis, camerario ; egregio viro domino Henrico de Caresana, magistro intratarum extraordinariarum præfati Comitis, inde testibus. »

ANNUS 1396

* Postea Alexand. V.

Dein, pergit Vita B. Stephani Maconi, « advocato frequentissimo Procerum comitatu, pulcherrimo adstante choro sapientum e Ticinensi maxime Academia, VI Calendas Septembris qui dies Dominicus fuit ejusdem anni 1396, Dux trabeatus ad locum se contulit vulgo Turrim Mangani nuncupatum, quem lata in area descripserat monasterio basilicæque condendæ, non longius ab ipsa urbe Ticino quam quinque passuum millia. Hic præter Curiæ lumina, veneranda sacrataque adstante Episcoporum corona, atque in temporaria quam maximo festo apparatu excitata ara, Ticinensi litante Pontifice, Dux primus omnium ad fundamenta novæ basilicæ jacienda primum rite sacratum lapidem in recentis operis ædificationem conjecit. Deinde secundum ejus ex justo thoro natu maximus filius Joannes-Maria etiam tum puer gestavit anxius, fuditque alacrior ; tum tertium alter ejus ex filiis natu major nothusque Gabriel tulit venerabundus ac deposuit ; quartum postremumque vir nobilis Franciscus Barbavarius in decretam scrobem jecit. Qui Principes quidem viri tot tantisque religionis ac pii gaudii, illustrem hanc cæremoniam pompamque duxerunt argumentis, ut præ interiori animi sensu mentisque dulcedine pias ex oculis adstantis frequentiæ excusserint lacrymas. Universi in hoc intenti, ut scilicet ad Dei cultum, ac pietatem adversum magnam Dei Matrem, quam auspi-

Lib. II. c. XV.

Primus lapis novæ Domus ponitur.

ANNUS 1396

cem ædisque patronam Dux adsciverat illustrandam, votis quam ardentissimis exorarent, ut rei bene feliciterque gerendæ sua adesset aura. Quibus ita constitutis, Dux, Ravennati * ac Stephano ** (qui Ordinis nomine castissimæ cæremoniæ officiosi adfuere) advocatis pollicitus est benigne conceptis verbis, se nunquam defuturum quo piis et suis et Ordinis optatis cumulare respondeat. Dein quatuor industriis viris et honoratis totius ædificationis cura demandata, ut sua autoritate ac præsentia opus urgerent, Ticinum inde se recepit. Cæteri vero omnes ibi sumpserunt lautum prandium in loco cortinis ornato. »

* V. P. Domnus Bartholomæus.
** Maconi.

Fundator precibus Ordinis commendatur.

Loco supra-cit.

His ita confectis, asserit autor Vitæ Stephani Maconi, Ducis mentem fuisse atque consilium hanc suam fundationem a Gallis Patribus probari : idque in generali Conventu insequentis anni a Guillelmo, Majoris Cartusiæ Priore, cæterisque Diffinitoribus præstitum fuisse, et ab eisdem facultatem D. Bartholomæo Ravennati cartusiæ Gorgonæ Priori factam fuisse accipiendi, inque Ordinis corpus cooptandi magnificam illam structuram quam Dux munificentissimus erat aggressus. At eum hujusmodi approbationem a Patribus Urbanistis petiisse et obtinuisse probabilius est, quando quidem in Charta Capituli generalis Seizensis ejusdem anni ipse Dux his verbis commendatur : « Pro illustri Principe domino Duce Mediolani, qui jam cœpit ædificare Domum nobilem Ordinis, et est multum favorabilis Ordini. » Quæ quidem posthac singulis annis, quamdiu vixit, repetita sunt, nulla in Chartis Patrum Clementinorum ejusdem Principis sive illius fundationis, nisi post illius obitum, facta mentione. Jam antea, anno videlicet nonagesimo, aliquid præfati sumus de hujus Domus origine, quam noster Molinus altiorem antiquioremque assignat, dum scribit tres Principes, Sabaudiæ videlicet, Burgundiæ et Mediolani simul congregatos inter se statuisse ut quilibet eorum unam in suo Statu cartusiam extrueret quorum una foret fortior, altera pulchrior, tertia ditior : Amedeum vero Sabaudiæ ducem fortioris constructionem suscepisse cum moriens suo testamento

ANNUS
1396

cavit ut in arce Petræ-castri erigeretur ; Philippum Audacem pulchriorem quidem eodem tempore inchoasse, sed Joannem Galeatium ditiorem aggressum fuisse, quæ etiam successu temporis, pulchrior evasit. Quanta vero sit hujus Domus ædificiorum ac maxime templi illius magnificentia apud varios autores legere est, inter quos sunt Hartmannus Schedelius qui eam vocat « superbissimum monasterium toto Orbe celeberrimum ». Paria scribunt Bergomensis et Nauclerus. Ejus quoque initia et laudes satis fuse describuntur a Stephano Winando Pighio qui fatetur sumptuosam illam constructionem « a prima fronte ingredientibus Religionem incutere, et introgressos majestate quadam augusta suspensos tenere. » Hujus structuræ altitudinem et elegantiam suspiciens Bernardus Saccus, « rogito, inquit, cujus hæc mirifica statio erit, Principisne, an summi alicujus Antistitis ? Responsum fuit solius Dei, cujus honori quicquid hic cernis dicatum est... Viri autem Religiosi in ea degentes, sacris incumbunt studiis, ac parentum opibus honoribusque rejectis, in solitudine vitam agunt. » Ampliorem quoque de splendida illius cartusiæ fabrica Villamontius Gallus, in suis Peregrinationibus vernacule scriptis, attexens narrationem, dicit opus esse adeo exquisita arte extructum, ut non immerito per totum Orbem Christianum celebretur tanquam quod alia monasteria pulchritudine superet. Sed omnium autorum verba et eloquentiam noster Bartholomæus Scala supergreditur in descriptione hujus monasterii, cujus originem et progressus, totamque illius structuram sublimem et augustam, variasque Nostrorum modo inter opulentiam, modo inter penuriam fortunas stylo æque festivo ac copioso depingit. At ne quis ex tam luculenta ædificatione ac mirabili ornatu offensionem animo concipiat, quid de hujusmodi magnificentiis noster Ordo sentiat ex Sutore operæ pretium est edisserere : « Dicimus, inquit, Ordinem ipsum Cartusianum hujusmodi curiosa graviter reprehendere, admonereque solere ut ea, si fieri citra scandalum possit, radantur atque tollantur. Est, fateor, quædam Domus in Lombardia nuper extructa,

Omnium Domorum Ordinis pulchrior Domus Papiensis,

Chron., sub Wenceslao.

Ad ann. 1382 in Supplem. Lib. IV.

Ticinens. Histor. Lib. V. c. 4.

Lib. III. c. 23.

Lib. II, c. 14; Lib. III, c. 2 et seqq.

Quid de tali magnificentia sentiat Ordo noster.

ANNUS 1396

De Vita Cartusiana. Lib. II, tract. III, cap. 9.

quæ ita magnifica est tantumque a Cartusiana humilitate abhorret, ut demirati sint frequenter Ordinis Patres quo pacto ea sit aliquando ab Ordine admissa. Verum ad fugiendam Principum indignationem (quæ facile concitari posset, si eis pias Domos sumptuose extruere volentibus quisquam adversaretur) interdum de vitæ asperitate ac rusticitate quidquam remittendum est. » Nec certe in his soli lapides insensibiles suspiciendi sunt, sed fundatorum pia mens imprimis attendenda, qua juge Deo de propria sua substantia offerre holocaustum volunt. Porro, de munificentissimo Fundatore et illius successoribus alibi dicemus.

Benefactores Domus.

Ex amicis et benefactoribus hujus Domus hi tantum occurrunt in nostris Chartis : Egregius dominus Jacobus de Malunbris, cancellarius Ducis Mediolani, ex Charta 1476. Nobilis Dominicus de Montene anno 1480. Dominus Jacobus Gallus anno 1576. Magnificus Baptista Vicecomes dicitur benefactor hujus Domus et Mediolanensis in Charta 1578. Videtur hic esse qui anno 1500 cum aliis Nobilibus in Regis Francorum potestatem traditus, rebellionis criminis veniam obtinuit. Hyppolitus Rubeus, cardinalis episcopus Papiensis, conservator illius Domus dicitur in Charta 1593, ubi signatur mortuus cum tricenario singulari, licet jam ante biennium obiisset. Magnificus et egregius vir Hieronimus Moresius, advocatus hujus Domus, habuit Anniversarium per totum Ordinem sub die 27 Septembris ex Charta 1593. Illustrissimus Bartholomæus Brugnollus, præses excellentissimi Senatus Mediolanensis, præcipuus fautor et amicus Ordinis, maxime Domus Papiæ, qui obiit die 3 * Septembris; habuit Anniversarii beneficium per Chartam 1604. Honestus vir Gasparus Cribellus, qui 37 annis Domui Papiæ inservivit in officio Cancellarii * et obiit die 15 Februarii ex Charta 1608. Nobilis Joannes Petrus Cribellus, habens missam de Beata Maria per totum Ordinem ex Charta 1623. Perillustris Franciscus Raynoldus Mediolanensis, dicitur amicus et fautor in Charta 1613; forsan filius Joannis Baptistæ præsidis Mediolanensis, cujus etiam obitus habetur in Charta 1588.

Al. 23.

* Notarii.

ANNUS 1396

FUNDATIO DOMUS ORDINIS APUD GOTHOS.

J. Loccenius, Histor. Suec. Lib. IV.

IX. In comitiis Patrum Urbanistarum hoc anno, præter hanc Papiensem cartusiam, de duabus aliis recipiendis actum est. Una erigenda apud Gothos, altera apud Francofurtum ad Oderam. Priorem fundare tentavit Ericus Gothorum rex, dux Pomeraniæ, et Wratislai cartusiæ Coronæ Mariæ fundatoris filius. Hic in Regem hoc ipso anno electus, cum a pietate regnum inire vellet, licet nondum coronatus, Cartusienses in hac regione nondum visos, (quibus forsan antequam e Pomerania discederet mentem aperuerat suam) ad se accersivit, eis se monasterium in Gothia vel in Suecia construere velle significans. Nec mora Capitulum generale Seizense, cognita Regis benevolentia, Joanni Priori cartusiæ Stetinensis (quam et Majores Erici fundaverant) per Chartam hujus anni mandatum dat ut ipse et Prior Dantiscanus, « quam citius commode potuerint accedant ad dominum Regem Gothorum, et illos cives (nempe Francofurtenses) qui scripserunt pro novis fundationibus. Et in casu quo vellent dictas fundationes realiter inchoare et perficere, atque assignare dotes pro sustentatione tredecim Monachorum et aliarum personarum Ordinis, hoc studeant quam citius poterunt Domno Cartusiæ significare, qui de Rectore et aliis personis necessariis, prout fuerit opportunum poterit ordinare. » Anno sequenti cum idem Rex instantius peteret Monachos sibi mitti, totum negotium præfato Priori Stetinensi per Chartam demandatum est : « Committentes ei, inquiunt Diffinitores, ut pro nova fundatione Regis Gothorum, possit mittere unum Conversum discretum et prudentem qui ei ostendat modum et formam novæ Domus ædificandæ. Committentes eidem Priori ut circa dictam fundationem adhibeat diligentiam et curam, ne ex principio indiscreto oriri possint aliqua scandala in futurum. » At postea nulla hujusmodi fundationis facta est mentio. Utrum vero Conversus missus fuerit et Domus inchoata hactenus incompertum manet. Vero tamen simile est rem hanc ulteriorem non habuisse progressum, eam forte ob causam quod Ericus adepta Suecogothica corona sæpius in Dania moraretur,

sed in vanum, ut videtur.

ANNUS
1396

J. Magnus Hist. Gothor. Lib. XXII, c. 1 et 16.

Eric. Olaus. Histor. Suec. Lib. V.

CARTUSIA PROPE FRANCOFURTUM AD ODERAM INCHOATUR.

cum Margareta regina, sua matertera, post cujus fata Norwegiam Daniamque potestati subjecit suæ ; nisi quis dicat eum a suo bono proposito statim discessisse. Nec certe mirum, cum Sueticæ Historiæ tradunt eum Cleri acerrimum hostem evasisse atque inexorabilem persecutorem, parumque recte de Christiana fide sensisse ; quæ tamen videntur dicta quod Pontificis Avenionensis partes aliquando sit secutus.

X. Altera Domus hoc etiam anno felicioribus auspiciis inchoatur sub titulo *Exaltationis B. Mariæ,* quo postea mutato, vocata est *Domus misericordiæ Dei* prope Francofurtum ad Oderam, in diœcesi Brandeburgensi, a Communitate ejusdem urbis erecta, prope quam, inquit Wolfgangus Jopstus, rivulus ex colle vitifero promanat, in quem quidquid cadit in lapidem converti compertum est. De ea simul cum Gothica fundatione per Chartam Seizensem dispositum fuisse jam superius vidimus. Cives enim quorum meminit Charta alii non sunt quam Francofurtenses, ad quorum petitionem Rector novæ plantationis per Chartam anni sequentis his verbis institutus est : « Ad instantiam et humiles preces Proconsulum et aliorum civium civitatis Francofurtensis, qui jam secundo supplicarunt Capitulo generali pro nova fundatione, præsumentes et confidentes de eorum promissione, ac etiam pro consolatione eorum, præficimus in Rectorem dictæ novæ fundationis Domnum Jacobini Vicarium Domus Stetinensis ; concedentes eidem Rectori quod possit vocare secum duos Monachos et unum Conversum, de voluntate eorum tamen, cum beneficio tricenarii si in eodem loco perseveraverint. Injungentes eidem Rectori ut in omnibus et singulis quæ spectant et quæ spectare poterunt ad dictam novam fundationem, recursum habeat ad Priorem Stetinensem, de cujus consilio in nova fundatione procedat ; committentes eidem Priori in omnibus quæ ad dictam fundationem pertinent vel pertinere poterunt, nostram plenariam potestatem usque ad sequens Capitulum generale. » Denique octo post illius initia annis, eam Patres corpori Ordinis adscripsere hoc decreto : « Rectori novæ plantationis prope Francofur-

tum non fit misericordia, sed committimus futuris Visitatoribus, quod si viderint sibi et Domui expedire possint sibi illam facere ; et ad instantiam quamplurium supplicantium et bonam relationem quam percepimus de prosperitate dictæ novæ plantationis, ipsam Domum autoritate Capituli generalis Ordinis nostri, omni via, modo et jure quibus melius possumus, incorporamus ; et ipsum Rectorem præficimus in Priorem dictæ Domus. Et ordinamus quod dicta Domus intituletur Domus Misericordiæ Dei. Et super Nicolao seniore de quo literas accepimus, confirmamus ordinationem Visitatorum. »

ANNUS 1396

Incorporationis Decretum.

Fundatores Domus,

Ex Francofurtensibus civibus, duo tantum in nostris Chartis reperiuntur quibus nomen fundatoris tribuitur. Unus ad annum nonagesimum nonum sic signatur : « Obiit dominus Frisler Boccow, fundator Domus Exaltationis Mariæ prope Frankfurdium habens tricenarium. » Anno vero sequenti legitur : « Dominus Friez (Fridericus) Belliko civis de Frankfurd, fundator novæ plantationis ibidem. » Num vero idem sit qui bis denuntietur, ut sæpe factum experti sumus ? non plane asserere audemus. In quodam codice e Domo Coloniensi ad nos misso, fundator hujus Domus vocatur Fredericus a Lekow sive Fritzo Belkow. In Charta anni 1403, inter obitus recensetur Fundatrix hujus Domus, sed tacito nomine. Alii quoque cives benefactoris titulo in nostris Chartis decorantur, inter quos sunt Conradus Huppener, ex Charta 1415 ; Georgius Berhensede, plebanus in Wibessen ; Andreas Hornunck, qui habuit missam de B. Maria* ; Simon Teutzman sacerdos, altarista in eadem civitate, qui etiam beneficio missæ B. M. Virginis donatus est per Chartam anni 1525 et sequentis. Hos constat fuisse cives Francofordiæ ad Oderam ac benefactores hujus Domus. Sed alios inveni quos non possum asserere an Francofordiæ super Oderam vel super Mœnum nati sint ; scilicet Joannes de Franckfordia, canonicus Ecclesiæ Voesalensis, ex Charta 1454 ; Joannes Bussen sacerdos, anno 1459, et Stephanus Schunt ex Charta anni 1475.

* Ex Charta 1524.

ANNUS 1396

et Benefactores.

Sed inter speciales hujus Domus benefactores et amicos, merito annumerandi sunt : Theodoricus a Bulow episcopus Lebusiæ, quæ est civitas uno tantum milliari Franckfordiæ distans, quam Hæretici post mortem Theodorici occuparunt. Habuit ille plenum monachatum in Provincia Saxoniæ sub die obitus sui qui fuit prima Octobris anno 1523, ex Charta anni sequentis. Conradus a Lintorff, episcopus Havelburgensis, qui habuit Anniversarium per totum Ordinem, sub die 3 Junii, ex Chartis anni 1462 et 1465; sed eum obiisse anno sexagesimo scribit Continuator Krantzii. Hanc hodie Ecclesiam gubernat lutheranus Episcopus. Huic etiam Domui et toti Ordini faverunt Joannes marchio Brandeburgensis, Friderici primi Electoris filius, cujus obitus positus fuit in Charta anni 1465, cum obiisset præcedenti, die 16 Novembris. Fridericus, ejusdem Joannis frater minor natu sed ejus spontanea cessione Electoratus successor, huic Domui et Basileensi multa bona contulit. Ejus obitus denuntiatur in Charta 1472, ubi tantum dicitur Marchio, non Elector, nam longe ante mortem in Terram sanctam profectus septemvirali dignitate Alberto fratri cesserat. Quomodo vero eorum successoribus Lutheranismum amplexantibus Nostri Franckfordia expulsi sint, suo dicemus loco.

Æneas Sylvius, in Europ. c. 93.

INITIA CARTUSIÆ DE OYRON PROPE THOUARS.

XI. Quartam hic annus cartusiam oriri vidit in Galliis, in provincia et diœcesi Pictaviensi, castro de Oyron adjunctam, una tantum leuca francica ab urbe Duracio sive Thoarcio dissitam, unde vulgo in nostris Chartis dicitur « Domus de Oyron prope Thoarcium. » Eam sub auspiciis Guillelmi de Mota in primum Rectorem instituti (qui et postea totius Ordinis Generalis electus est) adorta fuerat Petronilla Thoarcii vicecomitissa, Ludovici filia, quæ morte præventa, fundationem non potuit perficere. Ejus obitus cum beneficio tricenarii legitur in Charta Majoris Cartusiæ anno 1398, in qua et signatur mortuus Thomas, post prædictum Guillelmum de Mota ejusdem plantationis Rector. Vicecomites Thoarci genus duxisse ab Eblesio I, duce Aquitaniæ, scribit Stephanus Cyprius, Ordinis Prædicatorum. Ludovicus Petronillæ

In Genealog. familiæ Lusignanæ.

parens suis sumptibus ædificavit conventum Ordinis Minorum apud Thoarcium. Ex uxore sua Joanna, Drocensi comitissa, plures liberos habuit, quorum masculis sine prole mortuis, Petronilla, nostræ cartusiæ fundatrix, Comitatum adepta est, et post mortem patris sui, vicecomitatum Thoarcensem. Amaurico de Craon, priore suo marito (cujus mater Margarita de Mello originem trahebat ex fundatoribus cartusiæ Vallis sancti Georgii) defuncto, alteras nuptias iniit cum Clemente Rovaut, qui vulgo dictus est Tristanus, sub quo nomine obitus illius reperitur in Chartis capitularibus, in quibus dicitur tantum vicecomes Thoarcii; nam Comitatum Drocensem, consentiente uxore, Regi Galliæ diu ante obitum vendiderat. Nullam ex utroque conjuge prolem Petronilla susceperat, quapropter moriens Isabellam sororem suam et hæredem, olim Ingergerii domini de Ambasia uxorem, suo testamento ad cartusiam perficiendam obligat. Sed illa ante operis absolutionem defuncta, Petrus et Ingergerius, domini de Ambasia, filii ejus et in vicecomitatu hæredes, matris ac materteræ voluntatem exequi vel neglexerunt vel non potuerunt. Ludovicus Ingergerii filius Nostros, quos audierat velle locum deserere, quamdiu potuit retinuit ac fovit, quibus et aliquot pecunias in ecclesiæ constructionem erogavit. Verum Anglis totam Galliam tunc vastantibus, cum inceptum opus pius Vicecomes prosequi non posset, Diffinitores Michaeli Priori Fontis B. Mariæ et Visitatori mandant « ut tractet cum Domino Thoarci an velit perficere dotationem dictæ Domus, aut consentire quod bona illius applicentur Domibus Ligeti et Parci. » Deinde Monachis ad proprias Domos remissis, idque ægre ferente Domino Thoarcii, Patres per Chartam anni 1437 admonent Joannem Canuti (qui ex Rectore ejusdem derelictæ Domus ad Prioratum Ligeti ab annis quatuor translatus fuerat) « ut in futuro Capitulo mittat quo anno dicta Domus fuit incorporata Ordini. Et si Domus Ligeti aliquid recepit de bonis Domus Thoarci, reservet Priori et Monachis quandoque illuc reversuris. Priori vero Parcensi injungitur ut respondeat illis

ANNUS 1396

Wadding. Annal. Minor. ad ann. 1358. Tom. IV.

Ex Charta 1423.

Perpetuis oppressa calamitatibus.

Ex Chartis 1431, 1432, 1437.

ANNUS
1396

quæ ex parte Domus Thoarci fuerunt significata de facto Monachorum qui erant in eadem Domo, quia propter guerras non possunt ibi habitare, et maxime quia vicini tenent Domum cum armis pro defensione illius loci ubi inducuntur, cum quibus non possunt honeste conversari ; sed quando erit pax, Ordo faciet debitum suum. » Anno sequenti novus Rector ibidem præficitur cum licentia convocandi unum vel duos Monachos qui secum ibidem morentur. Denique cum per annos quadraginta sex et amplius, hujusmodi fundatio sine dote, sine ædificiis sufficientibus, inter varios belli et egestatis casus, paucis cum Monachis stetisset, penitus ab Ordine derelicta est ; peracta prius cum fundatricis successoribus conventione qua pauca bona a Petronilla legata, in quinque partes divisa, totidem Ordinis Domibus assignata sunt, ut fusius postea dicemus.

Tandem ab Ordine derelicta.

ORDINATIONES CAPITULARES.

XII. Duo tantum hoc anno a Patribus Clementinis sanciuntur ; primum, « ut petentes a Domno Cartusiæ Patre nostro licentiam propinquos suos vel alios quoscumque extra terminos Domorum in quibus resident visitandi, nullatenus audiantur, sed pro temeritate acriter puniantur. » Altero decreto « inhibetur firmiter et districte quod de tribus annis nulla Monialis vel Conversa recipiatur in Ordine absque licentia specialissima Capituli generalis, alioquin sit receptio nulla et receptæ expellantur, et recipientes graviter puniantur. »

Urbanistæ Cartusienses « declarant quod, secundum antiquissimam consuetudinem Ordinis nostri, in Quadragesima et in Adventu non debet haberi colloquium feria quinta et in festis Capituli, excepto diebus Dominicis et festo sancti Andreæ. » Et id juxta Antiqua Statuta quæ permittunt « ut in festo sancti Andreæ, infra Adventum, colloquium de bonis habeamus. » Hodie vero colloquium habetur in festis occurrentibus in Adventu, sed quod feriis quintis olim concedebatur plane abrogatum est.

P. I, cap. 2, n. 15.

Dispositiones.

De quibusdam rebus privatis eadem comitia sic decernunt : « Injungimus futuro Priori Domus Lapidis Refugii in Hun-

ANNUS 1396

garia quod de capella noviter constructa circa Domum ordinet et disponat secundum ordinationem Visitatorum. Et ordinamus quod illa taberna quæ est juxta dictam capellam omnino destruatur.

Secunda professio in ipsamet Domo primæ professionis.

« Priori Throni B. Mariæ injungimus quod super illa causa decimarum quam habet cum Plebano..., de consensu et concordia dicti Plebani habeat consilium cum Jurisperitis, et quidquid illi decreverint, studeat cum effectu adimplere. »

D. Mathias de Prussia Monachus primo professus Domus Dantisci deinde Argentinæ, inde ad Dantiscanam per Chartam hujus anni remittitur cum mandato ibidem rursum profitendi. His enim temporibus, cum quis alteram emiserat professionem in alia Domo, si primam suam Domum repetebat, in ea tantum hospes habebatur, nisi iterum ibidem profiteretur.

Domus Cellæ Salutis hoc anno vel superiori incendium perpessa est, nam Charta Priorem Aspacensem exhortatur ut « quasdam expensas Priori ejusdem Domus dimittat propter Deum, quia eadem Domus combusta est. » Et anno sequenti, taxa Capituli generalis eis misericorditer dimittitur propter idem incendium ex quo ad magnam paupertatem redacta dicitur in Chartis subsequentibus.

JESU CHRISTI

ANNUS 1397.

Bonifacii PP. IX Ann. 8.	Ordin. Cartus. Ann. 314.	Guillelmi II. Pr. Car. Ann. 31.

MARTINUS ARAGONUM REX ORDINI BENEFACIT.

Zurita, Annal. Lib. X. c. 62.

I. ANNO salutis millesimo trecentesimo nonagesimo septimo, Indictione quinta, Martinus, Aragonum rex, cartusiæ Vallis Christi fundator, e Sicilia cum Martino filio suo ejusdem insulæ Rege rediens, Massiliam et inde Avenionem die ultima Martii ad Benedictum se contulit, de viis ad tollendum schisma Ecclesiæ aptioribus tractandi gratia. Ibi, dum moratur, Cartusiensium recordatus, quamdam pecuniæ summam ad instantia misit comitia, ubi in gratiarum actionem, tricenarium de Spiritu Sancto per totum Ordinem indicitur : « Pro Domino Rege Aragonum moderno, qui multum laborat pro pace et unione Ecclesiæ Dei, et misit eleemosynam Capitulo generali ; et pro Domino Rege Siciliæ, filio suo, et pro Dominabus Reginis ipsorum consortibus et eorum liberis. » Interim, reversus in Aragoniam, licet sui regni rebus satis occupatus teneretur, multam tamen tum præsenti tum sequentibus annis curam ac laborem posuit in reconciliando utroque Pontifice, ad quos non semel oratores misit, usus etiam aliquando Joannis Sancii Vallis Christi Cartusiensis opera. Hic enim ex illustri in regno Valentiæ natus familia, eximiam pietatem cum singulari sapientia factus monachus ita suaviter copulabat, ut Martino Nostros sæpius apud suam Vallem Christi invisenti gratissimus brevi evaserit. Additque autor Historiæ ejusdem cartusiæ, Regem

« tanti eum fecisse ut ad Pontifices diro schismate tunicam Christi inconsutilem discindente Joannem delegarit, pacis gratia toti Christiano Orbi conciliandæ. »

ANNUS 1397

PRIORISSÆ BRUGENSIUM MONIALIUM OBITUS.

II. Ad cœlos, ut pie credimus, hoc anno die 4 Maii evolavit Maria Van Huelem. Hæc triginta tantum annos nata, parthenio Brugensi anno hujus seculi sexagesimo quinto præfecta, per triginta tres rexit cum sollicitudine magna, vigilantia incredibili, inter vexationes et difficultates maximas, quas præter paupertatem qua toto sui regiminis tempore laboravit, supra sexum longo tempore viriliter sustinuit. Harum vexationum jam supra meminimus, in quibus tolerandis quanta fuerit præfatæ Matris et filiarum ejus patientia et constantia ex Chartis capitularibus suo loco exhibuimus. Quam vero a Patribus Urbanistis suæ in obedientia Pontificis Romani perseverantiæ mercedem reportaverit, ex Charta anni sequentis discimus, quæ illius obitum sic refert : « Obiit venerabilis Domna Maria, Priorissa Domus sanctæ Annæ in Flandria, Ordinis nostri, habens monachatum cum psalteriis per totum Ordinem. » Et ut Agnes Voens quæ Mariæ in Prioratu successerat ad similem animi firmitatem animaretur, illam Diffinitores « exhortantur in Domino ac cæteras venerabiles Sorores Deo devotas dictæ Domus, ut in proposito et obedientia S. R. Ecclesiæ et nostri Ordinis sint firmæ et solidæ, prout hactenus fuerunt, quia Deo et Ordini multum erunt gratæ et acceptæ, et aliis in exemplum probitatis et sanctitatis. Et propter paupertatem dimittitur eis taxa Capituli generalis. Et pro earum consolatione ordinatur quod earum Vicarius qui tunc est (vocatus Joan. Deldon) sine sua voluntate et consensu non possit auferri. » Porro ad cumulum meritorum permisit Deus, ut eadem Maria regente, varias etiam a diabolo sustinerent tentationes. Cum enim sanctæ illæ virgines e monasterio suo extra urbem tunc posito, propter bellorum tumultus ejectæ, Brugis ad tempus degerent ; contigit cauponem apud quem diversoria eis ab amicis parata fuerant pactum habuisse cum diabolo, qui ad introitum Monialium sua privatus potestate, fassus

Vid. ann. 1395.

Multa patiuntur hujus parthenii Sorores,

etiam a diabolo.

ANNUS 1397

est impotentem se fieri propter sacrarum virginum præsentiam. Quo percepto impius hospes venerandas hospitas sua expulit domo. Præterea habent monumenta Domus Monialibus in cœnobium suum reversis, diabolum apparuisse sedentem super trabem dormitorii, quem Vicarius a Sororibus perterritis advocatus, sacro adhibito exorcismo fugavit; prius confessum se venisse ad explorandum num aliquam ex eis inveniret noxæ capitalis ream.

D. GUILLELM. A S. SEPULCRO PIE MORITUR.

III. Eodem anno exeunte, die videlicet decima Decembris, pie in Domino obdormivit Guillelmus a Sancto Sepulchro, monachus sacerdos cartusiæ Vallis viridis, qui per Chartam anni sequentis habuit monachatum et anniversarium per omnes Domos Ordinis, singulis annis in perpetuum sub præfata die celebrandum. Hic devotus Pater primum in abbatia sancti Remigii Remensis professus, Synduni * ac Margeriaci Prior per aliquot annos extiterat; sed strictioris observantiæ regula inhians, accedente Abbatis sui consensu, Cartusiensis monachus in Domo Montis Dei effectus est, ædificata prius ibidem ac dotata suis sumptibus, in qua habitaret cella. Nec ingratus neque immemor beneficiorum a Remigianis Benedictinis acceptorum, antequam iis valediceret, plurima eorum monasterio largitus est, quorum meminit ejusdem Abbatiæ necrologium ad IV Idus Decembris, his verbis : « Obitus Domni Guillelmi de Sancto Sepulcro, Prioris quondam de Senuco, qui dedit nobis in perpetuum duo stagna apud Condatum juxta Aultrey, et maximam quantitatem librorum nomine nostro intitulatorum. » Cartusia quoque Parisiensis liberalitatem illius sensit; ad quam, transactis post emissa vota apud Montem Dei aliquot annis, Patrum jussu transmigrans, alteram fecit professionem, ac ibidem tandem, ut diximus, defunctus est. Ejus obitus in ejusdem Domus Calendario sic legitur : « IV Idus Decembris, obiit Domnus Guillelmus de S. Sepulchro, monachus noster, de cujus bonis et fratris sui habuimus duas domos venditas quadringentis francis. Item sexdecim libras annui reditus sitas Parisiis, et multa alia

Alias Monachus Abbatiæ S. Remigii Remensis,

* Senus.

cui plura dedit.

bona fecerunt nobis. » Et in Calendario Montis Dei, ad eumdem diem : « D. Guillelmus de S. Sepulchro, quondam monachus hujus Domus qui fuit magnus benefactor noster, unde multum obligamur orare pro eo. »

ANNUS 1397

IV. Inter codices ejusdem cartusiæ olim asservabantur opera Augustini de Ancona, quæ ipse antequam nostrum indueret habitum, per quatuor Monachos ejusdem loci sibi curaverat exscribi. Quidam Nostrum ad eum putant referenda quæ Dorlandus his verbis recenset : « Legi extitisse quondam in Domo Montis Dei Ordinis nostri monachum, virum magnis virtutibus conspicuum, et hoc uno singulari munere præditum, quod pia et ferventissima devotione ad Christi crucem, plagas et verbera ferebatur. Nam præter cæteras humilitatis, charitatis et patientiæ virtutes, erat ad Christi Passionem zelator ardentissimus ; quam et mente et corpore, dilectionis igne flagrans, æmulabatur. Ob conceptum hujus salutiferæ Passionis sæpe dum solus esset sese flagris acerrimis verberabat, ita ut copiosi rivi sanguinis per latera in terram decurrerent. Alapis quoque et colaphis tam crebro faciem ac cervicem quatiebat, ut nisi illum virtus divina sustentaret, nunquam in tam fragili corpore hos potuisset diros impetus sustinere. Et erat revera mirabile, quod in tanta verberum asperitate, nihil asperum, nihil molestum sentiebat, sed erant illi hæ plagæ, hæc verbera super mel et favum dulcissima : tamque delectabiliter ac suaviter illius cordi Christi Passio sapiebat. Nam quanto durius, quantoque inhumanius se ob Christi vulnera afflictabat, tanto mens ejus majori consolatione, et corpus dulcedine complebatur. Non est ergo crux Christi, o fratres dilectissimi, spinosa nec sylvestris arbor, sed fructum pacatissimum justitiæ affert dilectoribus et gustatoribus suis. »

AUGUSTIN. DE ANCONA, MONACHUS MONTIS DEI.

Lib. V. c. 32.

Dominicæ Passionis zelator mirificus.

V. Ex amicis Ordinis hoc anno obierunt : « Reverendus magister (sunt verba Chartæ) Henricus de Hassia, sacerdos, » cui Patres Urbanistæ tricenarium defunctorum concessere. Hic videtur esse celeberrimus ac eruditissimus Doctor Sorbonicus, cognomine de Langestein, cujus mortis tempus

QUORUMDAM ORDINIS BENEFACTORUM OBITUS.

ANNUS 1397

Henricus de Hassia,

hactenus, ut puto, Scriptores latuit. Hunc in Universitate Parisiensi, ultra annum hujus seculi nonagesimum floruisse quidam credunt. Romano Pontifici magis favisse, et in ejus obedientia, et forsan in Universitate Viennensi, quam tum docendo tum scribendo decorasse a Trithemio dicitur, obiisse verisimile est, cum illius obitus reperiatur in Charta Urbanistarum hujus anni : unde etiam arguitur Sixtus Senensis, qui scribit eum adhuc vixisse anno millesimo quadringentesimo. Post Henricum de Hassia in eadem Charta, inter mortuos annumeratur « Reverendus magister Henricus de Oicha, sacerdos habens tricenarium. » Hic videtur esse quem Possevinus vocat Euta, aliis Oyta sive Hoyta, gymnasii Viennensis in Austria fundator, et qui juxta Trithemium florebat anno nonagesimo præsentis seculi. Utrumque Henricum cartusia Maurbacensis inter suos benefactores recenset.

Biblioth. sacr. Lib. IV.

Henricus de Oicha,

Cardinalis A. Easton.

Post comitia obiit Adam Easton, natione Anglus, ad Purpuram ab Urbano VI evectus, in nostris Chartis Cardinalis Anglicanus dictus est; nostro Ordini ita benevolus fautor ut etiam Cartusiensium negotia apud summum Pontificem procuranda in se susciperet : cujus studium ut Patres Urbanistæ compensarent, missam de B. Maria indicunt « pro Cardinali Anglicano, promotore Ordinis in curia Romana. » At ubi gratia Urbani excidit, famosæ illius in eum conspirationis accusatus, et in carcere ad obitum usque illius detentus, nullam de eo, ne summus offenderetur Pontifex, mentionem fecerunt, donec a Bonifacio in integrum restitutus, preces iterum per totum Ordinem imperatæ sunt. Et post mortem quam die 19 Septembris juxta Godwinum, sive 15 ut apud Oldoinum, incurrit, tricenarium defunctorum habuit. « Obiit, sunt verba Chartæ, Reverendissimus in Christo Pater dominus Adam, cardinalis Anglicanus, qui habet tricenarium. » Plures Londinensem, alii Herefordiensem vocant Episcopum, quod ab omni probabilitate abhorret ; nec enim Godwinus in catalogo earumdem Ecclesiarum eum collocat.

Ex Charta 1382.

Histor. Pontific. Roman. et Cardinal.

DOMUS CORONÆ B. MARIÆ ITERUM RECIPITUR.

VI. Hoc anno cartusia Coronæ beatæ Mariæ quam ante

triennium inchoatam et postea propter insufficientem dotem a Nostris derelictam diximus, iterum a Patribus recipitur, missis ad eam monachis quos Bugslaus et Barnimus Pomeraniæ ac Stetini duces petierant, ut colligimus ex Charta quæ sic habet : « Committimus Priori Stetinensi quod cum monacho quem duxerit eligendum, quam citius commode poterit studeat dictam Domum visitare ; et ad instantiam et humiles preces domini Ducis Stetinensis et Pomeraniæ qui jam iteratis vicibus scripsit pro nova fundatione Domus Coronæ B. Virginis a Nativitate, confidentes quod dictam fundationem vel Domum sufficienter instaurabit, præficimus in Rectorem dictæ Domus Domnum Joannem Saxoniæ, olim Priorem Prussiæ, concedentes sibi et committentes autoritate Capituli generalis quod secum possit assumere duos Monachos et duos Conversos, de voluntate tamen ipsorum cum beneficio tricenarii ; exhortantes eumdem Domnum Joannem Rectorem quod obedientiam sibi injunctam, licet senectuti suæ laboriosam, propter honorem Dei et utilitatem Ordinis viriliter assumat ; committentes sibi quod in necessitatibus sibi contingentibus in dicta nova fundatione habeat recursum ad dictum Priorem Prussiæ, cui quantum ad hoc plenariam committimus ejusdem Capituli generalis potestatem usque ad sequens Capitulum generale. » Statimque preces pro eisdem Ducibus per totum Ordinem indicuntur.

ANNUS 1397

Rector instituitur,

Præfatis fundatoribus, maxime vero Barnimo, multa promittentibus, eorumque promissis novus Rector nimium credens, Novitios ad habitum suscepit, Patresque ad incorporandam nascentem Domum suis precibus impellere tentavit, sed pro responso pœnas accepit, velut temerarius in Charta anni sequentis correptus : « Rectori Domus Pomeraniæ non fit misericordia, et multum miramur de præsumptione sua, quod non præhabita aliqua alia autoritate, vel licentia Capituli generalis vel Prioris Cartusiæ, ausus fuerit recipere Novitios ad Ordinem, et quod alias repertus est fuisse satis indiscretus et præsumptuosus in talibus. Monemus eum et districte injungimus ei, quod in futurum sit magis cautus et

qui, eo quod inscio Capitulo generali, Novitios admiserat,

dure increpatur et punitur.

ANNUS 1397

discretus, alias graviter puniretur; et pro disciplina speciali præmissorum, stet extra sedem suam usque ad adventum visitationis, committentes ipsis Visitatoribus futuris ut diligenter videant statum dictæ Domus et referant futuro Capitulo generali; exhortantes Fundatorem præfatæ Domus ut usque ad idem sequens Capitulum generale habeat patientiam de incorporatione Domus prædictæ, quia tunc poterit plenius de hoc provideri. Et satis miramur quod idem Rector, non præhabita aliqua licentia a Capitulo generali vel Priore Cartusiæ, ausus fuerit recipere illum Novitium Conversum, cum secundum Statuta Ordinis nostri, nullus possit recipi ad Ordinem nisi a Priore cum consilio sui Conventus; et pro scandalo vitando approbamus receptionem dicti Novitii. Et committimus eidem Rectori quod convocet unum Priorem Ordinis, qui tempore debito recipiat eumdem Novitium ad professionem, si alias sit receptabilis; et concedimus ei quod possit concedere illis benefactoribus suis Anniversaria pro quibus supplicavit. Concedimus etiam quod Fundatrix dictæ Domus possit in eadem Domo sepeliri, non tamen in cœmeterio Monachorum. »

Domus denuo a Nostris relinquitur,

Nec immerito tantam in præcavendo solertiam Nostri adhibebant : ipsi namque fundatores adeo frigide ac lente novæ plantationis res promovebant, ut secundo ex ea monachi sexennio post excedere coacti sint, cum prius Patres, pro more suo, pias (ut ita dicam) in ipsos Duces minas jactassent : « Injungimus, inquiunt, Rectori Pomeraniæ ut quantocius fundatores dictæ Domus accedat, et eos exhortetur ut ad completionem ipsius Domus diligenter intendant, quod si facere noluerint, Ordo de remedio opportuno providebit. » Ne tamen impatientiæ arguerentur, ita biennio post pronuntiant : « Pro isto anno adhuc sustinebimus, si ad profectum forte possit dicta plantatio pervenire, sin autem providebitur de remedio opportuno. » Quale vero foret istud remedium, anno sequenti sic indicant : « Committimus Visitatoribus autoritatem nostram plenariam, ut si viderint ad honorem Ordinis pertinere, Domum ipsam omnino re-

Ex Chartis 1399 et 1401.

Ex Charta 1402.

linquant, et de personis Ordinis ibidem existentibus provideant prout viderint expedire. » Haud diu post obiit dux Barnimus cui beneficium tricenarii per Chartam anni 1403 concessum est. Eo mortuo, Domum penitus Nostri dereliquissent, sed Bugslai ducis promissis iterum producti, « et ad Rectoris magnam instantiam, ut loquuntur, et bonam relationem et spem quam tribuit de benignitate illustrissimi Principis domini Ducis qui nunc est, acquiescimus hujusmodi supplicationibus, expectantes adhuc usque ad sequens Capitulum generale si forte præfata nova plantatio bonum suscipiat incrementum. Sin autem, inviolabiliter servetur ordinatio Visitatorum. » Denique in sequentibus Comitiis, « Domum Pomeraniæ, inquiunt, omnino decernimus relinquendam et relinquimus. De personis vero Ordinis ibidem, disponatur secundum Chartam præcedentium Visitatorum. » Nec preces pro ejusdem fundatore, ut prius edictæ sunt, donec Bugslaus serio mentem et operam fundationi absolvendæ affigeret, ut postea videbimus.

ANNUS 1397

licet Patres magna usi sint patientia.

Ex Charta 1404.

VII. Hoc anno, vel paulo ante, in regno Angliæ fundatur Domus Visitationis B. Mariæ in provincia et diœcesi Lincolniensi, apud pagum Eppeworthe, infra insulam amnicam de Axelhome, quæ et Exholme dicitur. Hanc cartusiam Sanderus, et post eum Robertus Johnstonus et Verderius, Exhamensam vocant corrupte ut puto, ex vocabulo saxonico Eaxalholme scribentes Exhame, destructa una syllaba, vel fortassis Axelodunum (quod nomen olim habuit Hexham, urbecula Northumbriæ comitatus) incaute ex quadam dictionum affinitate accipientes pro Axeholme ; aut denique typographi lapsu qui Exhamensis pro Exholmensis impressit. At qualecumque sit hujusmodi a Sandero nostræ huic cartusiæ impositum nomen, ejus certe obscuritas in gravem quosdam ex Nostris, qui Domorum indices compegere, errorem induxit. Hi enim novam inde commenti cartusiam, duas ex una conflarunt : Exhamensem alteram, alteram Axholmensem. De Exhamensi hæc pauca habent : « Domus Examæ sive Hexamæ in Northumbria fundator, anteces-

CARTUSIA AXELHOME IN ANGLIA FUNDATUR.

Histor. Angliæ P. II. Lib. IV.

Schism. Anglic. Lib. I.

Alfaura, in Orig. Cartus.

ANNUS 1397

sor Archiepiscopi Eboracensis » : quæ certe mutuati sunt ex Speedio qui ipsissima verba in suo catalogo retulit, solo Domus vocabulo in Prioratus dictionem mutato, nulla facta mentione cujus esset Instituti; unde hi decepti quod ille nulli Ordini, statim Nostro monasterium tribuerunt. At ex *Monastico Anglicano* constat illud fuisse Canonicorum S. Augustini, fundatum anno Christi 1113 per Thomam Eboracensem archiepiscopum.

Tom. III.

Porro nostra Axelhomensis sive Eppeworthensis cartusia fundatorem habuit Thomam de Mowbray, tunc comitem Nottingamiæ. Ubi ille conceptum ædificandæ cartusiæ consilium Hullensis Coventrensisque Domorum Prioribus detexit, statim Prior Hullensis rem cupiens accelerare, quasdam in hunc finem pecunias insumpsit. At postea cernens Fundatorem, difficilioribus regni negotiis occupatum, in suo proposito tepescentem, impensos sumptus sibi refundi petiit a Capitulo Seizensi. Cui Patres de firma Comitis voluntate per Coventrensem Priorem certiores facti, tale per Chartam anni superioris dederant responsum : « Hortamur Priorem sancti Michaelis super Hull quod habeat patientiam de illa quantitate pecuniæ de qua scripsit Capitulo generali pro nunc, quia prout scripsit Prior S. Annæ (qui per eamdem Chartam alter Visitator institutus est), illa Domus pro qua fuit exposita dicta pecunia sortietur debitum effectum, et sic speramus quod de his fiet ei debita restitutio. » Nec eos fefellit spes data Priori Coventrensi ; opus enim statim vel paulo post inchoatum fuisse colligimus ex Charta præsentis anni quæ tricenarium Spiritus Sancti promulgat « pro domino Comite Nottinghamiæ de Anglia, qui cœpit ædificare unam solemnem Domum Ordinis. » Dum hæc ita in comitiis Seizensibus geruntur, ipse fundator easdem quas olim Honorius III, secundum oraculum sancto Francisco cœlitus editum, ecclesiæ B. Mariæ in Portiuncula juxta Assisium concesserat Indulgentias, ad quoddam sacellum novæ plantationi vicinum et ei adscribendum, transferri a Bonifacio IX postulat et obtinet. Id vero egisse videtur ut ex oblatis in

Indulgentia Portiunculæ cuidam hujus cartusiæ sacello adscribitur,

eodem sacello donis suæ cartusiæ dotem augeret, quod bulla summi Pontificis quæ talis est satis innuit :

ANNUS 1397

ex bulla pontificia,

« Bonifacius episcopus, servus servorum Dei, universis Christi fidelibus præsentes Literas inspecturis salutem et Apostolicam benedictionem. Licet is de cujus munere venit ut sibi a suis fidelibus digne et laudabiliter serviatur, de abundantia suæ pietatis (quæ merita supplicum excedit et vota) bene servientibus sibi multo majora retribuat quam valeant promereri ; nihilominus tamen desiderantes Domino populum reddere acceptabilem, et bonorum operum sectatorem, fideles ipsos ad complacendum sibi quasi quibusdam allectivis muneribus, Indulgentiis scilicet et remissionibus invitamus, ut exinde reddantur divinæ gratiæ aptiores. Cupientes igitur ut capella beatæ Mariæ, Prioratus de Wode antiquitus dicta in insula de Axiholm, Lincolniensis diœcesis, juxta quam dilectus filius, nobilis vir Thomas comes Notingamiæ, quamdam Domum Cartusiensis Ordinis in honorem Dei, sub vocabulo Visitationis beatæ Mariæ Virginis, et sanctorum Joannis evangelistæ et Edwardi regis et confessoris, omniumque Sanctorum, canonice construi et ædificari fecit seu proponit, congruis honoribus frequentetur ac etiam conservetur, et ut Christi fideles eo libentius causa devotionis confluant ad eamdem, et ad ipsius conservationem, necnon Domus hujusmodi fabricam et constructionem manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cœlestis gratiæ uberius conspexerint se refectos : de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum autoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui in festo Visitationis ipsius beatæ Mariæ, quod secunda die mensis Junii inibi annuatim celebratur, eamdem capellam devote visitaverint, et ad ipsius conservationem necnon Domus hujusmodi constructionem et fabricam manus porrexerint adjutrices, illam Indulgentiam et remissionem peccatorum concedimus, quam ecclesiam beatæ Mariæ in Portiuncula dictam de Angelis, extra muros Assisinatos, primo et secundo diebus mensis Augusti visi-

Monastic. Anglic. Tom. II. p. 970.

Iis qui ad fabricam cartusiæ manus porrexerint adjutrices.

ANNUS 1397

tantes, annuatim quomodolibet consequuntur. Volumus autem quod si alias visitantibus dictam capellam vel ad ejus fabricam seu conservationem aut ipsius Domus constructionem seu fabricam manus porrigentibus adjutrices, aut alias inibi pias eleemosynas erogantibus, seu alias aliqua alia Indulgentia imperpetuum vel ad certum tempus nondum illapsum duratura, per nos concessa fuerit, ipsa alias facta concessio nullius existat roboris vel momenti. Datum Romæ, apud S. Petrum, Kalend. Junii, Pontificatus nostri anno octavo. »

Haud diu post ad locum incolendum Monachi missi sunt quibus præfectus est in Rectorem quidam Joannes, ut discimus ex apographo ejusdem bullæ anno sequenti transcripto, in quo Notarius inter cætera sic præfatur : « In Dei nomine, Amen. Per præsens publicum Instrumentum cunctis constet manifeste quod anno ab Incarnatione Domini, secundum cursum et computationem Ecclesiæ Anglicanæ millesimo trecentesimo nonagesimo octavo, Indictione VI, et Pontificatus SS. in Christo Patris ac Domini nostri, Domini Bonifacii, divina Providentia Papæ noni anno nono, mense Julii, die XIV..., in mei Notarii publici præsentia et testium subscriptorum constitutus personaliter venerabilis ac religiosus vir Dominus Joannes, divina patientia Prior prioratus Visitationis B. Mariæ, Ordinis Cartusiensis, in insula de Axiholm Lincolniensis diœcesis, Literas dicti SS. Patris Bonifacii.... sanas et integras.... tradidit et exhibuit.... »

Prioratus de Kirkeby unitur cartusiæ de Axelhome.

Inter hæc, Comes fundator, quibusdam possessionibus et terris in dotem assignatis, licentiam construendi ac omnium quæ jam in Nostrum gratiam egerat confirmationem petiit a Ricardo; a quo præterea prioratum de Kirkeby a suis antecessoribus conditum et ad abbatiam S. Nicolai Andegavensis in Gallia spectantem, sed tunc temporis tum propter schisma Ecclesiæ, tum propter bella inter utrumque regnum concitata publico addictum, huic plantationi adscribi obtinuit. Extat de his omnibus apud Monasticon Anglicanum amplissimum Ricardi diploma cujus fragmen in prædictorum fidem lubet hic adnectere :

« Ricardus, Dei gratia rex Angliæ et Franciæ, et Dominus Hiberniæ, omnibus ad quos præsentes Literæ pervenerint, salutem. Sciatis quod de gratia nostra speciali concessimus et licentiam dedimus pro nobis et hæredibus nostris, quantum in nobis est, dilecto et fideli consanguineo nostro Thomæ, comiti Notthingham et marescallo Angliæ, quod ipse in solo suo proprio apud Eppeworthe, infra insulam de Axolme, in Comitatu Lincolniæ vel alibi infra eamdem insulam in eodem Comitatu, quamdam Domum conventualem de Monachis Ordinis Cartusiensis, videlicet de quodam Priore et certis Monachis, Visitationem Matris Dei nuncupandam, ad honorem Dei et B. Mariæ, S. Joannis evangelistæ et S. Edewardi regis et confessoris, ordinare, facere et fundare possit, et ipsi Monachi centum acras terræ cum pertinentiis in Eppeworthe, vel alibi infra insulam prædictam, a præfato comite recipere possint et tenere, etc.; licentiam dedimus specialem, statuto de terris et tenimentis ad manum mortuam non ponendis edicto, seu quod dictæ centum acræ terræ de nobis tenentur in capite non obstante. Insuper de gratia nostra speciali, ad instantiam prædicti Comitis consanguinei nostri, concessimus et licentiam dedimus pro nobis et hæredibus nostris, quantum in nobis est, Abbati monasterii sancti Nicolai in Andegavia, Ordinis S. Benedicti, de potestate Franciæ, et ejusdem loci Conventui, quod ipsi dare possint, concedere et assignare præfato Priori dictæ Domus Cartusiensis, ac Monachis et confratribus suis ejusdem Domus, et successoribus suis in perpetuum, manerium sive prioratum de Kirkeby-Monachorum cum pertinentiis in Comitatu Warwiciensi, cum maneriis de Stemebalde super Abene, Coppeston et Walton in eodem Comitatu, et cum quibuscumque membris et hamelettis et aliis pertinentiis, ad dictum manerium sive prioratum de Kirkeby qualitercumque spectant et dependent ab eisdem, et quæ prædicti Abbas et Conventus monasterii S. Nicolai habent, et quæ ad ipsos qualitercumque pertinent; ac etiam advocationes et patronatus ecclesiarum de Kirkeby-Monachorum, una cum

ANNUS 1397

Regium Instrumentum concessionis.

Monasticon Anglic. p. 969.

Prioratus de Kirkeby

ANNUS 1397

advocationibus et patronatibus vicariarum earumdem ecclesiarum, quas quidem ecclesias præfati Abbas et Conventus in proprios usus habent et tenent, sibi et dicto monasterio suo appropriatas ; necnon advocationes et patronatus ecclesiarum, vicariarum, capellarum, portionum, cantuariarum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum quorumcumque ; necnon omnes et singulas annuitates et pensiones cum suis pertinentiis, quas ipsi habent et ad ipsos pertinent quoquo modo : quod quidem manerium sive prioratus de Kirkeby-Monachorum cum maneriis, etc., et cum quibuscumque membris et hamelettis et aliis pertinentiis suis ad dictum manerium sive prioratum de Kirkeby spectantibus, ac alia maneria, dominia, molendina, terras, etc., in manibus nostris occasione guerræ inter nos et adversarium nostrum Franciæ motæ, seu occasione schismatis existunt; et quæ, exceptis feudis Militum et advocationibus ecclesiarum et vicariarum in manibus nostris retentis, per nomen custodiæ prioratus de Kirkeby-Monachorum alienigenæ in comitatu Warwici, et omnium terrarum et possessionum eidem prioratui spectantium, in manu nostra ad firmam pro quadraginta libris nobis annuatim reddendis nuper dimittebantur. Ac etiam quod dictæ ecclesiæ de Kirkeby-Monachorum et Stemebalde prædictis Abbati et Conventui appropriatæ, licite transferri possint in et ad prædictos Priorem et Monachos dictæ Domus Cartusiensis supradictæ meliori modo quo fieri possit... quietæ et exoneratæ tam de dicta firma 40 librarum per annum de omnibus aliis firmis, reditibus, arretagiis firmatuum et aliorum omnium, etc... erga nos et hæredes nostros, sicut prædicti Abbas et Conventus monasterii S. Nicolai seu prædecessores sui, ea unquam habuerunt et tenuerunt, antequam prioratus, maneria, dominia, terræ, tenimenta, etc., et patronatus supradicta ad manus nostras, vel ad manus progenitorum nostrorum, occasione guerræ seu schismatis devenerint ; non obstante dicto statuto de terris, et tenimentis ad manum mortuam non ponendis. Teste meipso apud Westmonasterium, 26 Junii, anno regni nostri xx. »

Domui Cartusiensi de Axelhome,

Hunc prioratum de Kirkeby huic cartusiæ addicendum idcirco fundator curaverat, tum quod illius bona eidem Domui vicina erant, tum quod a suis antecessoribus, ut diximus, fundatus ac præfatæ Abbatiæ collatus dignosceretur.

ANNUS 1397

ad ejus paupertatem relevandam, uniti.

Eodem ferme tempore quo Ricardus præfatam Nostris gratiam largitus est, ipsum magnificum fundatorem, primum Norfolciæ ducem sibi et hæredibus masculis creavit, cum jam olim Marescalli Angliæ statum et stilum concessisset. Sed novo honore diu ille non est potitus, rixatus namque cum Henrico Lancastrio (postea rege hujus nominis quarto) statim omni gratia qua semper apud Ricardum floruerat excidens, toto regno expellitur. Ablegatus itaque in Italiam, Venetias se contulit, ubi brevi post tactus pestilentia in gutture vitam amisit, et in sequentibus comitiis denunciatur his verbis : « Obiit dominus Thomas Mowbray, dux Norfolchiæ in Anglia, fundator novæ Domus Visitationis B. Mariæ, habens tricenarium, etc. » Molbraiorum familia si qua alia potens, nobilis et opulenta fuit; latifundia amplissima imo et Comitatus Ducatusque possedit. Voluntque eam duxisse originem a Guillelmo de Albineio, nobili normanno qui Guillelmum Conquestorem in Angliam secutus, filiam unicam et Molbraii hæredem sponsam sibi copulavit. Perseveravit linea masculina ad annum 1460 quo Joanne duce Norfolciæ nostri fundatoris nepote defuncto, Richardus dux Eboraci, regis Eduardi IV filiolus, Annæ præfati Joannis unicæ filiæ conjux, titulos Norfolciæ comitis, Marescalli et alios accepit. Eo vero cum uxore sine liberis sublato, Ricardus III easdem dignitates in Joannem Howardum, nostri fundatoris ex parte matris abnepotem, transtulit.

Monastic. Anglic. I. p. 561.

Dominus Fundator moritur.

Walsingh. Histor. Angl. ad ann. 1398.

Primus Norfolciæ Dux a rege Ricardo creatus.

Ex Chart. Seiz. ann. 1400.

Monastic. Anglic. I. 775, II. 793.

Thomas itaque Axelhomensis cartusiæ conditor maturius extinctus, suos Cartusienses paupertate non divitiis dotatos reliquit ; ita ut per multos annos magis amicorum eleemosynis quam propriis reditibus vitam ac ædificia utiliora sustinuerint : quibus tandem utcumque ad nostrum Institutum aptatis Domus ad Visitatorum instantiam nostro Ordini triginta quinque annis post suam fundationem incorporata

Domus, tantum post 35 annos, incorporatur Ordini.

ANNUS 1397

Ex Charta 1432.

est his verbis : « Domum Visitationis B. Mariæ de Axelhome fundatam per illustrem Principem dominum Ducem Norfolchiæ, audita relatione Priorum Bellævallis et Londoniarum Visitatorum provinciæ Angliæ, incorporamus Ordini nostro perpetuo : in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Et de provisione Prioris et Monachorum mittendorum ad dictam Domum committimus iisdem Visitatoribus. » Posthac tota Domus ad absolutionem deducta est largitate quorumdam benefactorum, maxime ex munificentia Catharinæ ducissæ Norfolciæ quæ etiam fundatricis nomen habet in Charta anni 1489 ubi ejus obitus refertur sic : « Obiit illustrissima domina Catharina ducissa Norfolchiæ, fundatrix Domus Visitationis, etc. » Quæ vero illa sit non potui reperire, nisi sit uxor Joannis ducis ultimi hujus familiæ, de quo supra diximus. Denique tempore quo Henricus VIII cœpit monachos vexare, tredecim in hac Domo reperti sunt cum suo Priore Augustino Websterio, beato Martyre, in omni observantia viventes.

Ex Chart. Visitationis anni 1531.

BERNENSIS CARTUSIÆ INITIUM.

VIII. Ad hunc quoque annum a Plantino refertur fundatio cartusiæ vulgo dictæ *Sancta Paula Portæ Montis* de qua sic ille loquitur anno 1397 : « Petrus dominus de Thorberg conventum in veteri castro de Thorberg pro Cartusianis ædificavit, quibus omnia bona sua et reditus legavit, sub tutela et protectione Bernensium, hodie vero dictum monasterium a Ballivo possidetur, qui redituum curam habet. » Sita erat prope villam de Krauchtal, unde et aliquando vocata est Domus de Krauchtal, inter urbes Bernam Helveticorum potentissimam et Burgdorf, ab utraque una tantum leuca distans, in diœcesi Constantiensi, non vero Lausannensi ut didiscimus ex literis cujusdam civis Bernensis. Præter castrum suum de Thorberg, pius fundator contulit omnia bona sua de Krauchtal et Kopingen atque alia quæ in eadem regione possidebat : sed antequam ædificia et alia necessaria perficeret, præmatura morte Nostris ablatus est, die videlicet 23 Septembris anno 1400, habuitque prout optime meruerat, a Patribus Clementinis, plenum per totum

Ex literis ad Priorem Vallis sanctæ anno 1383 datis.

Ex Chartis 1401 et 1405.

Ordinem monachatum, ut constat ex Chartis capitularibus in quibus Miles vocatur. Et revera Thorbergiorum familia inter illustriores Helvetiæ a Gabriele Bucelino recensetur. In eisdem Chartis hæc Domus aliquando de Thorberg, sæpius vero Porta-Montis nuncupatur, quod idem est, cum germanice *Thor* portam, *Berg* vero montem significet. Eam porro sanctæ Paulæ dicatam novimus ex veteri libro Visitationum et ex chronico cartusiæ Basileensis, ubi hæc etiam de utroque illius fundatore temporali videlicet ac spirituali legimus : « Idem insignis Pater, nempe Joannes de Brunswick, primus hujus Domus Rector, erat Doctor Decretorum, in multis expertus, fundatori Domus Torberg gratus et acceptus, ideoque etiam eum induxit dum Prior* ibi foret, ut Domum illam in sanctæ Paulæ viduæ honorem, quam idem Pater multum dilexerat, faceret ædificari, quemadmodum et factum est, ut Prior nobilis etiam nobilem Dominam haberet in Domus suæ Patronam. Quod etiam placuit fundatori illius Domus non parum quoque Nobili, qui illis in temporibus dicebatur dominus Petrus de Torberg, venustas militiæ Burgundiæ, in sui magnam utique laudem. Hoc dicitur de minori Burgundia quæ est de dominio Dominorum Bernensium et subconfœderatis. » Porro stetit Domus Torbergensis ac floruit annis centum et triginta, ex cujus facultatibus aliquando viginti Monachi cum octo Conversis et aliquot Donatis sustentabantur.

ANNUS 1397

Index Helvet. nobilit.

Chronic. Basileens. cartus. ms. cap. I.

* Rector.

IX. E regione Helvetiorum in Septentrionem revertentes, alteram Domum invenimus Ordini nostro adscriptam, sub vocabulo *Templi B. Mariæ in Arensboke* prope Lubecam, civitatem imperialem et episcopalem. Ibi ante plures annos monasterium a Nicolao Holsatiæ comite pro Virginibus conditum fuerat hac data occasione quam Joannes Cypræus his refert verbis : « Anno a Christo nato 1342, Nicolaus comes, Gerardi interempti filius, cui Fionia opposita erat, arcem Bamberg 2000 militibus obsedit, idque hoc consilio, ut si forte præsidiarii, qui illic collocati essent, persuasione Regis defecissent, tanquam rebelles compescere atque in ordinem redi-

DOMUS IN ARENSBOKE ORDINI ADSCRIBITUR.

Annal. Episcop. Slesw. Lib. II. cap. 17. p. 332.

Qua occasione fundata,

ANNUS 1397

gere posset. Idque facile factu esse putavit, quod erga subditos ac colonos sese benignum et facilem semper exhibuisset, eosque disciplina usuque militari probe imbuisset ac exercuisset. Nam inter alia in morem perduxerat, ut villa vel pagus major equitem et equum aleret; duo itidem pagi minores similiter equitem, alimenta ac pabulum ei præbendo, in usum et defensionem suæ ditionis nutrirent ac sustentarent; pro armatura autem uterentur casside, pilo, amiculo ferreo intexto corrigiis latis, chirothecis ferreis, brachialibus duobus, clypeo et arcu corneo. Postquam autem Rex in arce obsessis subvenire, eosque qui illam obsidione cinxissent oppugnare statuisset, accidit ut matrona quædam nobilis ac generosa moreretur. Hujus funus plerique Nobilissimi Holsati extra castra magna exequiarum solemnitate comitabantur. Dani, qui diem sepulturæ diligenter annotassent et observassent, Holsatos funus deducentes ex improviso aggressi, multos conciderunt ac obtruncarunt, Nicolao quoque comiti oculum exsculpserunt. Nicolaus autem saucius dum arma exuit, manu porrecta ei qui illum detinebat, recepit et promisit se, ubi vocatus fuerit, iterum reversurum; sed Deo ita volente remque divino suo consilio ita moderante, incidit in quemdam sibi notum, qui illum in suam ditionem deduxit. Illo autem die votum Deo fecit (ut notat Continuator Helmoldi in manuscripta Historia) quod si Deus se ab hostibus suis eriperet, unum claustrum Monialium in honorem beatæ Virginis Mariæ in terra sua fundare ac extruere vellet; quod etiam perfecit : nam in Arensboken fundavit monasterium ac ditavit, et virgines Moniales de Itzehoe, Poretze, et aliis monasteriis eo convocavit. » Hunc locum accolæ ejus quasi prius a Deo electum Principi fundatori indicaverant, ad id quodam concitati portento, quod sic Kivetius narrat :

in loco de Arensboke.

Ex Mss. Petri de Wal, monach. cartus. Bruxell. cap. 53.

Unde sic dictum.

« Dum simplex quidam opilio ovium gregem pasceret prope Lubecam, juxta ingentem fagum quam (eo quod aquilæ inibi stabulari erant solitæ) Arenboke idiomate patrio indigitabant, iconculam quamdam beatæ Virginis reperit, quam arripiens domum reverenter secum detulit. Altera autem die

pristino in loco oves pascens cum admiratione vidit ibidem præfatam iconculam : quam itentidem domum asportans, ac cistæ includens, secunda die rursus juxta fagum illam rediisse conspexit. Quod cum terna vice contigisset, ille presbyterum quemdam consuluit; qui consilium suggessit ut circa fagum eamdem reponeret ac porro relinqueret, si fortassis Deus aliquando locum miraculorum gloria illustrem facere cuperet. Nec diu res dilata est quin crebris miraculorum indiciis ita coruscaret, ut diversi istic sibi commorandi domicilia construerent : rogantes interim patriæ istius Principem ut in honorem sacratissimæ Virginis ibidem Monialium templum monasteriumque construi faceret. »

ANNUS 1397

Consentiente igitur, ut habet Krantzius, Adolpho Joannis Wagriæ comitis filio, sæpedictus comes Nicolaus parthenium ibidem construxit et proventibus dotavit; non tamen ita copiosis aut sufficientibus, ut illic sacræ virgines commode sustentari possent. Quamobrem præfatum « cœnobium, inquit idem autor, annuente Gerardo duce, anno secundo et quadringentesimo post mille, annitente domino Alberto Rodemberg, canonico Lubecensi, viro locuplete et proventus augente, commutatum est in Domum Fratrum Cartusiensium. » Hæc ille qui tempus hujus commutationis in sua *Metropoli* emendat dicens : « Quo tempore Domus Fratrum Cartusiensium in Arensboke et in vicino Rostock loco (de qua dicemus anno sequenti) sunt inchoatæ, ad annum Christi millesimum trecentesimum nonagesimum octavum. » Eumdem annum signant Hermannus Bonnus in chronico Lubecensis civitatis, et quidam Anonymus in chronicis Slavicis. At constat ex Monumentis hujus destructæ cartusiæ, quæ in nostra Domo Coloniensi asservantur, eam hoc præsenti anno jam initium habuisse : ibi enim legitur quod paulo ante defunctis, Adolpho comite Holsatiæ (eodem forsan ac Wagriæ de quo supra) qui patronatum ecclesiæ parochialis B. M. Virginis in Arensboke cum omnibus juribus et pertinentiis Monialibus dederat, et Jacobo Crombecke, Lubecensi canonico, a quo nonnullæ villæ, reditus et possessiones in do-

Ibi primum habitarunt Sanctimoniales,

deinque Cartusienses.

Lib. X. cap. 96.

ANNUS 1397

tem earumdem assignatæ fuerant, Everardus de Attendorn, Lubecensis episcopus, assentientibus testamentorum utriusque benefactoris exequendorum curatoribus, eadem bona cum monasterio Cartusiensibus hoc anno addixerit, præsentibus cartusiarum Erfordiæ, Isenaci ac Hildesii Prioribus : statimque, Dominica *Cantate* ejusdem anni, Gerardus dux primus Sleswicensis ac comes Holsatiæ, Stormariæ et in Schowenborch, assensum præbuerit pro construenda cartusia; ea tamen conditione ut Nostri illo loco deinceps potituri, alia non possent bona in Holsatia acquirere quam quæ actu illi fuissent concessa.

Domus Ordinis corpori adscripta.

Rebus ita dispositis Henricus de Eschwen, Erfordiæ professus et Domus Hildesemensis quondam initiator, a præfatis Prioribus ibidem quasi administrator institutus est, et perseveravit usque ad comitia anni sequentis; quo etiam anno (1399) Diffinitores audito rerum hujus plantationis prospero successu eam Ordinis corpori adscripserunt, Rectore in Priorem electo : « Rectori Domus novæ Templi B. Mariæ prope Lubeck non fit misericordia; et ad magnam instantiam et humiles preces R. Patris in Christo D. Eberhardi episcopi Lubeck, ac honorabilis viri D. Alberti ejusdem Ecclesiæ canonici, et ad Visitatorum fide dignam relationem, ad prædicti Rectoris bonum et laudabile testimonium, præfatam Domum omni via, modo et forma quibus melius possumus, per præsentes nostro Ordini incorporamus, præficientes præfatum Rectorem in Priorem dictæ Domus. »

Benefactores cartusiæ præcipui.

Ex his patet Eberhardum Attendorne, Lubecensem episcopum, et Albertum Rodenborch ejusdem Ecclesiæ canonicum, fuisse præcipuos hujus ad nos translati monasterii promotores. Eberhardus in supra citatis Monumentis dicitur præterea centum dedisse triginta duarum marcarum Lubecensium pro vino quotannis comparando; scriptis literis anno 1399, die 5 Februarii. Quamobrem, post suam mortem habuit tricenarium defunctorum et associationem cum primo Anniversario, sub die obitus sui qui fuit vigesima Aprilis ejusdem anni, ut habet chronicon Lubecensium citatum.

Eum Krantzius vocat præstantem virum, præstanti inter Lubecenses familia natum.

ANNUS 1397

Albertus Rodenborch, aliorum civium Lubecensium subsidio, reditus olim Monialibus concessos, in gratiam Cartusiensium auxit et amplificavit. « Et anno 1399 præsentavit, inquiunt præfata Monumenta, duas monstrantias* argenteas, inauratas ad manus D. Henrici Eschenwege vicarii. » Plura postea contulit ac tanta ut unus ex primariis fundatoribus dici meruerit in Charta anni 1424, ubi designatur mortuus cum Anniversarii perpetui beneficio sub die obitus sui qui fuit ultima Martii.

* ad recondendas Reliquias.

Ecclesia parochialis cartusiæ collata.

Eodem anno, videlicet nonagesimo nono, Bonifacius IX Pontifex Romanus eidem cartusiæ adscripsit ecclesiam parochialem in Arensboke, muro tantum a monasterio separatam, cum omnibus suis reditibus, anno quolibet quinquaginta marcas argenti non excedentibus, ea lege ut præsenti parocho et ejus successoribus omnia necessaria ad victum suppeditarentur. Hanc ecclesiam tunc regebat Henricus Mewes, qui non solum huic consensit incorporationi, sed præterea domum suam quam Lubecæ possidebat, liberaliter obtulit. Quo mortuo, anno 1408 die 25 Septembris, Henricus Prior hujus Domus possessionem ejusdem ecclesiæ iniit, virtute bullæ Apostolicæ. Anno vero 1428, Joannes Schele, episcopus Lubecensis, Patribus licentiam dedit instituendi parochos pleno jure, nec requisita Episcopi confirmatione. Fuit ille Præsul Cartusiensium amantissimus; cui defuncto anno 1438 in gratiam collatorum beneficiorum tricenarium concessum est.

Lubecenses Episcopi,

Krantz, metropol. Lib. II. cap. 37.

Nicolaus Sachonius præfati Joannis successor singulari pietate pauperes et monachos coluit. Cartusiensibus vero suæ diœcesis consignavit septingentas marcas ad reditus perpetuos coemendos pro Fratrum vestimentis. Multa ac pene innumerabilia suæ Ecclesiæ ac civitati Lubecensi contulit. Oblatum sibi Rigensem archiepiscopatum respuit dicens velle apud sponsam suam Ecclesiam remanere ; recto certe consilio, quia paucis post diebus a Deo est evocatus, anno

ANNUS 1397

scilicet 1449, die undecima mensis Octobris, ut discimus ex nostris Chartis, ubi reperitur cum Anniversario perpetuo.

Lubecensis Ecclesia post optimum Pontificem Nicolaum meruit insecutorem nihilo minorem, Arnoldum cognomento Westphale, decretorum Doctorem. Hic comparavit episcopali mensæ plurimas villas, prædia et alios proventus, nec etiam Cartusiensium oblitus, multa eis beneficia contulit, imprimis Majori Cartusiæ cui pinguem eleemosynam (ut Charta loquitur) largitus est, pro instauratione Domus inferioris combustæ ; cui propterea Patres, præter Anniversarium per totum Ordinem, plenum quoque monachatum in provincia Saxoniæ concesserunt sub 31 Januarii quo obierat anno 1466.

Canonici,

Ex Canonicis Lubecensibus unum tantum, præter Rotenborgium reperi hujus Domus benefactorem, et nominatur Hermannus Vos in Charta anni 1441 circa quem obierat.

Cypræus, Histor. Slesw. Lib. II. c. 20.

Sed redeamus ad Gerardum ducem Sleswicensem, quem tanquam primum fundatorem Nostri cognoscebant : tum quod antecessores illius monasterium primum ædificassent, tum maxime quod, eo consentiente, illud nobis attributum fuerit. Unde post illius mortem, tricenarium ei datum est per Chartam anni 1406, licet jam ante biennium decessisset cæsus a Dithmanis die sancto Dominico sacra. Ex Catharina uxore sua, filia vero magni Torquati Ducis Brunswicensis, plures habuit liberos ex quibus Adolphus singularis extitit nostri Ordinis fautor et benefactor, ut dicemus anno 1459. In Charta anni 1416, inter mortuos legitur Anna, comitissa Holsatiæ, quæ videtur mater esse ipsius Gerardi ; nam præter eam nullam hujus nominis apud stemmatum hujus familiæ interpretes reperio, quæ tunc obiisse potuerit.

et cives, hujus Domus fautores.

Ex civibus Lubecensibus perplures invenio qui certatim Nostris benefecerunt : Joannes Dersanwan, 1435. Henricus Winsenbork, 1441. Herberardus Ellinghen, 1451. Jacobus Petis, 1452. Celza Merges, 1455. Hermannus Dersenwan, 1457. Bernardus de Beke. Hildebrandus Swengel, qui habuit Anniversarium per totum Ordinem die Calend. Maii, 1458.

Henricus de Aken, 1465. Franciscus Boylin et Joannes Lunselet, 1466. Henricus Blomen, 1482. Henricus Luperade consul, 1495. Alii quoque fuerunt benefactores ex aliis locis, et ex his recensentur Magnus Boni plebanus de Plone, Albertus Hoyer civis in Hamborck et Anneka Kovemahsche de Plone, 1465. Paulus Lute, magnus benefactor dicitur anno 1491.

Floruit hæc Domus et in ea Cartusiana observantia per multos annos donec post diutinam Hæreticorum vexationem anno 1565 a Rege Daniæ, violenter ejectis monachis, injuste occuparetur, ut fusius dicemus.

URBANISTARUM DECRETA.

X. Nihil notatu dignum hoc anno a Patribus Clementinis decernitur; Urbanistæ vero, pro more et zelo suo multa disponunt inter quæ hæc sunt notabiliora :

1. « Ad obviandum negligentiis quorumdam qui de facili cultum Divinum minuunt ac negligunt, ordinamus quod nulli Priori seu Rectori vel Conventui, a cantu liceat tam in Horis diurnis quam nocturnis seu in Missa abstinere; nisi tamen ad parvum numerum vel debilitatem personarum aliquis Conventus devenisset, quod judicio Visitatorum suorum in totum vel in parte a cantu deberet supportari. Si quis Prior vel Rector vel Conventus contra fecerit, absque misericordia teneat ordinem usque ad sequens Capitulum generale in quo clamet culpam suam, recepturus de sua inobedientia et negligentia condignam disciplinam.

2. « Item ordinamus pro consolatione personarum Ordinis et aliarum scribentium Capitulo generali Cartusiæ, tempore Capituli generalis, quod de qualibet Provincia post Capitulum remaneat una persona in Domo S. Joannis in Seiz, quæ ad expensas Provinciæ reportet literas universales quibus dirigantur; quia aliter laboriosum nimis est Priori Cartusiæ illo tempore omnibus posse respondere. Monentes nihilominus et exhortantes in Domino omnes et singulas personas Ordinis ut nullus sine causa rationabili Capitulo generali et eidem Priori Cartusiæ scribere præsumat; alias de sua præsumptione graviter punietur et nullum recipiet responsum.

ANNUS
1397

Chartæ Visitationum ad Priorem Cartusiæ mittantur.

3. « Monemus omnes et singulos Visitatores ut Chartas Visitationum quales in Domibus visitatis dimittant, tales sub sigillis suis vel mittant vel deferant ad Priorem Cartusiæ, prout Statuta nostra volunt ; nec differant, quantum commode poterunt, illas transmittere seu deferre usque ad sequens Capitulum generale, quia nimis laboriosum est Priori Cartusiæ propter brevitatem temporis et alia negotia quam plurima, illo tempore posse illas legere et examinare diligenter prout decet.

4. « Propter indiscretionem quorumdam male utentium licentiis sibi concessis a Capitulo generali vel a Priore Cartusiæ de Monachis seu Procuratoribus mittendis extra terminos, ideo omnes tales licentias revocamus per præsentes, ordinantes quod de cætero tales licentiæ per idem Capitulum vel Priorem Cartusiæ de facili non concedantur, nisi in casu magnæ necessitatis seu evidentis utilitatis ; et dum concedentur, non concedantur nisi pro factis seu negotiis Ordinis pertractandis. In qua concessione exprimantur vices et termini locorum ; quas vel quos si quis transgressus fuerit, tanquam fugitivus puniatur ; et Prior consentiens sit extra sedem suam usque ad sequens Capitulum generale in quo clamet culpam suam, recepturus condignam disciplinam.

5. « Item ordinamus quod Visitatores in fine Chartæ Visitationis ponere teneantur quot diebus steterint, et quicquid pro expensis receperint. Districte injungimus Visitatoribus Provinciarum ut graviter puniant Priores et Procuratores qui contra simplicitatem et sobrietatem nostræ Religionis, sibi in victualibus faciunt provideri.

Cartusiana simplicitas commendatur.

6. « Districte injungimus novis Prioribus qui ad Capitulum generale venire non poterunt, ut in patenti carta munita sigillo Domus eidem Capitulo obedientiam promittant, prout et Statuta nostra mandant ; alias tanquam inobedientes a Capitulo memorato graviter puniantur.

7. « Item ordinamus quod de cætero nulli aliter scribenti quam ut supra dictum est detur responsum, nec dictis literis ulla adhibeatur fides.

ANNUS
1397

8. « Exhortamur Visitatores in Domino, ut in officio Visitationis sint ferventes et solliciti, prout Statuta nostra volunt, et non gravent Domos quas visitant inordinatis expensis; sintque discreti in victu et sobrii et studeant de se præbere, prout debent, laudabile exemplum.

9. « Domum Cartusiæ et Domum S. Mauritii visitabunt Priores Bononiæ et Portæ B. Mariæ.

Domus in Seiz, ruinosa et putrida, reparatur.

10. « Cum Domus S. Joannis in Seiz, quæ nunc Mater nostra est, ex nimia antiquitate facta sit ruinosa et putrida, nec sit spes quod de propriis facultatibus possit reparari, propter onera Capituli generalis et Prioris Cartusiæ ad præsens in ea residentis : ideo exhortamur in Domino omnes et singulos Priores et Conventus Domorum Ordinis, ut unusquisque secundum suam possibilitatem studeat in aliquo misericorditer subvenire ; committentes Visitatoribus Provinciarum quod hujusmodi charitativa subsidia a Domibus suæ Provinciæ spontanee oblata recipiant, et quam citius, tute et commode poterint, ad Priorem Cartusiæ sollicite et fideliter transmittant.

11. « Ordinamus quod ad Primam et Completorium tempore Paschali dicantur consueti versiculi, sed addatur in fine : *Alleluia, Alleluia.* Et in illo hymno de Ascensione dicatur : *nostræ salutis vindici* (nam scriptum erat judici).

Dispositiones,

12. « Dispensamus cum D. Arnoldo monacho Domus in Gyrio, quod possit promoveri ad quascumque obedientias Ordinis, citra Prioratum, non obstante quod primo fuerit in alia Religione. Ille vero Religiosus pro quo scripsit Prior Vallis sancti Antonii, in sua Religione studeat Deo inservire.

13. « Concedimus D. Antonio monacho Vallis-jocosæ, ut de pecunia quam recipiet pro Breviario Gorgonæ possit emere alios libros pro consolatione sua. Qui libri post mortem suam revertantur ad Domum Bononiæ, primæ professionis suæ.

14. « Priori Domus de Stetin concedimus sepulturam pro illo Canonico in ecclesia Conversorum pro quo supplicavit.

ANNUS 1397

et ad particularia responsiones.

15. « Super materia illius Novitii pro quo scripserunt monachi Domus Brunæ Capitulo generali, respondemus eis quod si idem Novitius non est aptus et fortis ad portandum onus Ordinis, nullatenus eum recipiant ad professionem.

16. « Respondemus illi Petro Besfel qui petit recipi in Clericum Redditum in Domo Prussiæ, quod procuret sibi dispensationem a Sede apostolica quod possit promoveri ad omnes Ordines ; alias non poterit recipi in statu prædicto. Concedimus etiam Priori ejusdem Domus, quod de voluntate et consensu sui Conventus possit recipere in Clericum Redditum dominum Danielem de Lino (alias Lintz), servata tamen forma novarum Constitutionum, non obstante quod in sacerdotio sit constitutus. » Hic postea ad statum Monachi receptus, in eo religiose perseveravit ad an. 1430 quo obitus illius recensetur in Charta.

17. « Quia D. Petrus monachus Domus N. satis indiscretas licentias impetrare voluit, infra spatium unius mensis a receptis præsentibus faciat quatuor abstinentias, præter ab Ordine constitutas, et dicat tria psalteria.

Præbendarius cum uxore sua admittitur in Ordine.

18. « Concedimus Priori Nordlingæ quod possit recipere in Præbendarium illum carpentarium cum uxore sua, et etiam Sacerdotem antiquum pro quo supplicavit. Denique concedimus illis Prioribus in Alemania Inferiori qui scripserunt Capitulo generali pro quibusdam gratiis renovandis et confirmandis, ut illis utantur ad sequens Capitulum generale, ad quod illas teneantur mittere per idem Capitulum confirmandas sive examinandas.

19. « Quia Prior Pragæ fratrem Nicolaum Conversum Domus suæ, non secundum autoritatem sibi commissam a Priore Cartusiæ, emisit ad Domum Vallis Josaphat ad professionem, declaramus quod illa professio nullius sit valoris ; committentes Priori Vallis Josaphat quod eumdem Conversum ad eamdem Domum Pragensem, quando sibi videtur, possit remittere. Monentes præfatum Priorem Pragensem quod in factis et negotiis Domus, maxime in alie-

nationibus et emptionibus bonorum sit magis cautus, et requirat consilium Conventus sui et Jurisperitorum ; ne ex negligentia sua Domus, quod satis timetur, possit incurrere notabile damnum. Et satis miramur quod illa quæ sunt inhibita a Capitulo generali, absque alia licentia audeat concedere. Studeat in compromissionibus et cæteris inordinationibus se diligenter et sollicite emendare, alias graviter puniretur. »

JESU CHRISTI

ANNUS 1398.

Bonifacii PP. IX Ann. 9.	Ordin. Cartus. Ann. 315.	Guillelmi II. Pr. Cart. Ann. 32.

URBANISTARUM CAPITULI ACTA PRÆCIPUA.

I. SEQUITUR annus Redemptoris nonagesimus octavus post millesimum trecentesimum, Indictione sexta, quo Patres Urbanistæ apud Seizensem cartusiam congregati Christophorum, suum Generalem, ob gravem quo tenebatur et paulo post decessit morbum abdicari enixe petentem, « ad patientiam exhortantur, et ut in officio propter Deum et suiipsius meritum perseveret. » Attamen sapienter, pro more suo, decernunt ut in casu quo contingeret eum vel solvere debitum universæ carnis, vel aliter resignare, Priores Vallis S. Mauritii Michael, Vallis Omnium Sanctorum Hugo, Mediolani Stephanus Senensis, et Bononiæ Franciscus, ad Domum Seizensem se conferant; et electionem per Conventum Seizensem canonice faciendam de Domno Cartusiæ habeant confirmare, si talis electus fuerit quem dignum ac idoneum regimini totius Ordinis suo judicio censuerint. Sedente eodem Capitulo generali, Bartholomæus de Seraphinis, Ravennas, Prior Gorgonæ, ad regimen novæ cartusiæ Papiensis transfertur, quem a Duce Mediolanensi, Stephani Maconi consilio, postulatum scripsit autor Vitæ ipsius Stephani his verbis :

BARTH. RAVENNAS PRIOR PAPIENSIS DESIGNATUR.

II. « Ergo Dux in Stephani sententiam propensissima voluntate discedens, literas ad generalem Præsidem Christophorum reliquosque primarios Patres eidem Stephano ad proxima generalia comitia, quæ jam instabant agenda hoc

anno 1398, profecturo dedit; quarum summa hæc erat : Se eos docere quæ jam tum sibi insederant in animo de legendo viro novæ ab se inchoatæ Domus gubernacula regente ; cujus rei causa plura contulisse cum viro reverendo cartusiæ Mediolanensis Priore, ad quem se referebat; minime dubium quin essent illi cordi quæ apud animum suum dies noctesque volvebat ad bonum et decus Cartusianæ familiæ augendum, quam unice amabat. Hisce literis in frequentissimo Patrum Conventu perlectis, in hanc communi consensu ingressi sunt deliberationem ut pio Duci, de universo Ordine maximis officiis optime merito, omnino obtemperandum existimaverint. Igitur, eodem approbante Stephano, eumdem Bartholomæum Ravennatem adlegunt eumque novæ Ticinensi Domui præficiunt Moderatorem, plena cum potestate (patentibus consignata literis VIII Idus Maii ejusdem anni 1398) accipiendi totius Ordinis nomine amplissimam hanc novam ædificationem ad munera Cartusiani Instituti descriptam, eamque in corpus Ordinis eligendi atque administrandi : cum eo tamen, ut in iis tractandis quæ ad reditus Domus jam attributos gravioraque recentis operis curanda negotia spectarent, nihil agat suo jure ; nec inconsulto Duce quidquam magni momenti suscipiat conficiendum, sed in eo toto pectore incumbat, ut obsequio omnique observantiæ officio, Ducis expleat animum... Qui [Dux] Patrem Ravennatem haud segniter in suo versantem munere non semel sed sæpius conspicatus, atque eximiam illius virtutem contemplatus, identidem singulari veneratione ac pietate prosequebatur : sic ut quoties novam cartusiam adibat Princeps humanissimus, eo familiariter uteretur ; delectatus in primis venerabilis senis prudentia pari cum rara simplicitate conjuncta. »

ANNUS 1398

Lib. II. cap. 16.

Nihil præter hæc quæ diximus, notatu dignum in his actum est comitiis; quibus absolutis, dum Patres suas repetunt Domos, atrox in Sclavonia et agro Tarvisino oritur tempestas quam Antonius de Macis, professus Bononiæ, qui per Chartam ejusdem Capituli e Domo Vallis jocosæ in Sclavonia, ubi hospitabatur, ad Domum Montelli ibidem alteram emissurus

De atroci quadam in Sclavonia tempestate,

ANNUS
1398
Chronicon Montell. ms. cap. 16.

professionem mittebatur, sic describit in Chronico ejusdem Montelli : « Joannis de Ferraria Prioris tempore, cum Capitulum celebraretur apud Seiz, et ipse transitum faceret per Vallem jocosam in qua tunc conventualiter habitabam, retulit mihi quomodo ipse et Conventus Montelli optabant me habere apud se ; nec mirum : ipse namque Prior et Domnus Laurentius fuerant duces mei ad sanctam Religionem. Libenter igitur annui petitionibus eorum, quia et ego cupiebam exire a populo barbaro. Unde obtenta licentia Reverendissimi Patris Domni Christophori, Prioris Cartusiæ, duxit me secum celebrato Capitulo generali, anno videlicet Domini 1398. In quibus diebus valida et incredibilis magnitudinis tempestas percussit territorium Tarvisinum, ita ut campi qui paulo ante omnigeno erant semine fertilissime decorati, arbores florigeræ cum vitibus botruosis, post ipsam tempestatem cuncta prorsus apparerent arida ac si flamma consumptrix æqualiter devastasset. Ipsa etiam die, in Justinopoli, fulgur e cœlo veniens percussit lectorem Fratrum Minorum : quem quidem intrinsece consumens, mirabiliter exterius reliquit intactum. Cujusdamque pueruli ejusdem Religionis et loci capillis adustis particulariter, ipsum puerulum omnino et incolumem conservavit. In eodem momento etiam, in quodam lacu Sclavoniæ navigantibus quibusdam utriusque sexus (ut nobis post biduum relatum est), decem et octo submersit. Hac denique tempestate magnum, imo maximum, dispendium sustinuit Domus ista, quia nihil fere collegit tritici pro victu Conventus. Sed pius ac misericordissimus Dominus, qui non deserit sperantes in se, quique dat jumentis escam ipsorum et pullis corvorum invocantibus eum, suscitavit quemdam magnificum devotumque benefactorem : virum scilicet nobilem de Venetiis, Andream quondam Francisci Bragadino, qui pietate commotus, et affectione cœlestis patriæ, subvenit largissime in necessitatibus Domus ; nam dedit Procuratori, Domno Laurentio præmisso, pro emendo frumento ducatos LXVIII. Post adventum meum, de mense Junii, requisitus ab eo scripsi eidem quamdam abbreviatio-

et in agro Tarvisino.

Ps. 146, 9.

nem Libri beati Augustini de Civitate Dei, compilatam per venerabilem virum magnæ sanctitatis atque scientiæ, fratrem Thadæum de Urbe-veteri, Ordinis Prædicatorum. Ex qua re tantam recepit complacentiam idem dominus Andreas, ut omnino inclinaretur, etiam ductus devotione, pene ad omnem subventionem necessitatum nostrarum etiam non requisitus. » ANNUS 1398

R. P. CHRISTOPHORUS MORITUR.

III. Denique tribus aut paulo amplius mensibus post comitiorum celebrationem, Christophorus generalis diutinis morbis ac tribulationibus (ut Chartæ loquuntur) fractus, ad requiem sempiternam, Deo vocante, transfertur die 28 Augusti ; quo plenus monachatus per Chartam anni sequentis ei conceditur. Audita illius morte statim prænominati futuræ electionis confirmatores ad Domum Seizensem cito conveniunt, unoque Electorum consensu, Stephanus Senensis, Mediolanensis Domus tunc moderator in Priorem Cartusiæ et hujus obedientiæ Ministrum generalem assumitur et confirmatur. Id citatus autor chronici Montelli ingenue narrat his verbis quæ paulo altius, ne orationis textus abrumpatur, resumenda sunt : « Cum ædificia coquinæ fabricarentur, D. J. de Ferraria occasione cujusdam ordinationis Capituli generalis neglectæ, quæ pœnam infligebat Prioribus absolutionis (absque tamen alicujus criminis denigratione), prioratum amisit in die Decollationis beatissimi Joannis Baptistæ fuitque hospes ad Domum Papiæ : novæ scilicet plantationis quæ ortum sumpsit sub Reverendissimo Patre Domno Christophoro Priore Cartusiæ memoratæ. Qui quidem Prior Cartusiæ ipso anno quo supra, in die beatissimi Augustini, jubente Domino a carnis ergastulo feliciter egressus, vitam (ut speratur) captavit æternam. Quo defuncto Reverendus Pater Domnus Stephanus de Senis, Prior tunc monasterii *Agnus Dei* prope Mediolanum, cum esset unus ex electoribus nominatus infra annum Prioris Cartusiæ sub nostra obedientia, fecit transitum per Venetias. Cujus adventum mox ut audivimus circa finem Septembris, cum esset hic ad festum beati Hieronymi ipse dominus Franciscus Sandæi,

Ut supra, cap. 17.

ANNUS 1398

misimus literas eidem Domno Stephano deprecatorias, hospitanti in domo præfati domini Francisci, ubi omnes personæ Ordinis declinabant, quatenus dignaretur ad nos venire. Qui Prior licet invitus nostras preces non distulit exaudire. Cum autem venisset casumque Prioris absoluti lucide perspexisset, votaque omnium diligentissime et singulorum audisset; omnium concors una fuit voluntas ipsi committere voces de futuro Priore : præmonitus tamen de persona omnibus grata. Mane, valefacto Fratribus, ad destinatum opus concito properavit gradu. Unde cum ad electionem futuri Prioris Cartusiæ, ad hoc Priores electi diligentissime convenissent, concorditer una cum Conventu Domus convenerunt in ipsum reverendum Priorem Domnum Stephanum ; feceruntque eum Priorem Cartusiæ, licet plurimum renitentem, Domni Christophori successorem. Qui mox ut officium Prioratus suscepit strenue solliciteque per omnia exercendum, memor nostrorum votorum præfecit in Priorem hujus Domus venerabilem Patrem Simonem de Pisis, monachum Domus Bononiæ. »

Stephanus Senensis in ejus locum subrogatur.

Process. ms. canonization. S. Cath. c. 7.

Thomas Antonius, Ordinis Prædicatorum, Nostros Stephani electionem meritis S. Catharinæ tribuisse declarat in processu canonizationis ejusdem beatæ virginis : « Non obstantibus, inquit, parentum renitentiis, lætus ac gaudens Cartusiorum Ordinem est ingressus, a quo Ordine tandem, ex laudabilis vitæ processu, et ut æstimatum fuit a pluribus sui Ordinis, meritis virginis Catharinæ, est Generalis effectus, et huc usque supervivens, inter plurima laude digna etiam pro reverentia virginis multa fecit. »

Quid tunc primum egerit.

Lib. III. c. 1.

Quid statim post suam electionem Stephanus egerit, ab ejus panegyriste audiamus : « Ubi magistratum totius Ordinis Vir beatus iniit, unica Dei fretus, fiducia ad privatas publicasque res constituendas animum curamque intendit. In quibus illud primum fuit illi curæ, ut in sui locum Mediolanensis cartusiæ administrandæ Lanfranchinum Osnagensem, singularis virum virtutis sibi mox sufficeret; Montellanis vero Monachis Simonem de Lasca Pisanum præesse

mandaret quem eos jam avere antea cognorat, utpote qui præclara jam inde de eo acceperant, cum Bononiensem cartusiam olim administrasset. Deinde ad stylum se convertens, literas querelarum plenas ad suos Mediolanenses Papiensesque monachos dedit, in quibus se circumventum fuisse in Generalatu obeundo demonstravit, nec sibi tum temporis integrum fuisse vim inferentibus ultra obsistere; præsertim cum non exigua spe sustentaretur fore, videlicet ut brevi eos reviseret; cum nihil sibi æque esset in optatis ac videre universalem Ordinis consensionem, cui certe procurandæ tum vel potissimum se operam daturum persancte pollicitus erat. Postremum ad Mediolanensium Ducem epistolam texuit, qua tota de re illum docuit quam diligentissime, eumdem enixe precatus, ut pro ea qua tantopere prosequebatur Cartusianam familiam benignitate, pergeret in ea sua autoritate fovenda, officiis ornanda. »

ANNUS 1398

IV. Hoc anno illustris vir Franciscus Aranda, spretis hujus mundi illecebris, factus est humilis frater Donatus in cartusia Portæ Cœli, cum prius Conventum illius Domus sex* Monachis auxisset, confecta in hunc finem sufficienti dote. Ejus adolescentiam et apud Reges Aragoniæ gratiam ac denique conversionis illius modum Joannes Civera, ejusdem monasterii Monachus, post vitam Bonifacii Ferrerii sic enarrat : « Convenienter quidem post vitam Patris Bonifacii, vitam nobilis viri Francisci Aranda, Donati præsentis Domus Portæ Cœli, scribere oportet : sequitur enim discipulus magistrum et filius patrem. In religione enim habuit hic præclarus vir magistrum Patrem Bonifacium, et in itineribus quæ pro bono Ecclesiæ universalis peregit socium fidelissimum. Ortus est igitur in civitate Terulensi anno 1346 ex nobilibus ac divitibus parentibus, Petro videlicet Fernandez de Aranda et Sanchia Perez. Morabantur nobiles isti conjuges in vico qui vulgo dicitur « Divitum hominum », et nati sunt eis tres filii : nempe Petrus, Joannes et Franciscus. Joannes fuit Jurisperitus insignis et valde honoratus ; sed noster Franciscus cæteris fratribus præstantior evasit. Educatus est a

FRANCISC. ARANDA FIT DONATUS PORTÆ CŒLI.

* *rectius :* septem.

Histor. ms. Portæ Cœli, cap. 7.

ANNUS
1398

Curiæ Regum Aragonens. addicitur,

parentibus in omni virtute et urbanitate, et cum esset ætatis annorum quindecim, cum decenti famulorum comitatu miserunt eum ad curiam regis Petri Aragonum IV, ut illi ac serenissimis Principibus ejus filiis ministraret; atque illorum gratia et benevolentia adepta, divitias et honores amplissimos ab eis adquireret et impetraret. Nec fraudati fuerunt parentes ejus a sua spe, nam post paucos annos ob urbanitatem et serenitatem ejus in ministrando, Infans Martinus, secundus filius Regis, constituit eum præfectum equorum suorum, sic enim vocat eum Hieronimus Zurita historiographus (in Annalibus Aragoniæ) prima vice qua de eo mentionem facit. Scribit enim quod dum rex Petrus morti appropinquaret, uxor ejus regina Sibilla de Forcia timens male tractari a filiis Regis (et non suis) post ipsius mortem, congregatis multis divitiis et permulta supellectili pretiosa occulte aufugit. Insecutus est autem eam Infans Martinus cum suo equorum præfecto Francisco Aranda, et comprehensam cum sequacibus suis reduxerunt in palatium. Mortuo rege Petro successit ei in regno filius ejus major Joannes, dux Gerundensis. Et cum eo tempore Infans Martinus profecturus esset in Siciliam quia rebellaverat insula, noluit rex Joannes quod Franciscus Aranda abiret cum eo, sed quod esset secum a consiliis, sperans posse juvari ab eo in regni negotiis tractandis. Placuit et hoc Infanti Martino, ut eo absente noster Franciscus fidenti animo assistere posset Dominæ Mariæ ejus uxori, et ut sollicitaret subsidium militum quod Rex ei missurus erat ad prosequendum bellum. Utrique muneri perfecte satisfecit noster Franciscus : nam ducissæ Mariæ tam fideliter inservivit ut una vice providerit ei ex sua pecunia quingentos florenos auri pro necessitatibus occurrentibus ; in quorum remunerationem et gratitudinem tanti servitii dum jam esset Regina, ipsa et vir ejus rex Martinus dederunt illi salinas Armillarum prope civitatem Terulensem sitas, de quibus infra tractabimus. Et de subsidio militum mittendo in Siciliam ita sollicitus fuit, ut ipsemet Valentiam venerit, ubi congregata

quibus magno usui fuit in multis.

militum copiosa multitudine, in insulam Siciliæ eam miserit cum omni celeritate. ANNUS 1398

« Regi quoque Joanni fuit valde gratus tantæque apud eum æstimationis et confidentiæ ut unius filii sui parvuli curam ipsi commiserit, ad educandum bonis moribus et documentis sicut Principem decebat. Quod certe munus honorificum, magnum illi aditum præstabat ad majora speranda et consequenda. Deus autem qui omnia ad nostram utilitatem ordinat et disponit, quique Franciscum nostrum ad altiora evehere decreverat, permisit illi quoddam infortunium evenire quod totius salutis initium illi fuit. *Regis offensam subit,* Nam quadam nocte dormiente cum parvulo Principe cum omni sospitate et valetudine, facto mane invenit eum juxta se mortuum, causam obitus ejus omnino ignorans. Turbatur Rex cum omni curia propter infausti casus eventum, et licet inquisitione diligenti facta innoxius repertus fuisset Franciscus Aranda, nihilominus captus fuit et ductus ad arcem oppidi Morellæ ibique in carcerem trusus, *et in carcerem truditur.* ubi quamdiu prædictus rex Joannes vixit detentus fuit.

« Solet frequenter Dominus noster electis suis revelari et innotescere mediis tribulationibus et ærumnis juxta illud Psalmi : Imple facies eorum ignominia et quærent nomen tuum, Domine. Ps. 82, 17. Nam adveniente adversitate, homo in se reversus et res humanas ærumnis acerbitatibusque plenas considerans, oculos suos ad Deum levat, Deum invocat et in ipsum affectum suum reponit. Hoc eodem modo dignatus fuit Omnipotens illuminare et convertere Equitem nostrum. Cum enim se captum carcerique mancipatum, et a tanto honore felicique statu absque culpa sua in puncto privatum cerneret, cognovit quam vana sit gratia Principum, quanto labore acquiritur, quanta vigilantia conservatur et quam facile amittitur. David enim dicit : Nolite confidere in Principibus, in filiis hominum in quibus non est salus. Ps. 145, 2. Considerabat insuper quam brevis et incerta esset hominis vita (inductus præmaturæ mortis Principis exemplo), quam terribile extremum judicium, quam horrendum ac formidabile

ANNUS
1398

Tunc plene ad Deum convertitur.

æternum supplicium. Hujusmodi considerationibus et inspirationibus illuminabat Deus animum ejus ad discernendum et judicandum inter terrena et cœlestia, temporalia et æterna. Quapropter jam lectioni et colloquiis Religiosorum delectabatur, orationi et piis exercitiis vacabat, et frequentius ad altiora cor levabat, magnos progressus se facturum in Dei obsequio promittens si Deus ipse de illo carcere illum liberare dignaretur : et hæc concepta desideria dilatione quotidie crescebant et augebantur donec rex Joannes infeliciter obiit; nam in venatione lupum quemdam persequens ab equo cecidit et subito mortuus fuit, et hoc accidit anno 1396.

E custodia emittitur.

« Mortuo rege Joanne absque liberis, successit ei in regno Infans Martinus frater ejus ; qui cum eo tempore Siciliæ (sicut diximus) esset dum factum illi nunciabatur, Domina Maria uxor ejus ab omnibus ut Regina vocata et venerata fuit. Cumque Franciscum nostrum valde diligeret, statim libertate eum donavit, ac regium consiliarium constituit. Quod postmodum rex Martinus laudavit et approbavit ac ad altiores honores et dignitates eum evecturum significavit. Ille vero ita eruditus erat ex præteritis et edoctus a Deo, ut cum mundus illi arridere videbatur, tunc eum contemnere ac relinquere cogitaret, et ex tanti honoris sublimitate ad profundum humilitatis et abjectionis statum descendere : videlicet induendo habitum Donati in hac præsenti Domo. Et ne in posterum aliqua tentatione vel eventu impeditus propositum mutare potuisset, dum esset in quadam ecclesia civitatis Barcinonæ accessit ad altare sanctæ Annæ, et ma-

Cartusiensium Donatorum vestem induere vovit,

nibus super aram positis, vovit Deo se omnia relicturum et habitum et statum Donati in Domo Portæ Cœli assumpturum. Et hoc factum fuit anno 1396. Et non multo post scripsit Priori et Conventualibus petendo cum omni humilitate quatenus dignarentur recipere eum in suum consortium; et ut illis statim benefacere inciperet præcepit construi unum claustrum novum suis sumptibus cum septem cellis, et pro sustentatione Religiosorum qui in eo victuri erant dedit triginta quinque mille solidos; insuper bono animo promisit

se daturum quotannis quamdiu viveret quinquaginta scuta in festo Natalis Domini, pro necessitatibus Domus sublevandis. Et statim ut rescivit promptam voluntatem Conventualium, qua illum admiserant in Donatum, cœpit res suas disponere ac dispensare ne eum postea inquietarent. Ordinatisque omnibus, petiit licentiam Regi et Reginæ ad discedendum a curia ; sed quia triginta duobus annis eis diligentissime ministraverat, amabant eum tenerrime, quapropter non sine lacrymis discedere et abire permiserunt, commendantes se suis orationibus. Ipse vero divina comitante gratia ac bono Angelo ducente, venit ad hanc Domum et cum omni humilitate et devotione accepit habitum Donati die ultima mensis Januarii 1398. Quinquaginta duorum annorum erat vir iste quando habitum Religionis induit, quem ad instituendum et dirigendum in via perfectionis et virtutis commendavit Prior Patri Bonifacio Ferrer, cujus institutione et informatione credendum est brevi multum profecisse ; maxime cum homo esset ipse præclari judicii, bonæ indolis et largæ experientiæ rerum mundanarum. Unde abnegationem suiipsius viriliter aggressus fuit, bellum apertum indicens cum vitiis et concupiscentiis suis ita ut dicere posset cum Apostolo : Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus cum quo sum crucifixus.

ANNUS 1398

quod et paulo post opere complevit.

« Cum liber in quo continebantur Vitæ primorum Religiosorum hujus Domus perierit, ubi descriptæ erant particulares virtutes hujus servi Dei, hinc est quod modo ego novissimus explicare eas cogor ex quibusdam verbis vel clausulis quæ in antiquis scripturis archivi nostri reperiuntur, vel in Historiis regni Aragonum obiter de eo narrantur. Scribitur igitur de illo quod erat valde humilis, devotus et supra modum paupertatis amator ; etiam cum senuisset, utensilibus et supellectilibus cellæ adeo abjectis et vilibus utens, ut alii minus mortificati illis erubescerent. Et inde fiebat ut veteribus ac resarcitis vestibus (etiam coram Papa et Rege) oblectaretur. Et licet propter ætatem et habitationem quam habebat in claustro cum Monachis, non fuerint ei

Eximiæ ejus virtutes.

ANNUS 1398

impositæ obedientiæ quas Conversi et Donati exercere solent, erat tamen tanta ejus animi humilitas et suiipsius contemptus ut multoties panem et alia occurrentia distribuenda per cellas Religiosorum et in refectorio ipsemet lætus ministraret; non sine magna fratrum suorum ædificatione et exemplo, scientes personæ suæ gravitatem. Dicunt etiam quod erat valde misericors erga desolatos et pauperes, illis compatiendo ex corde, adeo ut illorum indigentiam contemplans ab oculis ejus dulces lacrymæ defluerent. Testantur denique virum illum fuisse eximiæ bonitatis, singularis prudentiæ, perfectæ mortificationis, magnæque sanctitatis ut verum Dei servum decebat. Quibus verbis si bene pensentur, multa in ejus commendationem dicuntur.

Licet Donatus, tamen solemnem professionem fecit,

« Peracto suæ probationis tempore, licet habitum et statum Donati suscepisset, tamen ad instar Monachorum et Conversorum solemnem professionem inter Missarum solemnia emisit. Et quia hoc inusitatum et insolitum aliquibus forte apparebit, referam fideliter verba antiqui Libri Benefactorum antiquorum qui scriptus et completus fuit per Priorem hujus Domus decem annis post mortem dicti Francisci Aranda, ubi perspicue et aperte hoc testatur : « Prædictus autem honorabilis vir ad hanc Domum grandi cum devotione veniens, quamvis non fuerit susceptus in Donatum eo modo quo Donati Ordinis nostri secundum Statuta nostra suscipi consueverunt, semper tamen in hac Domo et in toto nostro Ordine Donatus Portæ Cœli vocatus fuit; sicut per literas sibi a Patre nostro Cartusiæ et ab aliis magnatibus directas liquide apparet et in multis Actibus Ordinis evidentius probatur. Qui etiam ex singulari devotione et de consilio sui magistri D. Bonifacii Ferrer, caputium Conversorum in ecclesia et cæteris Monachorum officiis jugiter gestabat. Qui nihilominus ex licentia eidem a R. P. Domno Cartusiæ concessa, in festis duodecim lectionum primam lectionem legebat; Capitulum Monachorum intrabat, refectorium eorumdem frequentabat et cum eisdem edebat. In omnibus etiam colloquiis publicis et privatis, et Domus tractatibus

et chorum Monachorum frequentavit.

interesat, votumque suum emittebat. Qui etiam ut religiosam in Domino duceret vitam, atque per vitæ arctitudinem appropinquare magis Deo posset, illa tria vota quæ quilibet Religiosus in sua professione facit, in quibus omnis perfectio totius religionis consistit, Priore hujus Domus Missam tunc celebranti verbo tenus ad cornu altaris, ut moris est Ordinis, emisit. » Quæ verba nullum dubitandi locum admittunt an fecerit professionem solemnem necne. Sed quod animadversione dignum judico est quod dicitur, portasse caputium Conversorum ex persuasione D. Bonifacii magistri sui in actibus conventualibus. Unde colligitur ante illud tempus Donatos non usos fuisse Caputio albo in actibus conventualibus; nam si uterentur jam, non oportebat tanquam novum quid illud adnotare. Et inde pro certo habeo tunc sumpsisse principium forma habitus Donatorum quo utuntur in Hispania. »

ANNUS 1398

Quomodo quadriennio post, Franciscus, sacra solitudine derelicta, ad aulam Benedicti XIII se transferre coactus fuerit suo dicemus loco.

PIE MORITUR H. HOLTZMINNE.

Apud Ephemer. Cartusian. ms. II; p. 621.

V. Ad meliorem vitam hoc anno translatus est Hermannus monachus et sacerdos Domus Coloniæ, in cujus Chronico hæc de eo habentur : « D. Hermannus Holtzminne natione Westphalus, patria Burensis, presbyter ac parochus in Dornebach diœces. Paderbornensis, cum matura jam esset ætate ac sæculi hujus quiete, pace ac commodo temporali haud mediocriter floreret, attendens prudenter veram sapientiam non in terra suaviter viventium inveniri sed de occulto trahi; præsentis vitæ blanditiis calcatis, ad pretiosæ margaritæ (æternæ scilicet vitæ) fulgorem mentis aciem attollens, solum proprium deseruit et ad monasticæ conversationis disciplinam aspirans, dimissis omnibus, Deo militaturus Ordinem nostrum Coloniæ assumpsit anno 1374, in quo annis fere 24 sic laudabiliter sine reprehensione vixit ut vita ipsius et conversatio sancta aliis esset in exemplum. Ministerium quoque ejusdem in diversis officiis adeo utile fuit huic Domui, ut circumspectione, diligentia, providentia, et labore ejusdem

ANNUS 1398

gravi ac multiplici, hæc eadem a debitis quibus gravabatur exuta, ad fundamentum bonum et stabile perducta fuerit. Cessit e vita Vicarius anno 1398, 12 Junii. » Hactenus chronicon cartusiæ Coloniensis.

PARITER ET JOAN. LUSTODE, ANGLUS.

Sect. XIV, cap. 15.

Primus Provinciæ Angliæ Visitator indigena.

Ex Charta 1368.

Ex Charta 1370.

VI. Hermannum triduo post in cœlum secutus est Joannes Lustode, quem Harpsfeldius Lascotum nominat, vir eximius et observantiæ studiosissimus. Hic circa annum hujus sæculi sexagesimum Domus Loci Dei de Hentonia in Anglia (ubi et professionem emisisse creditur) factus Prior, tanta suæ in regendo prudentiæ indicia præbuit, ut primus meruerit qui ex indigenis Visitator institutæ recens Provinciæ sub nomine Angliæ præficeretur. Ad quod onus facilius supportandum, preces etiam pro eo, quod rarissime posthac factum est, per totum Ordinem indictæ sunt. Florente sub vigilantissimo moderatore in tribus Domibus quæ tunc extabant Cartusiana disciplina, multi Principes ac Nobiles nostrorum pietate allecti, vel Domos jam ædificatas auxerunt vel novas condiderunt, ita ut ante suam mortem sex suis curis et laboribus ædificata monasteria Joannes viderit. Primum ex eis fuit cartusia Londoniensis, cui etiam fundatoris efflagitatu Protoprior præfectus est, ut diximus, anno septuagesimo præsentis seculi. Ejus sapientiam et industriam ac zelum tanti faciebant Patres, ut per Chartam qua e regimine Hentonensi ad Londoniense translatus est, admonuerunt, ut « ad eum recurrerent omnes Domus Angliæ circumstantes pro suis negotiis. Voluntque ut remaneat ei potestas et autoritas quam habebat existens Prior Loci Dei ; et ut de omnibus in quacumque disciplina per totam Angliam constitutis possit ordinare et disponere, prout sibi videbitur expedire. » Orto in Ecclesia schismate, totis viribus Joannes enixus est quominus sui Cartusienses a matre Ordinis avellerentur. Verum toto regno Urbano VI adhærente, coactus est et ipse Capitulum generale eidem Pontifici Romano subjectum agnoscere ; a quo et plena potestate donatus, Ordinis observantiam in pristino vigore assiduis laboribus ubique retinuit. Denique transactis in Prioratu quadraginta

et in officio Visitatoris triginta et amplius annis, cum ob confectam ætatem aliis inutilem se crederet, saltem sibi soli profuturus, obtenta a Commissariis per Capitulum generale delegatis absolutione, solitudinem repetiit in qua novo fervore pia Cartusiensium exercitia per anni spatium executus, sancte ut credimus obiit die 15 Junii ; ab Urbanistis Patribus plenum consecutus monachatum, quem post reconciliatum Ordinem per universas Domos Patres denuntiarunt.

ANNUS 1398

VARII VARIORUM BENEFACTORUM OBITUS.

VII. Ex amicis Ordinis amisimus hoc anno, ex parte Clementinorum : Hugonem de Sancta Pace militem, camerarium Regis Aragoniæ. Odoardum de Charayro, militem. Matthæum Columier, sacerdotem et Canonicum Ecclesiæ Gebennensis, « pro cujus anima dicat quilibet sacerdos unam Missam defunctorum, ultra tricenarium. » Petrum Sorelli sacerdotem et notarium Regis Franciæ. Droconem Felicis, consiliarium Ducis Burgundiæ. Margaretam dominam de Capreolis. Et ex parte Urbanistarum : Joannem de Lichtenstein militem, in Germania. Angelum Michaelem, civem Venetiarum et Joannem de Cisnavia civem Viennæ in Austria. Qui omnes tricenarium habent in Chartis hujus anni, singuli sub obedientia Pontificis cui parebant.

Joannes, cardinalis Ostiensis.

Hos omnes secutus est Joannes de Novo Castro, Ostiensis episcopus, cardinalis a Clemente VII factus, singularis nostri Ordinis amicus ac præcipue Domus Villænovæ, in qua et sepultus est benefactor. Hunc S. Antoninus, et post eum Ciaconius et plures alii asserunt fuisse Ordinis Prædicatorum ; at Franciscus Duchesnius, ex vetusta imagine quæ Joannem repræsentat Cartusiensi veste indutum, putat eum ex Dominicanorum Ordine ad nos transiisse. Richardus Hamburgensis, nulla facta Ordinis Prædicatorum mentione dicit eum Cartusiensium Regulam observasse, et eorum habitum sub cardinalitia veste detulisse. Verum cum hi autores, et ut verisimile est ipse imaginis pictor, sancti Antonini ac Joannis ævo sint recentiores, facile crederem eos ex vitæ austeritate, cilicii usu, frequenti cum Cartusiensibus consuetudine, ac tandem electa apud cartusiam Villæ-

Antiq. Gall. Belgic. Lib. VI, sub 73 Epp. Virdunens.

An fuerit Cartusianus, dubitandum.

ANNUS 1398

novæ sepultura deceptos, eum nobis adscripsisse ; quem etsi nostri Instituti imitatorem, professorem tamen asserere non audeo, donec votorum inter Nos nuncupatorum certior autoritas appareat. Ejus obitus recensetur in Charta anni sequentis cum pleno monachatu sub die 4 Octobris ; sed in veteri calendario Majoris Cartusiæ ad XI Calendas Novembris sic lego : « Sub anno MCCC nonagesimo nono consecutus fuit monachatus pro uno Cardinali de Novo-Castro, anima cujus requiescat in pace. Amen. Sunt duo psalteria et quinquaginta psalmi. »

DOMUS MONTIS GRATIÆ IN ANGLIA ÆDIFICATUR.

VIII. Fundatur hoc anno in Anglia cartusia Montis Gratiæ de Ingelby, in agro et diœcesi Eboracensi, haud procul ab oppido Northalvertoniæ, infra manerium seu prædium de Bordelby. Primus eam erexit Thomas Holland, dux Surreiæ, pro quo et Thoma de Mowbray Nottingamiæ comite Domus Axelhomensis fundatore preces per Chartam Seizensem hoc præsenti anno denunciantur his verbis : « Pro illustri Principe et domino Duce Surreiæ de Anglia et pro domino Comite Nottingamio ibidem, qui cœperunt ædificare duas solemnes Domos Ordinis nostri, fiat tricenarium de Spiritu Sancto. » Statimque Literas dotales curavit confici sub hac forma : « Universis sanctæ Matris Ecclesiæ præsentes Literas visuris vel audituris, Thomas de Holand, dux Surriæ, comes Kantiæ ac dominus de Walke, salutem in Domino sempiternam. Cum pium et meritorium sit pro parentibus cunctisque Dei fidelibus opera charitatis administrare, et jam a primæva ætate in mente habuimus et desideravimus, Deo inspirante, cultum divinum augmentare, et quia credimus et veraciter scimus quod omnes status et ordines Sanctæ Ecclesiæ boni sint et devoti ; tamen, inspirante Deo, specialem devotionem et potissimam affectionem gerimus ad sanctissimum Ordinem Cartusiensem, cujus observantias sanctas et singulares, atque personas in eodem Ordine degentes, non solum diligimus sed valde miramur ; quorum numerum, gratia divina cooperante, augere cordialiter peroptamus. Idcirco sciatis quod ob reverentiam et honorem

Carta fundationis.

Monasticon. I, 698.

Cartusiensem Ordinem admiratur Fundator.

ANNUS 1398

Dei, et suæ sanctissimæ Matris et virginis Mariæ, et sancti Nicolai, et ob affectionem quam habemus ad festa Assumptionis ejusdem gloriosæ Virginis et beati Nicolai, et ob affectionem quam gerimus ad sanctam Religionem supradictam : nos prædictus Thomas dux, de licentia regia, per præsentem cartam nostram fundamus et facimus unam Domum Monachorum ejusdem Ordinis Cartusiensis, infra manerium nostrum de Bordelby prope Cleaveland, in Comitatu Eboracensi, quam vocamus et vocari volumus in futurum Domum Montis Gratiæ de Ingelby, in honorem et perpetuam memoriam benedictorum festorum * præscriptorum. Volumus etiam quod unus Monachorum dictorum vocetur Prior ; et per assensum Prioris Majoris Cartusiensis Ordinis prædicti, facimus Domnum Robertum Tredewy Priorem nominatum Domus nostræ prædictæ ; et donamus et concedimus, et per hanc præsentem cartam nostram confirmamus, in puram et perpetuam eleemosynam dicto Priori nominato et suis Monachis præfatum manerium nostrum de Bordelby cum suis pertinentiis pro eorum inhabitatione communi ibidem facienda, habendum et tenendum totum prædictum manerium cum suis pertinentiis præfato Priori et Monachis et eorum successoribus in perpetuum. Volumus insuper et ordinamus quod prædictus Prior et Monachi et eorum successores habeant specialiter in Missis, orationibus et aliis divinis recommendatum statum illustrissimi regis nostri Domini Ricardi secundi, et Isabellæ illustrissimæ reginæ et consortis ejusdem Regis, et statum nostrum et Johannæ consortis nostræ carissimæ et hæredum nostrorum, et Joannis de Holland ducis de Excestria, et Joannis de Ingelby et Ellenæ uxoris suæ, quamdiu sumus in hac vita ; et orent et celebrent pro animabus nostris cum ab hac luce substracti fuerimus, et pro animabus progenitorum et hæredum nostrorum, et pro animabus Annæ nuper illustrissimæ reginæ et consortis illustrissimi Regis prædicti, Edmundi quondam comitis Kantiæ et Margaretæ uxoris ejus, Joannæ nuper Principissæ Walliæ aviæ nostræ, Thomæ

* Sanctorum.

Vult Monachos Domus orare pro se et ejus familia et Rege.

ANNUS 1398

de Holland nuper comitis Kantiæ patris nostri, necnon Aliciæ matris nostræ, et pro animabus antecessorum et hæredum nostrorum, et pro animabus Thomæ de Ingelby et Katerinæ uxoris suæ, Willielmi et Margaretæ de Aldeburg, et Willielmi, Alianoræ, Agnetis, Margaretæ Anthorpe...; necnon pro animabus omnium pro quibus orare tenemur et cunctorum fidelium defunctorum. Et nos prædictus Thomas dux et hæredes nostri, totum prædictum manerium cum suis pertinentiis prædicto Roberto Priori nominato et Monachis suis et eorum successoribus contra omnes gentes warrantizabimus, acquietabimus et defendemus in perpetuum. »

Rex Ricardus huic Domui benefacit.

Hanc Thomæ fundationem non solum confirmavit Richardus, sed eam ad petitionem Thomæ, tribus Prioratibus, videlicet de Hinkley in comitatu Leycestrensi, de Warham in comitatu Dorsetensi et de Caresbroke in comitatu Suththamptoniensi, ad abbatiam B. Mariæ de Lira in Normannia pertinentibus et propter bella inter utrumque regnum proscriptis, augere voluit. Extat hujus dotis accessionis diploma regium apud idem *Monasticon*. Sed hujusmodi Regis liberalitate vel nunquam Nostri usi sunt, vel statim iisdem terris spoliati sunt ; sive quod induciis inter Gallos et Anglos habitis proscripta bona suis dominis restituta sint, sive quod Richardo rege haud multo post regnum et vitam amittente, hujusmodi donationes effectu caruerint. Ut ut sit, constat Prioratus præfatos ab Henrico V rursus tanquam ad alienigenas monachos spectantes et recens tunc fisco adjudicatos, in dotem cessisse Shenensis cartusiæ ut suo loco dicturi sumus. Hinc igitur lentiori gradu surgebat novæ Domus ædificatio, atque in cumulum miseriæ, dum Dux fundator Richardum regem captivum in libertatem regnumque restituere occultis conspirationibus machinatur, iis detectis dum fugit a populo furente securi percutitur anno M CCCC., nulla relicta prole ex Joanna uxore sua quæ vidua marito diu superfuit ; mortua tantum anno 1443, ut probatur ex Charta ejusdem anni in qua vocatur « Comitissa Kantiæ, prima

Fundator misere perit.

Walsingh. ad ann. 1400.

fundatrix Domus Montis Gratiæ. » Hæres fundatoris fuit Edmundus frater ejus, Angliæ archithalassus, anno octavo sequentis seculi in Britannia Armorica occisus : cujus bona inter se diviserunt quinque sorores ex quibus Eleonora, comitissa Marchiæ magna fuit Majoris Cartusiæ benefactrix. ANNUS 1398

Cum Thoma misere interiit Joannes de Holland, Huntingdoniæ comes et Exoniæ dux, patruus ejus. Hic ex Elizabetha Joannis ducis Lancastriæ filia alterum genuit Joannem, quem Henricus VI rex, in integrum restitutus, Exoniæ ducem creavit ; quam dignitatem reliquit unico filio Henrico, Annæ (benefactricis Ordinis) Eduardi regis sororis marito, in prælio Barnettensi sine liberis extincto : cum prius Eboracensium Principum iram fugiens, eo miseriæ adactus fuisset, ut laceris vestibus nudisque pedibus in Belgio victum quærere visus fuerit, ut testatur Philippus Cominæus, qui se eum in hoc misero statu vidisse affirmat. De ejus uxore alibi dicemus. Talis fuit exitus et finis celeberrimæ Hollandorum familiæ. Quorum casus eo gravior ac miserabilior fuit quo altiorem feliciorem que experti fuerant fortunam. Eos jam inter Nobiles annumeratos seculo duodecimo reperio apud Monasticon Anglicanum. Sed sub Eduardo II, Roberto de Holland de paupere milite in sublimem ac divitem baronem erecto, cœperunt primas regni dignitates occupare, ita ut Thomas de Holland, filius Willelmi baronis, qui fuit præfati Roberti frater, uxorem duxerit Joannam regii sanguinis principem feminam, Comitatus Kantiæ hæredem, quæ mortuo priore marito, nupsit Eduardo celeberrimo illi Walliæ Principi. Hæc vero fuit avia Thomæ Montis Gratiæ fundatoris.

Camdem, in Comitatu Devon. et Huntingdon.

Capit. 50.

Tom. I. 772, 808 et passim.

Knyghton, ad ann. 1321 et 1328.

Quo mortuo, ut diximus, cœptum cartusiæ opus intermissum plane fuisset, nisi Joannes de Ingelby, de quo fit mentio in supradictis fundationis Literis, illud absolvendum in se suscepisset. Quod quidem colligimus ex Charta anni 1409 quæ ei etiam primi fundatoris nomen adscribit : « Obiit dominus Joannes de Ingelby primus fundator Montis Gratiæ in Anglia. » Idem titulus ei et Thomæ tribuitur a Speedio :

Novus surgit fundator.

ANNUS 1398

« Montis Gratiæ, inquit, fundatores Thomas Holand, dux Surreiæ, comes Cantiæ et dominus de Wake; et Joannes Ingelby armiger, anno Domini 1401 » ; quo anno videtur Joannes inchoatum opus prosecutus fuisse. Quæ vero præterea contulerit bona et reditus hactenus nos latet, ea tamen tanta fuere, ut sequenti post illius mortem anno, impulerint Diffinitores ad Domum Ordini adscribendam his verbis :

Ex Charta 1410.

« Ad laudem omnipotentis Dei gloriosæque Virginis Mariæ, omni via, modo et jure quibus melius possumus et debemus, eamdem Domum Ordini nostro sancto in Dei nomine incorporamus, illamque appellari volumus Domum Assumptionis B. Mariæ in Monte Gratiæ ; præficimusque in Priorem dictæ Domus D. Nicolaum Louf antea Rectorem. »

Diploma regium in hujus Domus favorem.

Rebus ita bene dispositis, dum novi Cartusienses vitæ solitariæ exercitiis toto conantur studio incumbere, foris interim exagitati, varias per plures annos ab extraneis passi sunt perturbationes usque ad tempora Henrici VI regis qui, fundatione suo diplomate approbata et confirmata, omnem hanc procellam compescuit :

Monastic. I. 969.

« Rex omnibus, etc... salutem. Sciatis quod cum dilecti nobis in Christo Prior et Conventus manerii Domus Assumptionis B. Mariæ de Mountgraze, Ordinis Cartusiensis, in comitatu Eboracensi, per quamdam petitionem suam nobis in ultimo Parlamento nostro exhibitam, nobis monstraverunt qualiter monasterium suum prædictum, tempore Domini Ricardi nuper regis Angliæ II post conquestam, anno regni suo vicesimo, per licentiam suam in villa de Bordelby per venerabilem dominum Thomam ducem Surregiæ fundatum extitit; idemque Dux tempore fundationis illius eamdem villam quæ facit manerium de Bordelby, et quæ valoris annui decem marcarum vel circiter extitit, prædecessoribus prædictorum Prioris et Conventus et successoribus suis donavit in perpetuum, ac non diu post quod ipse monasterium prædictum incœperat ædificare, obiit : qua de causa monasterium illud in magna sua parte ædificandum extitit ad ipsorum Prioris et Conventus, et servientium suorum non

modicum nocumentum et damnum ; idemque Prior et Conventus ulterius procedere in ædificatione monasterii sui prædicti, pro malignitate et indispositione temporis, præsertim ipsorum qui fingere titulos et querelas, et gentes simplices absque jure seu causa turbare non curant aut non desistunt : unde nobis humiliter supplicarunt ut præmissis consideratis, ad ipsum Priorem et Conventum et successores suos, ab omnibus perplexitatibus et dubiis ponendis, vellemus ex certis considerationibus eadem petitione specificatis, per assensum Dominorum spiritualium et temporalium ac communitatis Regni nostri Angliæ in dicto Parlamento existentium, donationem et concessionem prædictas per dictum fundatorem factas, etc., ratificare, etc., approbare, etc. » Hanc Regis approbationem Nostri obtinuerunt, urgente maxime Joanna comitissa Kantiæ, primarii fundatoris uxore de qua jam supra.

ANNUS 1398

Inter præcipuos hujus Domus benefactores, primum meretur locum Henricus V fundator Shenensis cartusiæ, qui in Literis suæ fundationis annuam centum librarum pensionem Monti Gratiæ assignat ut ibidem legere erit.

Domus Benefactores.

Joanna, Caroli II regis Navarræ filia, Joannis ducis Britanniæ primum, deinde Henrici IV regis Angliæ uxor, quasdam possessiones in compensationem bonorum Prioratus de Warre, ad dotem hujus Domus olim constitutorum, et a rege Henrico V Shenensi postea addictorum largita est, de quibus in quadam Charta capitulari mentio sic habetur : « Cum D. Joannes Windrington (qui fuerat primus cartusiæ Shenensis Prior) per literas missas Capitulo generali testificetur et asserat, quod Domus de Bethleem (Shene) sufficienter fundata sit, esto quod careat possessionibus alienis ; Domusque Montis Gratiæ sit privata tam possessionibus de Warra sibi in primæva sua fundatione assignatis, necnon sit etiam privata possessionibus reginæ Joannæ in recompensationem sibi factam pro possessionibus de Warra, nullusque debeat cum aliena jactura ditari : ordinamus ut Domus de Bethleem apud Regem procuret satisfactionem et recompensationem

Ex Charta 1424.

ANNUS 1398

faciendam Domui Montis Gratiæ; aut saltem solvat pensionem centum librarum prædictarum, vivente Joanna regina, Domui Montis Gratiæ : qua mortua, secundum ordinationem Reginæ debet ipsa Domus Montis Gratiæ possessiones dictæ Reginæ recuperare. » Ex his patet Joannam adhuc vixisse anno 1424 quo hæc ita sancita sunt. Quandonam vero obierit non habent Sammarthani. Thomas de Beaufort Henrici IV frater, dux Exoniæ, quinque cellas in hac Domo fundavit. Henricus de Clifford, baro Angliæ, quinque pariter Monachos cum eorum cellis suis sumptibus extructis dotavit. De utroque plura alibi.

Hist. Franc. Lib. XIV et XXI.

INITIA CARTUSIÆ APUD ROSTOCK.

IX. Hoc quoque anno fundatur cartusia Legis B. Mariæ apud Rostochium, urbem hanseaticam in Ducatu Megalopolitano et diœcesi Sverinensi. Hermannus Bonnus, in Chronico urbis Lubecæ ejus initia rejicit ad annum sequentem. « Anno, inquit, 1398 monasterium Arrisbokenum (quod est Lubecensis cartusia) extructum est, ac proximo anno cartusia Rostochii quoque ædificari cœpta. » Verum sicut anno superiori probavimus Domus Lubecensis fundationem ad eumdem referendam esse, sic consequens est, juxta mentem ejusdem autoris, ut cartusiæ Rostochensis ortus ad præsentem pertineat. Et hæc etiam est opinio tum Alberti Krantzii in sua *Metropoli,* tum incerti autoris in Chronico Slavico, qui eumdem annum ponunt. Nulla quidem de ea fit mentio in nostris Chartis ad hunc annum, sed ex verbis Chartæ subsequentis satis apparet eam ante inchoatam fuisse; siquidem jam habebat Rectorem quem sic patres alloquuntur : « Rectori Domus novæ plantationis de Rostock non fit misericordia ; et injungimus sibi ut fundatores suos accedat et eis seriose exponat, quod si non sollicite intenderint ad perfectionem dictæ fundationis, Ordo quantocius providebit de remedio opportuno. » Sed ita serio et reapse absolutionem operis ipsi fundatores aggressi sunt, ut tertio post sequens sæculum anno facta fuerit novæ Domus incorporatio his verbis : « Propter bonam relationem quam suscepimus a quampluribus de nova plantatione prope Rostock, et de

Lib. II.

Lib. X, cap. 46.

Ex Charta 1403.

futuro profectu firmiter sperantes, ipsam omni via, modo et jure quibus melius possumus, Ordini nostro incorporamus. Et ipsum D. Joannem Rectorem tenore præsentium præficimus in Priorem. » Nomen vero quod solet cum incorporatione Domibus imponi, ei tantum anno ejusdem seculi duodecimo indictum est hoc brevi secreto : « Domum de Rostock, Domum Legis B. Mariæ nuncupari volumus. » Qui vero fuerit præcipuus illius fundator discimus ex Chartis in quibus ad annum 1406 inter mortuos legitur : « Dominus Mathias de Borken fundator Domus prope Rostock, habens tricenarium ; » quod ad instantiam Henrici de Stinbing Prioris et Conventus ejusdem Domus ei concessum fuisse declaratur in dispositione Provinciarum. Idemque post sedatum schisma rursum denunciatus fuit, nisi forsan filius ejus sit. Inter Benefactores etiam hujus Domus primarios, annumerari potest Rodulphus episcopus Sverinensis, cui etiam anno 1415 defuncto tricenarium Patres impertierunt. Fuerat ille ex Ducibus Magnopolensibus ex quibus aliquot etiam nostro Ordini favisse reperio. Et primum in Charta anni 1452, denunciatur obitus illustrissimæ et magnificæ dominæ Catharinæ ducissæ Magnipolensis, uxoris vel Joannis ducis mortui anno 1423, qui duxerat Catharinam Bernardi ducis Saxoniæ Inferioris sororem, vel alterius Joannis ducis præfatorum conjugum filii, cujus uxor vocabatur etiam Catharina, ex stirpe fundatorum cartusiæ Stetinensis. Prior Joannes præter Joannem, alterum habuit filium Henricum nomine, cui plures nati sunt liberi, ex quibus magnus Dux nostrum Ordinem multum fovit, de quo alibi. Sed quæ tum præfati Principes tum alii fundatores et benefactores ad viginti Monachos alendos bona pie largiti fuerant, Joannes Albertus eadem natus familia, factus Lutheranus, vi abstulit, occupato etiam toto monasterio.

ANNUS 1398

Bucelin. in Stemmate Ducum Magnopol.

Aliorum benefactorum memoria in nostris Chartis habetur ut sequitur : Angelus Sculte et Nicolaus Sculte filius ejus, et parentes eorum, ex Charta 1415. Willelmus princeps Flaviæ inferioris, magnus benefactor dicitur in Charta anni 1437 :

Benefactores.

ANNUS 1398

Baudrand Geograph., litt. F.

ubi sit ille principatus fateor me nescire. Fuerunt quidem, juxta geographos, populi in Pomerania dicti Flavi, unde et ista regio aliquando dicta est Flavia, sed de hoc non videtur loqui Charta ; unde crederem ibi corrupte scriptum Flaviæ pro Sleviæ aut Silesiæ, vel etiam Saxoniæ cujus pars interior suos etiam habet Duces. Henricus Bourne anno 1477, Joannes Bremenman anno 1501, Conradus Cleri consul Rostockensis, et Anna uxor ejus anno 1502. Hic videtur genus duxisse ex magistro Clero qui in Charta 1432 dicitur protonotarius Rostockensis. Joannes Reuchardus et Joachim filius Reuchardi anno 1536. Joannes Stael cum liberis suis ex Charta 1543 ; quo quidem tempore jam satis grande detrimentum hæc Domus a Lutheranis acceperat.

CARTUSIÆ IN SAXONIA ET THURINGIA MULTAS PATIUNTUR MOLESTIAS.

X. Sub idem tempus multi prædones in Germania, maxime vero in Saxonia et Thuringia diversas arces occupantes, inde vicina loca vastabant ; quibus cartusiæ in his sitæ provinciis multas perpessæ sunt molestias, ut patet ex Chartis annorum præcedentium, et maxime hujus anni Charta in qua Priorem Erfordiæ Patres adhortantur « ut habeat patientiam in tribulationibus, angustiis et pressuris suis propter Deum ; et super his quæ scripsit et aliis quæ possunt occurrere propter guerras et malas dispositiones, patriæ Visitatoribus committimus nostram plenam potestatem. » Priori vero Herbipolensi, tum propter eorumdem prædonum incursiones, tum propter continuos motus quibus patria quassabatur, rebellantibus contra Præsulem suum civibus, « conceditur quod cum jam pluries fuerint spoliati bonis temporalibus, possit mittere personas Domus suæ ad alia monasteria Ordinis nostri. » Prioribus quoque Cellæ-salutis et Horti Christi « propter inopiam et paupertatem ac damna quæ ex bellis receperunt, dimittitur taxa Capituli generalis. » Tota enim Suevia armis flagrabat, Nobilibus contra Comites Witenbergenses dimicantibus.

Bucelinus, in Catalogo Episcop. Herbipol.

GERSONII OPUSCULUM : DE NON ESU CARNIUM APUD CARTUSIENSES.

XI. Circa hæc tempora rursum in Nos concitatis invidorum de constanti carnium abstinentia obmurmurationibus, causæ nostræ defensionem suscepit Joannes Gersonius, illu-

ANNUS 1398

stris Universitatis Parisiensis cancellarius. Jam adversarios nostros aggressus fuerat doctissimus Petrus de Alliaco ejusdem Gersonii in cancellarii dignitate antecessor, rogatu Joannis de Gouhenant cartusiæ Luviniaci Clerici Redditi, et olim in seculo potentis militis. At Petrus, variis a Rege sibi demandatis legationibus occupatus, factusque Episcopus, opus nostri gratia incœptum absolvere minime potuit. Quamobrem Gersonius a præfato Reddito flagitatus, Tractatum edidit *De non esu carnium Cartusiensium contra eos qui eosdem ex hoc Statuto tanquam indiscretos et inhumanos judicant;* in quo tractatu rationibus approbat indispensabilem apud eos servari solitam carnium abstinentiam. Hoc opusculum ante annum millesimum quadringentesimum scriptum probatur ex epistola alterius Joannis de Gerson, Ordinis Cœlestinorum, ad fratrem Anselmum ejusdem Ordinis dicto anno data. Illud quoque ante præsentem annum non composuisse innuit ipse cancellarius Gersonius, cum præceptorem suum Petrum de Alliaco dicit nunc episcopum Cameracensem. Constat enim eum hoc ipso anno ex Aniciensi Ecclesia ad Cameracensem translatum fuisse. Huic tractatui præfixa est Gersonii ad nostrum Redditum epistola dedicatoria in hunc modum : « Egregio viro Joanni de Gounant, qui olim in seculo miles insignis, nunc in Christi servitute cum præclara Cartusiensium familia militans illustrius, suus Joannes, cancellarius indignus Ecclesiæ Parisiensis, triumphum beatitudinis adipisci. Tua, sicut opinor, meminit prudentia quemadmodum ab inclyto præceptore meo, nunc Episcopo Cameracensi, pridem postulasti ut per tractatum aliquem, ex jure divino et valida disputatione, compesceret ac refelleret carnales qui cæcis oculis ac spumanti ore latrant in Religionem Cartusiensem, tanquam irrationabilis sit et impia, ob perpetuam eorum de non esu carnium observantiam. Attentavit hoc agere idem præceptor meus, cui in cancellariatus officio et in cathedra successi immeritus ; non tamen ad fundum difficultatis usquequaque pervenit, quod agnoverim : plura enim sibi

Extat ad calcem III Partis operum Joan. Gerson.

Epistola dedicatoria ad fratrem J. de Gounant Cartusiensem.

ANNUS 1398

jugiter superirruebant impedimenta. Quamobrem tui tuæque petitionis non immemor, tandem aliquando, sumpta occasione, in una ex lectionibus meis conatus sum (licet viribus imparibus) satisfacere pio et fervido Religionis tuæ zelo. Quod si perfecerim id quod optavi, gratias illi a quo omne donum optimum et perfectum; sin minus attigerim, suppleant aut corrigant imperfectum meum tui Fratres, Patres mei, et alii profundius sapientes. Bene vale, memor mei in orationibus tuis. Etsi latini forsan eloquii non satis idoneus es auditor, nolito conqueri, quoniam habes copiam interpretum abundantem, prædictos Patres loquor, quorum genibus provolutus, orationum suarum suffragia egens et mendicus expostulo. » Hactenus Epistola.

Laus Ordinis Cartusiensis.

In ipsius vero Tractatus initio sic ait : « Experimur hanc carnalium hominum insaniam tum in multis, tum nominatim erga venerabiles Patres et Fratres de Ordine Cartusiensi, apud quos reperitur, sicubi in Ecclesia, quicquam vestigii reliquerit prædicanda illa priscorum Patrum devotio, admirabilis fervor et sua propemodum incredibilis continentia. Hos namque Cartusienses exagitant nonnunquam imbuti sapientia terrena, animali et diabolica; dicentes contra charitatem denegare sibiipsis, præsertim in infirmitate positis, esum carnium. Vox ista, vox plane illorum est qui suspirabant ad ollas carnium Ægypti, fastidito manna. » Unde per totum Tractatum contendit probare et revera evidenter probat Statutum Cartusiensium de abstinentia a carnibus æquum esse et honestum, rationique ac pietati christianæ plane consentaneum. Quod vero spectat casum necessitatis extremæ in quo tota versatur difficultas, etsi concedat « dabilem esse casum in quo Frater Cartusiensis etiam professus obligaretur vesci carnibus, » modo id fieret extra scandalum, fatetur tamen « rarissime et quasi nunquam » hujusmodi casum evenire posse; unumque (quod forsan a fundatione Ordinis solum et unicum est) exemplum affert cujusdam monachi Cartusiensis qui suctu sanguinis equini, mortem sibi imminentem vitavit. « Contigit, inquit, unum ex Cartu-

Abstinentia a carnibus, æqua et honesta.

siensibus dum equitaret (sive potius, ut fert certa traditio, cum equitando in præcipitium delapsus esset) in tantam semel famam et sitim incidisse, quod de sanguine equi sui biberet ne periret; aliud quippe quo tunc sustentaretur non habebat. Delatum fuit hoc ad reliquos Fratres, qui necessitatem circumspecte attendentes, quæ legem non habet, eumdem absque disciplina vel quavis pœna velut innoxium susceperunt. Quamobrem interrogati, ait idem Gersonius, eorum aliqui excellentes viri per memetipsum, quid agerent ubi in deserto aliquo vel carcere nihil haberent præter carnes ad vescendum : responderunt se comesturos fore absque omni scrupulo, priusquam se mori permitterent. » Deinde concludit abbreviationem vitæ aut sanitatis debilitationem etiam cum evidenti mortis periculo non debere hujus nostri Statuti observationem impedire, casumque sic exponit : « Sit aliquis vir Cartusiensis probatus in ultima ægritudine constitutus, a qua liberabitur si carnibus utatur ; et sciat hoc ipse, seu per revelationem seu per medicorum finalem attestationem, seu quia tale est suum dictamen conscientiæ : animadvertat nihilominus, quemadmodum verisimile est, quod comestione sua Fratres alii vel præsentes vel absentes scandalizabuntur, tum quia insolitum est, tum quia non sufficienter erunt informati de casu necessitatis suæ extremæ ; denique quia tentabuntur vehementer ad exemplum illius assumere sibi carnes in cibos, etiam præter et extra necessitatem extremam : formidabit proinde vir hujusmodi, non absque ratione, ne vigor Ordinis paulatim laxatus tandem funditus evanescat, neque remedii locus habeatur. Quæro si Cartusiensis ille quem loquimur, teneatur, aut saltem jure possit in casu nostro abstinere a carnibus, dum talia pie recogitat, revolvit et formidat ? Æstimo plane neminem sane intelligentium unquam dubitaturum quin hoc possit ; et plures spero dicturos fore quod ad hoc pro scandali vitatione obligatur. »

ANNUS 1398

In extrema necessitate, quid agendum ?

et in gravi morbo ?

JESU CHRISTI

ANNUS 1399.

Bonifacii PP. IX Ann. 10.	Ordin. Cartus. Ann. 316.	Guillelmi II. Pr. Cart. Ann. 33.

CLEMENTINI BENEDICTO XIII OBEDIENTIAM RECUSANT.

I. ANNUS sequitur a Christiana salute millesimus trecentesimus nonagesimus nonus, Indictione septima, quo Patres Clementini ad diem 27 Aprilis apud Majorem Cartusiam pro comitiis generalibus de more celebrandis congregati, substractionem obedientiæ Benedicto factam et per Ecclesiæ Gallicanæ concilium anno præcedenti conclusam ac per Regem suis subditis significatam, videntur approbasse : nulla enim summi Pontificis habita mentione, nullisque pro eo indictis precibus ut hactenus factum fuerat, jubent tantum « ut pro statu et reformatione sanctæ Matris Ecclesiæ fiat in qualibet Domo Ordinis tricenarium de Spiritu Sancto.... Et nihilominus fiant suffragia ad hoc alias ordinata, et quilibet fundat assidue ad Dominum preces et gemitus pro præmissis. » Ad hæc indoluit Benedictus jam satis anctus animo de sua captivitate in palatio Avenionensi. Quid vero ad Cartusienses in suo obsequio retinendos egerit anno sequenti dicemus.

Ire Romam pro Jubilæo inhibent.

II. In his comitiis, cum scirent Patres populos Galliæ ex omni sexu et conditione, tam ex secularibus quam ex clero et religiosis Ordinibus, catervatim se ad iter versus Romam accingere causa Indulgentiarum solemnis Jubilæi anno proximo consequendarum, timentes ne et quorumdam ex Nostris subiret animum pia cupiditas eamdem suscipiendi peregrinationem, tale per omnes Domos sibi subditas decre-

tum promulgant : « Inhibemus omnibus personis Ordinis nostri in virtute sanctæ Dei obedientiæ et sub pœna carceris et inhabilitatis perpetuæ ad omnia nostri Ordinis officia, quod nullus audeat anno sequenti Romam ire pro Indulgentia consequenda, quoniam prout intelleximus non fuit intentionis Apostolici* de Cartusiensibus; sed si sit pax in Ecclesia, providebitur personis Ordinis taliter quod Indulgentiam non amittent. » Quosdam tamen temerariæ religionis motu abreptos, hujusmodi prohibitionem parvi reputasse, sed suis impendiis, videbimus anno sequenti.

ANNUS 1399

* Summi Pontificis.

III. Inter hæc, Patres Urbanistæ suum Generalem, Stephanum videlicet Maconum, a Conventu Seizensi electum, in sede confirmant his verbis : « Reverendo Patri nostro Domno Stephano Priori cartusiæ in Seiz non fit misericordia, et hortamur eum in Domino ut habeat patientiam in officio Prioratus propter Deum et Ordinis nostri utilitatem et magnam suam coronam ; confirmantes, ratificantes et approbantes electionem tam rite quam canonice factam de eodem per Conventum Domus in Seiz, et per Capitulum privatum confirmatam. »

URBANISTÆ ELECTIONEM STEPH. MACONI CONFIRMANT.

Easdem etiam preces ei concedunt quas quotannis Antecessoribus suis largiti fuerant ; « cui præterea, inquiunt, gratiose concedimus plenum monachatum cum psalteriis per totum Ordinem persolvendum post suum obitum, quem Deus felicem faciat ad votum suum. » Deinde eligunt Priores Vallis S. Mauritii, Vallis Jocosæ, Bononiæ (non Mediolani ut posuit autor Vitæ illius) et Montelli, qui sicut jam sub Christophoro Generali decretum fuerat, Capitulum privatum, necessitate id exigente, celebrarent cum potestate novi Cartusiæ Prioris electionem confirmandi si Stephanum vel mori vel cedere contingeret.

Lib. III. c. 1.

Inter amicos Ordinis qui sub obedientia Bonifacii decesserant, hi recensentur : « Magister Sensus de Senis, medicus, benefactor et valde devotus Ordinis nostri, et dominus Joannes filius ejus, et Grifferus, civis Januæ, pater Prioris Pontiniani ; pro quibus fiet unum tricenarium. »

ANNUS
1399

RAYMUNDUS CAPUANUS SANCTE MORITUR.

Stephani Maconi amicus.

IV. Ad Deum etiam pie migravit Raymundus Capuanus, Ordinis Prædicatorum, Minister generalis, sanctæ Catharinæ Senensis olim confessarius, et nostri Stephani Maconi specialis amicus; quem jam non semel vidimus ejusdem Stephani laudes sparsisse in Vita quam de præfata virgine edidit. Quanti vero ipse Stephanus Raymundum faceret, testatur in epistola quam de gestis et virtutibus communis eorum Matris spiritualis scripsit ad Thomam Antonii, Ordinis Prædicatorum, ubi sic de eo et de Vita S. Catharinæ ab eo, ut diximus, composita loquitur : « Exhortor in Domino devotos homines qui delectantur audire virtutes reales, mirabiles, saluberrimas et exemplares istius almæ virginis, legant Vitam atque Legendam ipsius virginis editam et ordinatam a Reverendissimo Patre magistro Raymundo de Capua sacræ Paginæ professore, qui longo tempore confessor ejus exstitit, et post ejus felicem obitum, fuit factus generalis Magister sui Ordinis, videlicet Prædicatorum, ubi multa utilia simul et pulcherrima reperient.... Et ea quæ scripsit, indubitanter existimo quod, Spiritu Sancto dictante, scripserit. Hoc verbum hic apposui confidenter, quia longam conversationem, licet immeritus, habui secum : et non ignoro commendabilem vitam ejus atque dotes odoriferas, videlicet virginitatis, nobilitatis etiam corporeæ, scientiæ magnæ, ac aliarum virtutum quibus a Domino Deo nostro fuerat insignitus. » Hæc ille. Denique etiam post Raymundi mortem Stephanus sui in eum amoris signa dare voluit, concesso per totum Ordinem satis amplo pro eo suffragio, ac ejus obitu sua manu in fronte Chartæ ante Episcopos exscripto his verbis : « Obiit Reverendissimus in Christo Pater magister Raymundus, generalis Magister Ordinis Prædicatorum, habens tricenarium. »

Apud Bolland. ad diem 30 April.

Amicorum Ordinis recitantur obitus.

Alios quoque suos amicos cum simili beneficio ipse inter mortuos sic designavit : « Gabriel de Piccolominibus et Nerius Landocii, et magister meus de Senis, et Aczo Bonarelli notarius, et Dominicus Guidonis civis Bononiensis, ac magister Antonius de Restis de Mediolano, pro quibus fiat

tricenarium. » Gabrielis de Piccolominibus et Nerii Landocii fit mentio in Vita sanctæ Catharinæ. Quem vocat magistrum suum, forsan idem est cujus meminit in sua epistola superius citata, et ibi eum nominat « magistrum Franciscum nostrum de Senis. »

ANNUS 1399

P. II. cap. 1.

In Charta Clementinorum defuncti leguntur : R. P. Dominus Joannes de Rupe Couardi, « habens tricenarium per totum Ordinem. » Hunc Sammarthani volunt tantum obiisse anno secundo proximi sæculi, sed Chartæ videtur potius credendum. Raymundus de Posolis archidiaconus Vivariensis. Nobilis Joannes de Monteruco, diœcesis Lemovicensis, qui videtur esse e familia Petri cardinalis Pampilonensis, qui fuit alter cartusiæ Vallis benedictionis fundator. Dominus Joannes de Cassanis, laicus licentiatus in legibus. Marcus Faverii laicus, civis Gratianopolitanus. Nobilis Petrus de Navarchia. Eodem quoque anno die 11 Aprilis obierat Guillelmus de Sens, protopræses in Senatu Parisiensi, sepultus in cartusia Vallis viridis juxta suum patrem Ægidium de Sens, in eodem senatu quondam causidicum; uterque fuerat ejusdem Domus benefactor.

CARTUSIA IN INSUL. BALEAR. ERIGITUR.

V. Hoc anno Martinus rex Arragonum, qui viventibus ac consentientibus patre et fratre natu majore, cartusiam Vallis Christi in regno Valentiæ fundaverat, alteram in insulis Balearibus erigi voluit. Sancius, earumdem insularum rex, qui obiit circa annum hujus sæculi vigesimum quartum, gravibus laborans infirmitatibus, regium sibi palatium, in solo apud Balearium Majorem a medicis electo tanquam saluberrimo ac salutis recuperandæ percommodo, construxerat in valle de Mussa ab ipsa ejusdem insulæ primaria civitate Majorica sex milliaribus distante. Hanc itaque regiam ab extinctione stirpis regis Sancii velut desertam præfatus Martinus, in gratiam quorumdam nostri Instituti monachorum patria Majoricensium quorum laudabilem vitam ipse, nostras Domos sæpe invisens, expertus fuerat, anno superiori Capitulo generali obtulerat ut ibidem nova conderetur cartusia. Guillelmus, Prior Cartusiæ, juxta sibi

Jos. de Valle, in fundat. Domus Jesu Nazareni.

ANNUS 1399

a Patribus factam potestatem, ne rem præmature institueret, vocatos ad se e Domo Vallisbonæ Berengarium Campensem et Nicolaum Robertum ejusdem professos (quos et Majoricæ natos fert Patrum traditio), ad locum explorandum cum speciali mandato misit. Hi palatium novæ cartusiæ erigendæ aptissimum judicantes, Bernardum Gibertum Scalæ Dei filium et Patrem, et alterum Bernardum Vallis Christi Procuratorem suis literis commonent, ut Regem adeuntes, oblatum locum cum gratiarum actione Ordinis nomine recipiant. Nec mora : jubet Rex diploma fundationis confici, declarans nomen futuro monasterio imponendum *Jesu Nazareni.* Sic autem in eo loquitur :

Ex literis 26 Octobr. 1398 datis.

Carta fundationis.

« In nomine Domini nostri Jesu Christi et ejus gratia, cunctis pateat evidenter quod nos Martinus, Dei gratia rex Aragonum, Valentiæ, Majoricarum, Sardiniæ et Corsiæ, comesque Barchinonis, Rossilionis et Ciritaniæ, dum mentis oculis contemplamur magnæ piæque devotionis constantiam, ac intimæ affectionis ardorem quam habuerunt prædecessores nostri excelsæ recordationis pro divini Numinis cultu augendo, et custodiendo eumdem, vigilantia eorum pertinax semper excubuit erga Ordinem Cartusiensem ubi intrinsece et devotissime viget observantia regularis. Ipsorum gestientes inhærere vestigiis, ad honorem, laudem et gloriam nostri piissimi Redemptoris, et illius gloriosissimæ Virginis Matris quæ superos cives honore proprio antecellit (quæque nata patrem, natumque parens miro divi muneris usu concepit, honorem virgineum retinens, nec perdens jura parentis) ; et ad nostram nostrorumque parentum æternam animarum salutem, monasterium unum Ordinis Cartusiensis prædicti in Valle de Mussa regni Majoricarum (quod monasterium aliquod ejusdem Ordinis non habet) providimus erigendum, construendum et operibus decentibus fabricandum ; quod vocari in perpetuum volumus monasterium Jesu Nazareni, ubi Sanctorum suffragia a Christi fidelibus innocenter, continuo et incessabilia orationum libamina argutis decantationibus ibidem ad Dominum devotissime offerantur, ut quod

Apud Cartusienses intrinsece viget observantia.

nostris attingere fortassis meritis nequiremus, suis saltem sanctis et dignis apud Altissimum pro nobis intercessionibus consequamur. Et quod quidem monasterium, filium monasterii Vallis Jesu Christi per nos in Valentiæ regno fundati et amplius dotati reditibus esse volumus, et etiam providemus. His itaque divino instinctu pensatis, ut monasterium ipsum facilius et citius fabricetur, et habeat primordiale initium et perfectissimum fundamentum : assignamus, concedimus et donamus perpetuo monasterio ipsi et quibuscumque Priori et Monachis qui in eodem Altissimo servient, per purum, proprium, liberum et francum allodium pro eo construendo ibidem, palatium seu domum nostram quam habemus intus vallem prædictam de Mussa, cum hortis, terris et possessionibus quibuscumque quæ sunt de pertinentiis dictæ domus, et cum aqua quæ decurrit ad palatium seu domum eamdem, cum introitibus et exitibus et omnibus juribus et pertinentiis suis, et prout melius et plenius nobis spectant et competunt. Nos enim palatium seu domum prædictam, cum hortis, terris et possessionibus et aqua prædictis amortisamus, et pro amortisatis per Priores et Monachos qui fuerint monasterii prælibati, volumus, decernimus, perpetuis temporibus possideri. » Item præfatus Aragonum Rex, conferens in corde suo quod qui ecclesiis, monasteriis atque aliis sacris locis, eorumque ministris liberaliter bona conferunt æternæ vitæ gaudia felici commercio promerentur, necnon orationes, eleemosynæ, aliaque pietatis opera (inter quæ Sacrificia locum obtinent potiorem) non modicum prosunt ad peccatorum veniam obtinendam : idcirco, ad gloriam altissimi Jesu Nazareni, ejus beatissimæ Matris Mariæ virginis, ob remissionem peccatorum suorum ac ingentem devotionem, ad monasterium sub invocatione ac titulo ipsius Jesu Nazareni constructum sacri Ordinis Cartusiensis noviter per ipsum fundatum in castro regio, parochiæ de Valle Mussa ; per ipsum et suos quoque successores dedit, et ex causa donationis pro vita Monachorum et aliorum dicti monasterii sustentatione, concessit ac assignavit imper-

ANNUS 1399

Reditus liberaliter constituuntur.

ANNUS 1399

petuum totam illam partem totius decimæ frumenti, hordei, avenæ, leguminum, vini et olei quæ colliguntur seu de cætero colligentur in dicta parochia de Valle Mussa, quemadmodum antecessores illius Majoricarum Reges habuerunt et perceperunt temporibus retroactis. Concessit denique quinquaginta scuta quæ singulis annis a Procuratore regio præsentis regni Majoricarum de thesauris ejusdem solventur dicto monasterio. Etiam tam ipse quam successores ejus ad quietem et consolationem dicti monasterii, multa alia privilegia concesserunt, ut constat per Instrumenta in tabulario hujus Domus recondita.

Loci possessionem ineunt Nostri.

Regiis muniti literis, quatuor præfati Commissarii in insulam iterum trajiciunt, loci possessionem die 8 Augusti ineunt, et tribus post diebus, obtenta a Michaele Falco generali Majoricensis Episcopi Vicario licentia ecclesiam in palatio ædificandi, cuncta monachis ibidem brevi Conventum constituturis necessaria præparant. Interea adsunt nostra generalia comitia, ubi audito novæ plantationis felici ortu ac progressu, eaque totius Ordinis corpori adscripta, Protoprior nominatur Petrus Delpujos, patria Majoricensis ac professione Portæ Cœli monachus. Verba Chartæ sunt hæc : « Domum novam insulæ Majoricarum Ordini incorporamus, et præficimus in Priorem dictæ Domus D. Petrum de Podiolo monachum Portæ Cœli, qui possit recipere de Domibus istæ Provinciæ duos monachos cum pace vocandorum, dispensantes cum eodem Priore super eo quod nondum stetit per triennium in Ordine et super quibuscumque aliis inhabilitatibus et impedimentis. » Cum præfato Priore primi coloni missi sunt, Petrus Donat, Vicarii munere donatus ; Guillelmus Zoderi, e Domo S. Pauli de Maritima cujus erat filius, in Sacristam assumptus ; Nicolaus Robertus unus ex commissariis, Procuratorem acturus remansit ibidem, mortuus anno tertio seculi sequentis ; Berengarius vero Campensis vitam solitariam in ea fundavit cum aliis probis monachis inter quos eminebat Joannes Elvira dictus Mestra, Principi fundatori gratissimus, ex eadem

Ex Charta 1400.

Alfaura, in Origin. Cartusiarum, ms.

ANNUS 1399

ortus insula, sed alumnus Vallis Christi, qui postea agnatorum et gentilium frequentiores aditus fugiens, ad Domum Portæ Cœli transferri obtinuit, ubi altera professione emissa, privatus in senectute bona decessit. Cum eisdem missus etiam reperitur Martinus de Longares Domus Capri, Clericus Redditus. Præter palatium et bona in Literis fundationis designata, alios quoque reditus concessit pius fundator; qui præterea voluit ut Prior hujus Domus qui pro tempore fuerit, natus regni Castellanus haberetur : ita ut quando Reges Hispaniæ recens promoti viros delegant qui Majoricarum regni possessionem nomine regio adeant, Prior Majoricensis in comitiis ubi fit dictio sacramenti, claves castri de Valle Mussa præsentet, ac primum locum inter cæteros regni Castellanos occupet.

Ex Charta 1441.

Prior Castellanus-natus Regni Majoricarum.

Benefactores.

Præter Regem fundatorem Nostri suum singularem agnoscunt benefactorem Benedictum XIII, qui, ut habent documenta ad nos transmissa, « fecit unionem quatuor *quarts* sive præstimoniorum in diversis concessionibus. Primum præstimonium fuit curialis beneficii sive rectoriæ villæ de Luc Major; secundum præstimonium fuit rectoriæ Sanctæ Crucis; tertium rectoriæ villæ de Felening; quartum denique unio præstimonii rectoriæ parochiæ de Robines. » Quæ quidem omnia Martinus V et successores illius confirmaverunt.

Nicolaus Cuc, Ecclesiæ Majoricensis sacerdos, primus omnium erga Nostros beneficum se exhibuit et liberalem. Patres namque Commissarios cum aliis monachis, donec in palatium inducerentur, cunctis etiam ad victum necessariis suffectis, excepit; tandemque se ac suas facultates Ordini dedit, factus ibidem monachus : cumque per plures annos res monasterii fideliter diligenterque in officio Procuratoris administrasset, repetita solitudine, cum magno spiritus fervore usque ad finem vitæ conversatus est, mortuus ipsa die assumptæ Beatæ virginis Mariæ anno 1428.

Honorabilis dominus Mathias Borrosa miles, magnus benefactor dicitur in Charta anni quinquagesimi septimi

ANNUS
1399

[a] Ex Charta 1475.
[b] Ex Charta 1476.
[c] Ex Charta 1522.
[d] Ex Charta 1631.
[e] Ex Charta 1634.

post quintum decimum seculum, ubi signatur mortuus. Iidem tituli tribuuntur Joanni Bertrandi mercatori [a]; Gabrieli Casselles [b]; Antonio Natali, medicinæ Doctori, anno 1511; Berengario de Galcana, qui cum uxore sua Paula, habet anniversarium perpetuum sub III Octobris [c]; illustri Sebastiano Cavet, regio consiliario in regno Majoricarum, qui habet simile beneficium sub die XVI Junii [d]; venerabili sacerdoti Raphaeli Canalz [e].

DE ALBATORUM SOCIETATIBUS.

VI. Hoc anno per diversas Italiæ Provincias cœperunt discurrere Albatorum societates; sic dictæ ex vestibus lineis quibus a capite ad pedes induebantur. Inter eos fuisse mares et fœminas, laicos et Clericos ac Religiosos cujuscumque Ordinis, grandes et parvulos, similibus vestibus hujusmodi incedentes, Monialibus et Reclusis exceptis, refert S. Antoninus testis oculatus. Autor quoque chronici cartusiæ Montelli eodem vivens tempore, rem enarrat cum quibusdam adjunctis a sancto Archipræsule tacitis, quæ ideo hic subjicere operæ pretium ducimus. « Anno primo hujus Prioris (Simonis videlicet anno superiori, mense Novembris instituti), surrexit quædam secta seu spiritualis mirabilisque societas Albatorum pene per universas provincias Occidentis. Cujus principium, ut ferebatur, fuit in partibus Franciæ ex quodam miraculo. Hæc quidem societas induta erat sindonibus albis lineis, utriusque sexus; ibantque per civitates et rura cantantes Altissimo melliflue quasdam laudes : videlicet : Stabat mater dolorosa, juxta Crucem lacrymosa, dum pendebat Filius... et cætera. Item aliam : Verbum caro factum est, de Virgine Maria.... Itemque vulgariter sequentem laudem (quam latinam damus) cantabant : Misericordiam clamando pergimus, misericordiam Deo clamamus, misericordia ejus uniti simus; misericordia sit peccatoribus. Misericordiam, o verax Deus, misericordiam et pacem concede : misericordia, si tibi placet o Deus; misericordia, altissime Domine... et cætera. Et dum ad aliquam basilicam intrare volebant, cum clamore valido univoce petebant misericordiam et pacem a Deo. Ad quorum sonitum fere tota terra

Operum III P. tit. 22. cap. III, 32.

Chronicon Montell. ms. cap. 18,

Ibant ubique catervatim, misericordiam Dei implorantes.

tremebat, et spectantibus timorem et compunctionem mirabiliter inferebat tam insolitus et inauditus clamor. Hinc multo commotæ sunt quamplurimæ regiones, et habitatores earum sceleratissimi magnique peccatores Dei misericordia sunt conversi, confitentes peccata cum lacrymis et cordis contritione : pax inter multos discordes inveteratosque inimicos facta est; multaque mirabilius omnipotens ostendit Deus, ut communiter dicebatur, hinc inde per ipsos. Sicque factum est modo, ut manu violenta divinæ misericordiæ (ut ita dixerim) multi a faucibus inimici evulsi, ad sinum Ecclesiæ sanctæ collocarentur cum gaudio ; quos ipsa mater Ecclesia mœstis cernebat oculis in manibus inimici. Hæc tamen non casualiter evenisse videntur, sed longe retroactis temporibus prophetata per abbatem Joachimum, qui multa futura videtur redegisse in scriptis, suisque posteris reliquisse, ut patet ibi ubi sic ait : Citatio prima, monitio ultima, ante finem sæculi juxta libros; primo per universum gentium multitudo stolis albis et candidis induta clamant : pacem et misericordiam da nobis, Domine, da nobis. Et demum cum instantia pax et misericordia de cœlo descendent et invicem osculabuntur. Veritas et pax super terram est, et verus Pastor ovium agnoscetur. Et justus Rex surget in terra. Et non recte viventes totaliter confundentur, et in peccatis eorum morientur. Et dum recte vixerint, Rex justus dominabitur. Exspoliatis populis erit pax et misericordia super universam terram. Hæc ille. Sed is qui adversatur in cunctis bonis, hostis humanæ salutis, semen pravum in agro Dominico seruit, et societates undequaque collectas ad bonum cœpit corrumpere prodiendo proditiones et adulteria, aliaque hujusmodi. Unde disponente Altissimo, cessavit talis societas simul et processio; et sequuta est inguinaria pestis fere per totum orbem, qualis non fuit ab illa magna mortalitate anni MCCCXL, et deinceps et tempestates invisæ. »

ANNUS 1399

Hæc ab abbate Joachim prophetata.

VII. Decreta Capituli Seizensis.

ORDINATIONES URBANISTARUM.

1. « Personæ Ordinis scribentes Capitulo generali vel

ANNUS
1399

Priori Cartusiæ ponant in litera pro data, non solum diem mensis, sed etiam annum Incarnationis Dominicæ currentem, ac etiam in Conventualibus literis propria manu monachi se subscribant, sin autem, non adhibebitur eis fides; nec erunt responsione digni.

Contra Ordinationum multiplicationem.

2. « Decrevimus, velut etiam Statuta nostra persuadent, Ordinationes ultra non multiplicare, nisi necessitas aliqua vel utilitas multum honesta coegerit. Sed exhortamur omnes personas nostri Ordinis in Domino, quod quilibet in gradu suo sollicite jam stantes observent; et singulariter Priores per quos deficit vel viget ordo in Domibus Ordinis, monemus et obsecramus in Domino, ut illas diligenti studio servent in se, et ab eorum subditis faciant observari, si Dei et Ordinis voluerint effugere ultionem. » Idem Franciscus a Puteo in sua Compilatione postea sancivit, sed novi casus quotidie emergentes, novas semper Ordinationes exigunt ad tollendos abusus et observantiam tuendam.

Tertia Compilat. cap. IV. n. 19.

3. « Ad obviandum cavillationibus quorumdam qui, prætextu remissionis et Indulgentiæ a pœna et a culpa in mortis articulo per Dominum Urbanum Papam VI Ordini nostro gratiose concessæ, inscio Priore suo, ab extraneo confessore petunt absolvi, sibique prædictam Indulgentiam impertiri : notificamus in Curia Romana fore declaratum quod hoc non potest nec debet ullatenus fieri; quia licet Indulgentia scripta sit in forma communi, non tamen est intentio summi Pontificis legem solvere sed adimplere; nec illam concessit Ordini sancto ad ejus dissipationem, et ut ejus professi ementes in vita cum magno labore pretiosam obedientiæ sanctæ margaritam, debeant illam in morte contemnere vel pedibus conculcare; sed in augmentum gratiæ, et ad coronam palmiferam facilius obtinendam, prout in literis nobis directis apertissime continetur.

Admonitiones.

4. « Quia Prior Vallis S. Antonii in Hungaria, sine scitu et consensu sui Conventus alienavit decimam ecclesiæ monasterio suo incorporatæ; ac etiam quia contra ordinationem Capituli generalis sepelivit in cœmeterio Monachorum unum

sæcularem; et insuper quod cum sæcularibus consuevit comedere, non solum in loco hospitum sed etiam in refectorio, in præsentia Conventus ; ac plura alia inordinata commisit contra formam nostri Ordinis, pro quibus omnibus merito esset absolvendus ab officio Prioratus cum gravi disciplina : sed quia Visitator quædam bona de ipso retulit, et de quibusdam ipsum excusavit ; sperantes de ipso in hujusmodi de bona emendatione, ac compatientes suæ senectuti, secum mitius pro hac vice agentes, volumus quod pro aliquali satisfactione, teneat ordinem per unum mensem a receptione præsentium, monentes eum ut de cætero a talibus transgressionibus diligenter abstineat, alias graviter puniretur.

ANNUS 1399

5. « Priori Portæ B. Mariæ super mutatione loci imponimus silentium, et monemus eum ac districte injungimus sibi ut nullo modo recipiat personas ultra quam facultates Domus suæ possunt extendi.

6. « Priori Leodiensi concedimus licentiam quod illum clericum possit promovere ad sacerdotium, si alias fuerit ad hoc aptus.

7. « Priori Trajecti concedimus et Conventui suo, ad honorem Dei et beati Martini et beatæ Agnetis, licentiam quam petierunt a Capitulo generali. »

* JESU CHRISTI

ANNUS 1400.

Bonifacii PP. IX	Ordin. Cartus.	Guillelmi II. Pr. Cart.
Ann. 11.	Ann. 317.	Ann. 34.

STEPH. MACONI PRO ORDINE UNIENDO LABORARE INCIPIT.

I. EXORITUR annus Christi millesimus quadringentesimus, Indictione octava, quo novus Urbanistarum Minister generalis, R. P. D. Stephanus Maconi, cum humillime de se sentiret, instanter a Patribus Ordinis ab officio absolvi flagitavit; quod illi ejusdem veri Israelitæ considerantes vel rectius admirantes Domus Dei zelum, in filios charitatem ac mansuetudinem, in rebus tractandis industriam, vitæ austeritatem morumque simplicitatem, nullatenus concesserunt; sed eum in munere confirmarunt, qui ex tunc pro Ordine uniendo strenue laborare incœpit; itaque egit apud Bonifacium Romanum Pontificem, ut ab eo multa Nostris impetraret, inter cætera potestatem cum schismaticis congregandi versandique etiam in divinis Officiis. De quibus omnibus scribit Bartholomæus Scala noster, ait namque : « Cave putes Stephani ex animo effluxisse quæ apud eum prima ducebantur in generali munere exequendo. Sed ubi tempus adventasse vidit Patrum generalis de more cogendi cœtus, ut sibi egregie constaret, sibique viam præsterneret ad optata consequenda, a comitiorum Primoribus extorsit, ut per Conventus decretum sibi liceret abdicare se Generalatu, quoties id in publicum Ordinis bonum cedere existimaret. Cujus rei perficiendæ gratia Primores ipsi facultatem illi fecere privatum vocandi cœtum, ad eum ascitis Prioribus Domorum Vallis sancti

Lib. III. c. 1.

Mauritii, Vallis-jocosæ, Mediolani, atque Montelli, quibuscum ageret de iis præcipue, quæ in ea sessione e dignitate Ordinis essent pro loco ac tempore transigenda; id quod etiam exequendum statuere, cum contingeret eumdem Generalem Patrem extremum diem claudere. Hoc edito decreto, Stephanus alacriter subiit onus, non desperans fore, quemadmodum supra diximus, ut brevi voti fieret compos. » Hæc per exaggerationem ab autore sunt dicta, nam Stephani antecessores idem præstiterant ; ac singulis annis more Ordinis antiquo, Capitulum generale quatuor Priores eligebat, qui privatum Capitulum casu exigente celebrarent. Nihilque amplius decretum fuit in Charta anni 1399 de qua loquitur hic autor. Præterea est hic error, ubi Prior Mediolani ponitur inter Priores electos ad Capitulum privatum celebrandum; habemus enim Chartam hujus anni, ubi pro Mediolani legimus Bononiæ. « Mature quidem Seizenses Monachi cæterique Patres Ordinis dispicere visi sunt Stephani nostri studia, regendique rationes non eo spectare ut insana dominandi libidine se transversum agi sineret; neque ob oculos propositam habere impotentem quamdam suorum commodorum cupiditatem, privatamque sitim honoris; sed diu noctuque obversari illi Divinæ Majestatis gloriam, atque eorum qui suæ concrediti erant curæ salutem, pariter atque ex vitæ degendæ ratione sanctum in rebus divinis tractandis otium. Cujus rei causa tam illustria virtutum passim exempla serebat in sua vel publice vel privatim gerenda administratione, ut alii in eo exactam prudentiam rerumque tractandarum usum admirarentur : alii comitatem mansuetudinemque suspicerent, alii gravitatem ac sine indignitate summissionem collaudarent, alii vero parcimoniam cum summa in cultu corporis continentia in ore subinde haberent; et quod mirabile in eo erat, ita ab omni fastu et imperiosis moribus abhorrebat, ut ultro in ejus se potestatem ipsimet dederint, suaque pectoris sensa nudarent qui ductu ejus regebantur atque consilio. Et cum hac secundissima suorum ad nutum uteretur voluntate, facere tamen non poterat quin sibi acer-

Cap. 2.

ANNUS 1400

bam vitam ducere videretur, quoad quæ jam dudum coquebat animo de universo Ordine uniendo, executioni ipsemet traderet. Quippe etsi nunquam eumdem Ordinem in sua florenti dignitate aspexerat ex quo primum die illi se totum addixit, sed jactatum sævissimis schismatis procellis ; tamen priscum sanctorum ejus Patrum decus, ac voluntarium erga sacrosanctam romanam Sedem in suis tum vel maxime obsequium requirebat, cum ex tam fœdo dissidio in Christiani totius nominis ludibrium, tot damna æquos iniquosque facere quotidie cerneret. Hæc igitur Stephanum meditantem subiit Cosmatem cardinalem Melioratum, per id tempus Ordinis apud romanam Curiam patronum, de generali sibi demandata præfectura certiorem facere, ut inde opportunitatem nancisceretur cuncta illi aperiendi quæ mente volutabat. Ad eum itaque cum perstudiose conscriptas literas dedisset, rogabat et obsecrabat, ut cum invitus omnino subiisset onus ejus partis Ordinis tractandi gubernacula quæ cum romano Pontifice stabat, subsidia ejus vel imprimis implorare ad illum ferendum, qui autoritate et gratia apud eamdem sanctam romanam Sedem plurimum, simul et studio benevolentiaque in Ordinem affectus esset, ut una cum eo, pari animi consensione conspiraret ad maternum in Dei Ecclesiæ gremium illum reducendum ; ac proinde nihil gratius cariusque sibi facere posset, quam ut suas apud summum Pontificem partes ageret, ab eoque sibi facultatem impetraret sese inter Ordinis Patres qui alterius se dicebant Obedientiæ insinuandi : scilicet, ut hac maxime ratione modum tandem adinveniret exoptatæ rei feliciter transigendæ. Neque id salutare negotium dumtaxat egit cum cardinali Meliorato, verum etiam accuratis literis cum Angelo cardinali Acciaiolo Cartusianæ familiæ (uti supra diximus) perstudioso, robuste transegit. Qui sacrati Proceres Stephani mentem in tam præclara cogitatione versantis officiose complexi sunt, et eam apud summum Pontificem Bonifacium plenissima commendatione subsequi non dubitarunt. Pontifex tam sincero constantique Stephani erga sanctam Sedem collau-

Hancobrem ad quosdam Cardinales literas dirigit.

Pluraque ei ad hunc finem consequendum concedit summus Pontifex.

dato studio, perbenigne postulata concessit : nimirum, ut ex Apostolica autoritate eidem Stephano aliisve ab se huic rei obeundæ delegatis vicariis, jus ac potestas esset quascumque Ordinis personas schismatis et anathematis sordibus inquinatas expiandi; censurisque pariter obligatas exsolvendi ad id usque tempus quo familiaritate consuetudineque usi fuerint cum schismaticis, aut cum iis qui nullarum partium studia sectantes, neutrales appellari malebant. Præterea dispensandi in irregularitatem a suis quoquo modo inde contractam, facultatem illis imposterum faciens cum iisdem schismatis studiosis congrediendi versandique etiam in rebus divinis agendis, sine ullo metu relabendi easdem in censuras ac maledicta a romana inde Sede in eos intorta qui contumaciter ab ea dissiderent; modo id caute ac sine ulla publica offensione faciant; castamque habeant illi familiariter utentes mentem eos ipsos ad saniora consilia rectumque Romanæ Ecclesiæ sensum revocandi. Quæ cuncta apostolicis consignata codicillis, atque in generali Patrum Conventu hujus sæculi anni 1401 promulgata, ingenti gaudio lætitiaque Stephani animum perfuderunt : cum nihil antiquius duceret quam ea primo quoque tempore ad præscriptum agere. »

ANNUS 1400

BONIFACIUS FERRERIUS FIT PRIOR PORTÆ CŒLI.

II. Bonifacius Ferrerius cum hoc anno, die octava Januarii, valde licet invitus ex Procuratore Portæ Cœli Prior electus sit, ob suæ Domus negotia venit Cartusiam ubi a R. P. Guillelmo Raynaldi perhonorifice est receptus. Dein dum in Hispaniam reverteretur, quem sua obedientia summum agnoscebat Pontificem, Benedictum XIII Avenione tunc commorantem, convenit, qui nacta opportunitate eum a consiliis habere decrevit. Quomodo vero ista facta sint, accipe ex Civera nostro : « Cum Prior Domus, ait, scilicet D. Franciscus Agresola, non minori humilitate quam prudentia præditus, Patrem Bonifacium tantis virtutibus et naturæ dotibus insignitum videret, non solum Procuratorem nominavit, sed et Priorem ac successorem suum a Conventualibus postulandum curavit. Quapropter convocato Conventu (inscio et absente D. Bonifacio), dixit omnibus notum esse

Chronicon Portæ Cœli, ms. cap. 5.

ANNUS 1400

Ejus antecessor sponte petit misericordiam.

Ad Reverend. Patrem Cartusiæ scribit,

ut ei Bonifacius subrogetur.

quantopere indigeret Domus aliquo Priore sufficientiore ac diligentiore se, et quamvis essent plures digniores in illa congregatione, sed manifeste pro tunc D. Bonifacium ad hoc munus exequendum aptiorem et convenientiorem apparere ; et ita dignarentur ipsum in suum prælatum recipere, nam ipse renuntiabat prioratui. Cui propositioni omnes unanimiter et alacriter assenserunt ; et ut appareat quam carus omnibus erat et quantum honorem illi cuncti tribuebant, referam epistolam conventualem quam miserunt Reverendo Patri Priori Cartusiæ pro obtinenda confirmatione et approbatione. « R. in Christo Patri, Domno Priori Majoris Domus Cartusiæ, metuendo Domino. R. Pater et Domine metuende, prævia reverentia tam debita quam devota Vestræ Reverendæ Paternitati præsentibus innotescat quod ego Prior et Conventus unanimes et unius moris, Spiritus Sancti cooperante gratia, in hac Domo zelantes (ut tenemur) concernentia prosperum statum ejus, ut de virtute in virtutem gradiens, in omnibus Deo et Ordini acceptabilius felix suscipiat incrementum : pro necessitate ipsius et utilitate etiam evidenti, prius per me Priorem misericordia humiliter petita et obtenta, venerabilem Patrem Bonifacium Ferrerii sacerdotem, Decretorum Doctorem, monachum hujus Domus, in spiritualibus providum et temporalibus circumspectum, habere cupimus in Priorem ; per quem videlicet speramus quod divini cultus augmentum, honor et commodum ipsi Domui, præsertim in iis sine quibus esse spiritualia diu non possunt, succedent pariter cum eodem. Quapropter V. R. P. quanta possumus reverentia supplicamus, quatenus humilem imo necessariam petitionem nostram ad exauditionis gratiam admittentes, et misericordiam mihi Priori concedere, ac in prioratu de persona dicti fratris Bonifacii nobis et ipsi Domui dignemini expedire et benigniter providere. Attendentes quod huic Domui dictum virum præesse expedit, talemque virum decet etiam ipsa Domus : moraque esset damnum absque dubio allatura. Et jam tempore quo de electione mei Prioris actum extitit, nisi quia erat ita novus in Ordine quod vix annus sui novitiatus

transierat, in eumdem Bonifacium pars sanior concordabat. Et V. R. P. conservare dignetur Altissimus diu cum prosperis incrementis. Scriptum in Domo Portæ Cœli Ordinis Cartusiensis, sexta die mensis Novembris, anno Domini 1399. Vestri subditi et humiles oratores, Prior et Conventus Portæ Cœli qui in v. g. humiliter se commendant. »

ANNUS 1400

« Huic epistolæ respondit R. P. D. Guillelmus Raynaldi valde favorabiliter; licet Patri Bonifacio uti valde humili, injuria potius quam favor visum fuerit iterum negotiis et occupationibus regiminis implicari, quibus tam libenter et ex corde renuntiaverat. Verum sciens Superiorum voluntati non debere repugnare, ne et divinæ dispositioni contradicere videretur, cum per Prælatos suum soleat manifestare beneplacitum, obedientiæ jugo collum submittens etsi gemens, possessionem Prioratus accepit die octava Januarii anni 1400.

Annuit Reverendus Pater.

Cum igitur se Priorem cerneret, qui in oculis suis omnium minimum reputabat, animo cœpit volvere obligationes sui officii ; et cum ad reddendam rationem omnium sibi creditorum munerique suo perfecte satisfaciendum, caritate illa ter a Redemptore nostro beato Petro commendata indigere intelligeret, instanter et enixius a summo pastore Christo petebat quatenus sibi illam concedere dignaretur. Postulabat etiam gratiam ad imitandum humilitatis exemplum antecessoris in tam humili ac prompta renunciatione officii prioratus ; sed quia eo tempore facere minime poterat, humiliabat semetipsum ac indignum se reputabat successorem tanti viri.

Cap. 6.

« Eodem anno visum ei fuit, propter quædam Domus negotia Cartusiam ascendere tempore Capituli generalis. Quo cum pervenisset, honorifice susceptus fuit ac multum ei omnes tribuerunt honorem propter ejus eminentem doctrinam, prudentiam et religionem ; signanter R. P. Generalis magnam accepit satisfactionem de ejus præclaris dotibus atque virtutibus. In regressu autem itineris divertit ad Avenionem ut summi Pontificis Benedicti XIII pedem oscularetur ; habebat enim cum eo antiquam amicitiam a tempore quo

Cartusiam invisit Bonifacius.

ANNUS 1400

fuerat canonicus Valentinus, et confessarium habebat sanctum Vincentium fratrem suum. Et residebat dictus Benedictus Avenione propter magnum schisma quod tunc Ecclesiam Dei vastabat, alter vero summus Pontifex Romæ manebat; et unusquisque Papa gubernabat regna, provincias et civitates in sua obedientia constituta. Et item quoque erat ut singulæ Religiones haberent duos Generales qui regebant monasteria in unaquaque obedientia fundata. Similiter et nostra Cartusiensis Religio duos Generales habebat : nam sub obedientia Benedicti XIII cui parebant Francia, Hispania, Escotia, Neapolis ac Viterbium, erat Generalis in magna Cartusia D. Guillelmus Raynaldi ; et in obedientia Romana quæ constabat ex Italia, Allemania et Anglia, erat Generalis D. Stephanus Conradus Senensis in Domo sancti Joannis Baptistæ de Seiz. Et quilibet Generalis celebrabat Capitulum generale pro Domibus suæ obedientiæ. Et hæc ad præsens sub brevitate dicta sufficiant de hujusmodi magno schismate, de cujus initiis et progressibus multa certe possem dicere ; sed cum prudenti et scienti hæc scribantur, in sequentibus tantum ea referam quæ sine historiæ obscuritate taceri non poterunt.

Postea in Avenionem ad Benedictum XIII venit.

cap. 7.

« Receptus fuit D. Bonifacius a sua Sanctitate magna cum amoris et benevolentiæ demonstratione, mandavitque illi in sua curia remanere ut illi a consiliis esset ; nam indigebat tunc talibus personis : Cardinales enim Gallici negaverant obedientiam Pontifici, eo quod Benedictus (ut ipsis videbatur) non multum curaret pro cessatione schismatis, iniendo pacem cum competitore suo Bonifacio IX ; et concluserant eum in palatio suo cum custodibus, quapropter adventus D. Bonifacii in illa sua reclusione fuit ei gratissimus.

« Dum hæc agerentur (nescitur qua occasione), eodem anno Bonifacius venit in Hispaniam usque ad civitatem Barcinonam ; nam inde, die prima Julii misit epistolam Vicario et conventualibus hujus Domus, in qua notum faciebat qualiter D. Papa indulgentiam plenariam concesserat omnibus Religiosis Ordinis nostri ac si visitassent Loca sancta Romæ ;

ac deinde subjunxit : « Literam super prædicta gratia in forma ego obtinui et misi Cartusiam. Et rogo vos quod transumptum prædictæ gratiæ mittatis Domno Priori Vallis Jesu Christi. Et conservet vos Altissimus et dirigat semper in agendis. Saluto nominatim omnes dominos Monachos et cæteros. Scripta Barcinone, prima die Julii 1400. Vester servus Prior inutilis. »

ANNUS 1400

III. Argentinensis cartusia, licet jam circa 1335 inchoata, hoc tantum præsenti anno plurimis quidem aucta spiritualibus et temporalibus donis absolvitur ; teste ejus Chronici autore qui nobis multa relatu digna suppeditat. Anno Domini 1399 clavum regiminis hujus cartusiæ tenuit D. Winandus Steinbeck Domus Coloniensis monachus professus. Hic de Tremonia Westphaliæ, Coloniensis diœcesis, oriundus, primo Prioris officio functus est Treviris, deinde missus Argentinam. Hic est qui descripsit ortum et profectum cartusiæ Argentinensis, et omnium Benefactorum nomina ab anno 1333 fundationis usque ad annum 1400, et accurate secundum alphabetum pro faciliori methodo inveniendi, posteris transmisit. Præfuit autem ab anno 1399 usque ad annum 1406, 21 Decembris, quo anno Basileam missus est pro ejusdem novellæ Domus regimine, ubi obiit 1409. Hoc anno post Christum natum millesimo quadringentesimo videtur cartusia Argentinensis in perfecto statu fuisse, tam quoad ædificia omnia necessaria, quam quoad numerum personarum : nam cum non esset unus singularis fundator, oportebat secundum media ædificare et quandoque pausare ab ædificiis ob defectum pecuniarum, et expectare alios Benefactores qui suppetias ferrent. Unde perfectio hujus cartusiæ ab anno 1333 usque ad annum 1400 dilata fuit : et nihilominus sat cito, cum satis bene consummata fuerit. Sexaginta itaque et septem annis per intervalla laboratum fuit, antequam omnia in perfectum statum redigerentur. Non hoc videtur longum tempus si ædificia tam celebris cartusiæ consideremus.

DOMUS ARGENTINENSIS FUNDATIO

Chronicon ms. Domus ad ann. 1400.

hoc tantum anno absolvitur.

Jam ecclesia cum Capitulo, ambitus major qui nominabatur galilæa, domus hospitum major et minor, cum aliis

ANNUS 1400

necessariis ædificiis et mansionibus, muri claustri et totius monasterii, necnon omnes cellæ Conversorum atque etiam Conventualium paratæ erant. Quas hic placet dinumerare pro memoria posterorum, cum nominibus horum quorum beneficiis fuerunt exstructæ :

Cellam B suis impensis fieri et construi fecit D. Helwicus postea Cartusianus apud nos ; qui etiam plura contulit beneficia.

Cellam C suis sumptibus erigi curavit Reverendus dominus Otelinus sacerdos in Gispolsheim, qui plura obtulit et dedit dona.

D fieri curavit Dominus Wolframus beneficiatus Omnium Sanctorum Argentinæ, qui et plura præstitit beneficia.

E pro media parte construi fecit Ulricus Dripscher, propriis sumptibus ; et pro altera parte de eleemosynis et subventionibus amicorum.

Cellarum fundatores.

Cellas F et G pari modo fieri fecit Ulricus Dripscher pro media parte suis impensis ; et pro altera parte de eleemosynis constructa est, subventionibus amicorum et aliorum benefactorum.

H. Hanc cellam construi fecerunt Domni Theodoricus de Nauenem et Joannes Braunswick postea commonachi et confratres nostri effecti, qui et plura alia bona pro hac Domo præstiterunt.

I. Istam cellam erexit Conventus de eleemosynis et subventionibus amicorum, et ut fertur, pro magna parte de impensis Bertscho de Halle, qui et alia dona largitus est.

K. Hanc ex toto erexit suis impensis præfatus Bertscho de Halle magnus benefactor Domus.

L. Istam erigi curavit suis impensis D. Waltherus dictus Postran, qui alia beneficia contulit.

Cellam M erexit D. Joannes Bircke postea Cartusianus et Procurator Domus.

N. Hanc fieri curavit Margaretha Vouterlerin.

Cellam O suis impensis ædificari fecit Domina Meza de Sesolsheim, de qua multa et larga bona Domui obvenerunt.

Cella P constructa est de communibus eleemosynis et bonis Domus ac subventionibus amicorum.

ANNUS 1400

Cellam Q, videlicet quæ respicit occidentalem plagam seu partem ecclesiæ sub et supra, ædificari fecit Kulmannus dictus Wolf, cui tamen etiam aliquid addidit Conventus de bonis Domus ad complementum.

R. Cellam parvam super domum Colloquii, impensis D. Johannis de Hagenaw confratris, cum ipso Colloquio infra, fieri fecit Prior pro tempore existens.

S. Pari modo super domum Colloquii de ejusdem pecuniis datis, qui et alia beneficia contulit.

Domum hospitum majorem super murum claustri versus Eckebolsheim fieri fecit propter Deum D. Conradus Honsfeld, præter alia beneficia.

Domum hospitum minorem versus Brusciam super murum claustri, fieri fecit D. Henricus de Loeven qui et alia dedit.

Hoc tandem anno millesimo quadringentesimo extrema manus applicata fuit, et parvus ambitus, dictus parva galilæa, perfectus et consecratus fuit una cum circumferentia circumquaque. Item cœmiterium parvum, ad intra inter ecclesiam et refectorium situm, primo Nonas Januarii in profesto Epiphaniæ Domini, a Reverendissimo D.D. Bertholdo episcopo Lindinensi suffraganeo in pontificalibus D. Wilhelmi episcopi Argentinensis (qui omnibus per dictum cœmiterium seu ambitum circumeuntibus, et pro ibidem sepultis et pro omnibus fidelibus orantibus, quadraginta dies Indulgentiarum concessit toties quoties perpetuis temporibus duraturarum), fuit benedictum.

Cœmeterii benedictio.

Eodem anno erectum et consecratum fuit altare Sanctarum Virginum quod situm erat in eodem parvo ambitu a parte occidentali. Parvum cœmiterium 5 Januarii consecratum pro sepultura hominum utriusque sexus, præcipue tamen feminei. Eodem anno et ab eodem Reverendissimo domino Suffraganeo consecratus est ambitus major et cœmiterium magnum (qui ambitus dicebatur galilæa major in circumfe-

ANNUS 1400

rentia circumquaque ante cellas), die S. Sixti et Sociorum ejus ; concessis semper 40 dierum Indulgentiis.

Argentinenses Episcopi hujus Domus fautores.

Insuper Reverendissimus Dominus hujus temporis episcopus Argentinensis Wilhelmus, optime affectus erat erga Domum nostram, sicut et alii prædecessores Episcopi quorum vestigiis insistebat : nam a primo fundationis nostræ cartusiæ anno usque ad præsentem, omnes vel maxime fautores fuere et benefactores ; et Patribus nostris et auxilio et consilio adstiterunt ut nova illa plantatio in perfectum statum redigeretur. Quorum primus fuit Bertholdus qui primos Patres recepit, et locum dedit.

Johannes de Liechtenberg, qui in diebus suis sanctus sua laudabili conversatione reputabatur, et pro ovibus suis fideliter animam suam posuit, et ad Domum nostram singulari affectione et gratia inclinatus fuit.

Fridericus de Blankenheim magnus amicus et fautor Domus et Ordinis protector. Hic in vino, blado et aliis, contulit Domui nostræ multa beneficia. Tempore autem guerrarum, cum fere tota periclitaretur patria, oculum suæ clementiæ et protectionis super nos habuit specialem ; nos semper protegendo et defendendo, et ne quid sinistri nobis occurreret mandando de nobis et suis præcipiendo.

Denique Reverendus Dominus Wilhelmus de Diest, episcopus quartus Argentinensis, anno 1400 vivens, singulari semper affectu ferebatur erga nostros Patres et Domum. Hic bona guetalia * quæ adhuc hodiedum habemu sin pago Sesolsheim, ad ipsum jure ordinario devoluta, et quondam fuerant D. Meza de Sesolsheim, nobis gratiose contulit. Deinde anno 1400 Indulgentias et gratias specialissimas Domui nostræ Argentinensi concessit, his verbis : « Wilhelmus Dei gratia electus et confirmatus episcopus Argentinensis, devotis in Christo nobis dilectis Priori et Conventui Montis B. Mariæ, Ordinis Cartusiensis, Domus extra muros Argentinenses, salutem et sinceram in Domino charitatem. Piam devotionem ad nos et Ecclesiam nostram Argentinensem vos habere, fide digna relatione experimentoque certo didicimus,

* *al.* census.

Guillelmus episcopus Nostris Indulgentias concedit,

ANNUS 1400

ex eo quod jam multis hactenus annis et adhuc hodie, proprio motu et ex animo, pro nobis et pro subditis nobis oraveritis; et specialiter in Missis vestris conventualibus et privatis talem ultimis Collectis clausulam adjeceritis et adjicere consueveritis, videlicet : *Et famulum tuum antistitem nostrum una cum grege sibi commisso ab omni adversitate custodi.* Idcirco vobis gratam vicissitudinem rependere volentes, omnibus et singulis pœnitentibus et confessis qui de cætero clausulam prædictam pro nobis et nostris successoribus atque subditis dixerint seu audierint; quicumque ambitus cœmiteriorum vestrorum orando pro fidelibus defunctis circumierit; sermonem in Capitulo vestro vel Conversorum aut in claustro fecerit, vel interfuerit; et etiam quicumque ecclesiam vestram et altaria in ea et circa eam in capellis constituta, in diebus dedicationis eorum et in cujuslibet Patronorum ipsorum et per octavas diebus singulis, et in ipsis octavis et in festo Sanctissimæ Trinitatis, atque omnibus et singulis festivitatibus B. Virginis Mariæ, necnon in singulis diebus octavarum hujusmodi et per ipsas octavas, devotionis causa visitaverit : pro quolibet die, carenæ unius et quadraginta dierum, criminalium ; et unius anni venialium peccatorum Indulgentias perpetuo duraturas misericorditer in Domino relaxamus. Adjicientes quod personæ hujusmodi quæ ad pulsum Angelicæ salutationis de mane et de sero, in qualibet horarum hujusmodi tria *Ave Maria* devote dixerint, similes Indulgentias in quolibet pulsu horarum prædictarum misericorditer consequantur. In quorum testimonium sigillum nostrum præsentibus est appensum. Datum Argentinæ decimo Kalendas Februarii, anno millesimo quadringentesimo. »

ut Nostris referret gratiam;

Idem quoque Reverendissimus Episcopus literas a Bertholdo primo receptore datas innovavit, approbavit et confirmavit anno eodem 1400 in hunc modum qui sequitur : « Nos Wilhelmus Dei et apostolicæ Sedis gratia episcopus Argentinensis, notum facimus tenore præsentium universis quod sub anno 1400, die vigesima sexta mensis Septembris,

Literasque fundationis confirmat.

ANNUS 1400

literas piæ memoriæ quondam Reverendissimi Patris ac D. Domini Bertholdi tunc episcopi Argentinensis, nostri prædecessoris immediati, ejus vero sigillo pontificali oblongo de cera alba impendenti sigillatas, nobis pro parte religiosorum fratrum Prioris et Conventus Montis beatæ Mariæ, Ordinis Cartusiensis, Domus extra muros Argentinenses sitæ, præsentatas vidimus; easque de verbo ad verbum perlegimus, tenorem qui sequitur continentes : Nos Bertholdus Dei gratia episcopus Argentinensis....etc. * Quibus quidem literis nobis, ut præmittitur, præsentatis, visis et perlectis, præfati fratres Religiosi nobis humiliter supplicari fecerunt, quatenus indultum et concessionem et alia quæ in dictis literis sunt conscripta, nostra ordinaria autoritate innovare, approbare et confirmare dignaremur. Nos hujusmodi petitioni favorabiliter annuentes, præfatas literas et omnia et singula in eis contenta innovamus, approbamus et confirmamus per præsentes ; in quorum testimonium sigillum nostrum præsentibus est appositum. Datum et actum Argentinæ anno Domini et die prænotatis. »

* Vid. ann. 1335.

Termini assignantur :

Hoc quoque anno termini Monachis, possessionibus et bonis fuere assignati, et quod ad eadem Procurator quater in anno exire possit conceditur per Venerandum Patrem Visitatorem Hermannum, Priorem Domus Coloniæ. Literæ ejusdem : « Frater Hermannus humilis Prior Domus sanctæ Barbaræ in Colonia, Ordinis Cartusiensis, Visitator Provinciæ Rheni autoritate Capituli generalis, dilectis amicis et confratribus nostris Domnis Priori et Conventui Domus Montis S. Mariæ prope Argentinam ejusdem Ordinis, salutem, gratiam et sempiternam gloriam. Charissimi, relatione vestra certa et fideli didici, et oculata fide perspexi, olim a Capitulo generali terminos diversos Domui vestræ literatorie assignatos. Et quia humiliter a me eosdem petitis innovari, confirmari et parum dilatari ; cum sint bene dispositi rationabiliter et ordinati, et a me visi et examinati, vestris igitur petitionibus pie inclinatus et gratiose annuens, autoritate Domni Cartusiæ et Capituli generalis mihi commissa, eos-

dem terminos vobis concedo et assigno : Monachorum scilicet sepes seu septa præsentia vel futura, a Bruscia sursum ex duobus locis ascendentia, monasterium et hortos seu agros extra muros munientia; possessionum vero Domus vestræ in gyro, ac bonorum emptione vel donatione seu quovis justo titulo acquisitorum per vos etiam successoresque vestros in futurum acquirendorum circum circa; Procuratoris etiam qui pro tempore fuerit, circumquaque in circuitu ad decem leucas seu milliaria concedo et assigno terminos et in Dei nomine per præsentes confirmo. Ad quos terminos, Procurator pro tempore existens, ter in anno aut quater ex rationabilibus et necessariis causis ac negotiis, exire poterit de licentia tamen Præsidentis. In cujus rei testimonium Domus nostræ minus (quo ego Prior communiter utor) sigillum præsentibus duxi apponendum. Datum anno 1400, in die Exaltationis S. Crucis. »

ANNUS 1400

Monachis,

possessionibus

Procuratori.

Reverendus Pater noster, Domnus Stephanus, anno 1400 licentiam concedit Conventui Argentinensi domum in civitate Basilea recipiendi, et Procuratori quater in anno exeundi ad prædictam civitatem. Textus Literarum hic fuit : « F. Stephanus humilis Prior Cartusiæ cæterique Diffinitores Capituli generalis Ordinis Cartusiæ, dilectis nobis in Christo Priori et Conventui Domus Montis beatæ Mariæ prope Argentinam ejusdem Ordinis, salutem, gratiam et sempiternam gloriam. Charissimi, ut domum vobis noviter Dei dono acquisitam in civitate Basilea, quæ 4 leucis distat a terminis acquisitionis bonorum vobis olim a Capitulo generali assignatis, tenere, habere et possidere possitis, et legitime de ipsa disponere, locando et exponendo pro censibus certis aut alias quovis modo, vobis licentiam impertimur. Insuper quod illos 50 florenos perpetui census quos erga eamdem civitatem emendo acquisiistis, tenere, habere et possidere licite possitis. Et quia ad reditus ut intelleximus vobis necessarios, quibus adhuc indigetis, difficulter circa vos pervenire valetis : ideo temporis successu in præfata civitate in qua supradicta bona ex gratia Dei habetis, ut circa possessiones et

Domus in civitate Basilea possidendæ

licentiam impertitur R. P. Generalis.

ANNUS 1400

reditus et alia quæcumque utilia et necessaria vobis et Domui vestræ si occurrerint acquirenda, justo tamen titulo, licite emere, habere et tenere possitis, permittimus. Procurator pro tempore existens, de licentia Præsidentis, quater in anno ad omnia providenda et disponenda, si utile et necesse fuerit, ut accedere valeat concedimus, et præsentis scripti tenore omnia supradicta in nomine Dei confirmamus. Datum sub sigillo Domus Cartusiæ, anno Domini 1400, sedente Capitulo nostro generali. »

Officium mensis pro Benefactoribus majoribus,

Hoc quoque eodem anno petiit Venerabilis P. Winandus Steinbeck Prior Domus, una cum Conventu suo, licentiam succurrendi illis in spiritualibus qui temporalia dederant, a Venerando Patre Visitatore ; qui eis permisit tricenarium et Officium mensis. Exemplar epistolæ : « Frater Hermannus humilis Prior Domus S. Barbaræ in Colonia, Venerabilibus et dilectis confratribus, etc.... salutem, gratiam et sempiternam gloriam. Affectus pii postulatio opere debet propensius adimpleri, ut et devotionis sinceritas uberius vigeat et spiritualis utilitas fructuosius cumuletur. Desideriis ergo petentium justis facile convenit præbere consensum, et vota quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Igitur quia sacro eloquio testante, sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare ut a peccatis solvantur, justitiæ quoque exigit virtus et rationis dictat ordo, ut his potissimum qui pro suis redimendis peccatis pietatis aperuerunt viscera, et larga eleemosynarum pro relevanda vestræ paupertatis et indigentiæ inopia contulerunt subsidia, per debita et devota ad Deum pro animarum suarum liberatione et salute respondeatis suffragia. Hinc est, charissimi, quod pari voto et unanimi consensu humiliter supplicastis, secundum bonam et laudabilem consuetudinem multarum Domorum nostri Ordinis, Officium defunctorum parentibus et vestris benefactoribus conferendum vobis dari et confirmari (quod *Officium mensis* communiter appellatur) ; in quolibet mensis exordio vel circa, ante vel post, perpetuis temporibus peragendum. Vestris igitur piis desideriis et

II Mach. 12, 46.

ANNUS 1400

rationabilibus petitionibus gratiose annuens, et animarum saluti et liberationi quantum possum et decet devote occurrens, ut prædictum Officium (sicut præfertur) omni mense temporibus perpetuis peragere possitis; dignam et debitam vestris parentibus et benefactoribus Majoribus quibus hoc conferre decreveritis vicissitudinem refundentes, autoritate Domni Cartusiæ et Capituli generalis mihi concessa, e certa scientia concedo et confirmo. Pro Minoribus vero benefactoribus vestris, et apud vos sepultis et in futurum sepeliendis, quatenus circa festum B. Martini episcopi hyemalis unum tricenarium, certum anniversarii diem assignando, imponere et peragere perpetuo possitis, pari modo concedo et confirmo. In quorum testimonium et robur, sigillum Domus nostræ minus, quo ego Prior communiter utor, præsentibus duxi apponendum. Datum anno 1400, in solemnitate Exaltationis S. Crucis. »

tricenarium vero pro benefactoribus minoribus.

Hoc Officium mensis est pro nobismetipsis, parentibus, benefactoribus magnis et specialibus in Libro benefactorum annotatis peragendum, in complementum diversarum promissionum eis factarum et anniversariorum eis concessorum tunc quando benefaciebant. Agenda vero et Missa altera die cum nota et *De profundis*, ut moris est, in Conventu persolvitur. Hujus Officii orationes sunt : *Inclina.... orum* et *arum**. *Deus cui proprium est.... orum* et *arum* pro tricenario currente, cum quatuor assuetis. In Missa autem additur : *Omnipotens qui vivorum, etc...* Et sic hodiedum singulis annis servatur a nobis. Sicut et tricenarium illud circa festum S. Martini imponitur singulis annis pro minoribus benefactoribus quorum etiam beneficia seorsim sunt scripta in Libro benefactorum minori, præter illos qui in antiquo Argentinensis cartusiæ libro continentur. In Agenda hujus tricenarii dicitur oratio : *Inclina aurem tuam... orum* et *arum. Deus cui proprium... orum* et *arum* pro tricenario currente, cum 4 assuetis. In Missa additur : *Omnipotens qui vivorum...* Hoc tricenarium videtur singulariter et diligenter observandum quia multi plura licet parva offerunt, et pro se

In quo consistit Officium mensis.

* i. e : *famulorum et famularum.*

ANNUS 1400

orari petunt, et se inscribi requirunt et anniversaria sibi dari cupiunt : et ideo pro complemento omnis promissi fideliter est servandum.

Hæc plura uno solo anno 1400 annotavi quia istius temporis Prior Winandus Steinbeck omnia accurate conscripsit et posteris reliquit. Ex quibus omnibus collige cartusiam Argentinensem in optimo statu fuisse tam numero personarum quam commoditate ædificiorum, et possessione temporalium bonorum. Et ut in tali statu permaneret nec decursu temporum deficeret, sequenti anno V. P. Prior Winandus una cum Conventu petierunt licentiam vendendi annuas pensiones, sub conditione pecuniam acceptam impendendi ad census perpetuos et certos reditus permanentes, cum consensu ejusdem Conventus vel majoris partis. Quod conceditur eis a Venerando P. Visitatore Hermanno, Priore Domus Coloniæ, anno 1401, die sancti Gregorii Papæ.

NOVITIUS AD ORDINEM REVOCATUR

Ex Calend. Glanderiens. ms.

IV. Eo tempore contigit in cartusia Loci B. Mariæ de Glanderio ea quæ ad ejusdem Virginis, nostri Ordinis beneficentissimæ patronæ, laudem enarrare volo : « Novitius quidam ad conversionem venerat, quem V. P. Domnus Joannes de Montalneuf ad Ordinem receperat, quemque cellæ et exercitiis ejus injunxerat. Ast paulatim primus fervor tepescere cœpit, ita ut ad vomitum, mundum dico, redire infelix Novitius minime abhorreret. Dum his infernalibus stimulis agitaretur, proposuit exequi quod apud se deliberaverat; eaque de causa cum Fratres requiescerent quadam nocte, de cella egrediens, cœpit velle ire quo nesciebat. Sed turbata ratione, quasi cæcus huc illucque errans, exitum quem antea sibi facilem proposuerat, invenire non potuit. Dum ergo his perturbationibus agitaretur, gratia superna de repente ita disponente, vidit piissimam miserorum advocatam cum suo

a B. Virgine Maria,

Filio benedicto sibi assistentem, totumque locum immensæ claritatis luce illustrans, quæ profugum severissime arguit, eo quod locum Filio suo gratissimum relinquere disponeret; quem velut paradisum deliciarum et veræ salutis portum habere deberet; nec ante pugnam, projectis armis, tanquam

victus recedere : præsertim cum eidem Filio suo ipsius mora in hoc loco ad quem eum vocaverat valde jucunda foret, et illi quoque tum salutaris tum honorabilis futura esset, eo quod incolæ istius eremi, velut Angeli in cœlis, Deum die ac nocte laudarent, et vitæ puritate se beatissimis spiritibus, quantum humana fragilitas ferre posset, similes reddere conarentur ; sibi quoque multum delectabile esse eorum pia exercitia e cœlo contemplari, quæ pro illis continuo offerret Sanctissimæ Trinitati. Idcirco suasit illi ut si saperet et ipsius monita vellet recipere, pœnitentiam ageret de sua instabilitate, et potius gloriaretur consummare dies suos in hoc loco sibi potissimum consecrato, in medio tam sanctæ congregationis ; nec pateretur quacumque de causa se avelli a consortio adeo devotissimorum Patrum, qui eum et exemplo et præsidio suo possent ad perfectam vitam perducere. His salutaribus Beatæ Virginis monitis confortatus juvenis Novitius, omni prorsus tentatione repulsa, statim ut cœpit illucescere, omnem rei seriem coram Priore et Fratribus, cum multis lacrymis et suspiriis per ordinem declaravit, simulque pro tanto reatu et levitatis suæ expiatione condignam pœnitentiam sibi petiit infligi. Qui postmodum per plures annos in eodem monasterio laudabiliter conversatus, plenus bonis operibus, et plurimis de antiquo hoste seductore suo reportatis victoriis, in sancta pace vitam finivit. In testimonium hujus admirabilis visionis, in antiquis vitreis refectorii depingitur Beata Virgo cum suo dulcissimo pignore inter sua brachia, et ad pedes ejus Novitius genibus flexis, junctis manibus, in habitu probationis, supplex suum reatum deplorans. »

in Domo Glanderii.

ORDINATIONES.

V. Ex generalium comitiorum utriusque Obedientiæ decretis quædam recitanda veniunt.

Urbanistæ hanc edunt ordinationem pro divisione Provinciæ Alemaniæ inferioris in duas, quia nimis ampla erat, et inde nata est Provincia quæ Rheni vocabatur; sed semper ad speratam reunionem Ordinis, veluti ad scopum respicientes, cum convenienti præcautione omnia disponunt

ANNUS
1400

et ita loquuntur : « Et quia per gratiam Dei in Provincia Alemaniæ inferioris, Ordinis monasteria sunt satis multiplicata, et non possunt ex hoc a duobus Visitatoribus hactenus constitutis, congruis temporibus visitari, nec diligenter illis, ut est expediens, provideri, et ex hoc non modicum detrimentum verisimiliter dictis Domibus sequitur, ordinamus quod dicta Provincia in duas partes dividatur; quarum una vocetur Provincia Rheni, in qua Domus infrascriptæ contineantur : scilicet Domus Moguntiæ, Domus Argentinæ, Domus Friburgi, Domus Confluentiæ, Domus Treviris, Domus Coloniæ, Domus Gelriæ, Domus Trajecti, Domus prope Amsterdam, Domus Hollandiæ, Domus prope Diest, Domus Leodii. Altera vero Provincia teneat nomen suum, scilicet Alemaniæ inferioris, in qua contineantur Domus infrascriptæ : videlicet Domus Herbipolis, Domus Novæ-cellæ, Domus Cellæ-salutis, Domus Nurembergæ, Domus Nortlingæ, Domus Erfordiæ, Domus Isenaci, Domus de Hildesheim, Domus prope Lubeck, Domus de Rostock. Et sic tres Domus, scilicet Hollandiæ, prope Diest, et Leodii, quæ alias erant de Provincia Picardiæ, de cætero sint in Provincia Rheni : duæ autem Domus quæ remanent, scilicet Gandavii et S. Annæ Monialium in Flandria, durante quidem schismate sint in Provincia Rheni, sed post factam unitatem, remaneant in Provincia Picardiæ, prout etiam hactenus extiterunt. »

Provincia Rheni constituitur.

Quatuor tantum sepulturæ quotannis conceduntur.

Clementini autem ne etiam ex usu Anniversariorum aut sepulturarum aliquis abusus irreperet tum contra sobrietatem, tum contra quietem nostræ solitudinis, modum præscribunt, ultra quem progredi non liceat, et sic ordinant in Charta hujus anni : « Cuilibet Domui conceduntur quatuor Anniversaria et quatuor sepulturæ ; sed efficaciter prohibemus, ne talis occasione licentiæ, sine speciali concessione Capituli generalis vel Domni Cartusiæ, sepeliatur aliquis in ecclesia Monachorum vel etiam Conversorum, cum sit a jure prohibitum, et a præcedentibus Patribus nostris valde custoditum ; si quis vero contrarium fecerit, aut etiam con-

sensum præbuerit, in sequenti Capitulo viva voce vel per literas clamet culpam suam, propter inobedientiam suam et transgressionem, disciplinam habiturus. » Hic videtur quid juris tunc temporis circa sepulturas servaretur. Ab hac autem ordinatione edita, singulis annis in Charta Capituli dicitur : « Concedimus cuilibet Domui Ordinis quatuor Anniversaria, et totidem sepulturas, pro isto anno duntaxat. » Quod non eo fine fit, ut tot acceptentur eodem anno in singulis Domibus, nam plerumque evenit ut intra decem annos nec unica fiat sepultura in pluribus Domibus Ordinis; sed ut numquam excedatur, et possimus hoc medio uti ad eludendas importunitates eorum, qui vellent apud Nos sepeliri. Temporibus R. Patris Guigonis, ut ex suis Consuetudinibus probatur, nullæ sepulturæ extraneorum apud Nos fiebant. Sed postea mutatis temporum usibus, impossibile fuit, moraliter loquendo, Fundatoribus Domorum et insignibus amicis aut Benefactoribus id negare. Modus tantum prudentissimus, qui hic videtur, positus est, ne quid nimis in hac parte admitteretur.

ANNUS 1400

Cap. xli, 2.

Anno superiori, ut diximus, Diffinitores ediderant constitutionem, ne quis Nostrum Romam iret Indulgentiæ jubilæi lucrandæ causa ; ast, ut videtur, quidam cæca devotione abrepti, supradictam ordinationem pro nihilo duxerant ; unde contra eos ita pronunciatur in Charta hujus anni : « Omnes personæ Ordinis quæ contra prohibitionem Capituli anni 1399 iverunt Romam vel ibunt, statim in regressu suo incarcerentur firmiter et districte, nec inde emittantur absque licentia Capituli generalis : quoniam bulla ex qua ad peregrinandum moventur non est vera, nec unquam a Sede apostolica emanavit ; prout generale Capitulum fuit veridice informatum. Ideo etiam inhibetur Prioribus ne dictis personis ad hoc ministrare præsumant expensas ; et ipsæ personæ suos Priores de cætero super præmissis infestantes, recludantur. »

* JESU CHRISTI

ANNUS 1401.

Bonifacii PP. IX Ann. 12.	Ordin. Cartus. Ann. 318.	Guillelmi II. Pr. Cart. Ann. 35.

INDULGENTIAS CONCEDIT BENEDICTUS XIII

I. CHRISTI annus surgit supra millesimum quadringentesimum primus, Indictione nona, quo Benedictus XIII, ut Cartusiensium animos magis ac magis ad se attraheret, in concedendis Ordini nostro favoribus quam facilem se præbuit, uti legere est in Vita Bonifacii Ferrerii : « Reversus ad curiam Papæ, ait autor, Bonifacius petiit ab eo et obtinuit die 15 Januarii 1401 devotas illas Indulgentias pro toto Ordine nostro, centum videlicet et viginti dies Indulgentiæ, genua flectentibus ad versum *Te ergo quæsumus famulis tuis*... cantici *Te Deum laudamus*... ; et centum dies indulgentiæ, genua similiter flectentibus dum in missa dicit sacerdos : *Gratias agamus Domino Deo nostro*..., eamdemque consequitur gratiam sacerdos caput devote inclinando. » Hanc bullam e palatio suo (quo veluti in carcere detinebatur intrusus) misit Antipapa per manum Cardinalis Tirasonensis ; nec erat sigillo pontificio consueto signata, eo quod Cardinales bullam Benedicto subtraxerant. Talis autem est tenoris hujus concessionis Instrumentum : « Ferdinandus, miseratione divina Basilicæ duodecim Apostolorum de Urbe, S. R. E. presbyter Cardinalis, Tirasonensis vulgariter nuncupatus, venerabilibus et religiosis viris Majoris Cartusiæ et cæteris Prioribus ac Fratribus, Donatis, omnibusque aliis et singulis personis Ordinis Cartusiensis, salutem et sinceram in Domino charitatem.

Cap. 7.

ad *Te ergo quæsumus* ; et : *Gratias agamus.*

Inter Privileg. n. 106.

Sacræ vestræ Religionis, quæ hujus mundi tenebras tanquam lucifer matutinus illustrat, promeretur honestas, ut ea per quæ vestra ad Sedem apostolicam, caput fidelium omnium et magistram, accrescat devotio, et salutis animarum vestrarum proveniat incrementum, vobis liberaliter concedantur. Hinc est quod Sanctissimus in Christo Pater, Dominus noster Benedictus, divina Providentia Papa tertius decimus, vestris supplicationibus inclinatus, vobis et vestrum cuilibet in obedientia et devotione ipsius Domini nostri Papæ et successorum suorum Romanorum Pontificum canonice intrantium persistentibus, qui in Matutinorum Officio dum in hymno *Te Deum laudamus,* ille magnæ devotionis versus *Te ergo quæsumus famulis tuis subveni, quos pretioso sanguine redemisti,* cantatur, genibus flexis steterint, tres quadragenas; nec non quotiescumque in Præfatione Missæ, hæc verba videlicet : *Gratias agamus Domino Deo nostro* audientes genuflexerint, et presbyteri sic celebrantes caput reverenter inclinaverint, centum dies de injunctis eis pœnitentiis, per præsentes autoritate apostolica misericorditer relaxavit. Verum cum propter nonnullas persecutiones satis toti orbi notorias, proh dolor! eidem Domino nostro illatas, obsidionemque manifestam in qua in Avinione in palatio apostolico per biennium et ultra detentus est; ac subtractionem bullæ* papalis sibi factam, Literæ apostolicæ tam super hujusmodi quam super aliis diversis gratiis, quas personis diversis dictus Dominus noster Papa fecerat (et ex nunc etiam faceret) necnon justitiæ et aliæ Literæ in Cancellaria expediri consuetæ, more solito expediri et bullari non possent : ne personæ hujusmodi dictarum gratiarum et aliarum Literarum prædictarum frustrarentur effectu, idem Dominus noster Papa statuit, et per suam constitutionem ordinavit, quod nos Ferdinandus cardinalis Tirason. præfatus, supra prædictis omnibus et singulis concessionibus et Indultis et aliis gratiis quibuscumque factis et fiendis, necnon et Literis aliis quibuscumque in Cancellaria expediri solitis, Literas nostras sub nostro sigillo concederemus, etc. Datum Avinione sub

ANNUS 1401

Tunc erat detentus in proprio palatio.

* sigilli.

ANNUS 1401

Idem Papa eximit Nos a decimis.

Inter Privileg. n. 104.

anno a Nativitate Domini 1401, Indictione nona, die vero quinta decima mensis Januarii. »

Decima autem die Octobris ejusdem anni idem Pontifex Ordinem nostrum universum exemit a decimis papalibus solvendis, data quæ sequitur bulla : « Benedictus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Sacri Cartusiensis Ordinis perseverantiam et augmentum sinceris zelantes affectibus, ad ea libenter intendimus per quæ Religionem ipsam ac personas sub eadem degentes, favoribus attollamus gratiosis, et muniamus libertatibus opportunis. Sane exhibita nobis pro parte dictorum filiorum Majoris Cartusiæ, Gratianopolitanæ diœcesis, et aliorum Priorum et Conventuum ac personarum, Domorum seu monasteriorum quorumcumque Ordinis Cartusiensis, petitio continebat : quod licet ipsi cum omnibus locis et membris suis ubique consistentibus, a præstatione seu solutione decimarum, talliarum, collectarum, subsidiorum, exactionum, et impositionum quorumlibet, quocumque nomine nuncupentur, quibuscumque personis, apostolica vel ordinaria seu alia quavis autoritate hactenus impositorum et imponendorum in futurum, per specialia Privilegia eidem Ordini ab apostolica Sede concessa, quibus non est in aliquo derogatum, sint prorsus exempti ac liberi pariter et immunes : tamen nonnulli collectores et subcollectores fructuum, redituum et proventuum Cameræ apostolicæ debitorum, in quibusdam regnis et terris autoritate Apostolica deputati, prætextu quarumdam concessionum de decimis, talliis, collectis, et subsidiis a personis ecclesiasticis levandis et exigendis aliquibus Regibus et personis aliis eadem autoritate factarum, privilegia, exemptiones et libertates hujusmodi infringere, ac eis ausu temerario contraire præsumentes, Priores et personas prædictas ad præstationem, solutionem et contributionem decimarum, talliarum, collectarum, subsidiorum, exactionum et aliarum impositionum hujusmodi, per censuram ecclesiasticam et alias compellere non verentur; eosdem laboribus et expensis et alias multipliciter fatigando, in eorum præju-

Vetat Collectores hoc privilegium infringere,

ANNUS 1401

dicium non modicum et gravamen. Quare pro parte Priorum, Conventuum et personarum prædictorum, fuit nobis humiliter supplicatum ut eis in præmissis providere de benignitate Apostolica dignaremur. Hos igitur eosdem Ordinem, Priores, Conventus et personas ac Domos gerentes in visceribus charitatis, hujusmodi supplicationibus inclinati ; eosdem omnes et singulos, cum omnibus Domibus et membris suis ubicumque consistant, a præstatione, solutione et contributione decimarum, talliarum, collectarum, subsidiorum, exactionum, procurationum et aliarum impositionum quarumlibet, quocumque nomine nuncupentur, quacumque occasione, in quibusvis partibus impositorum jam vel impositarum seu in posterum qualitercumque imponendorum vel imponendarum, præfatæ Sedis vel legatorum ejus, aut locorum Ordinariorum seu aliorum quorumcumque autoritate, pro Camera apostolica seu aliis personis quibuscumque, etiam si Pontificali aut regali vel alia qualibet ecclesiastica vel mundana perfulgeant dignitate, concessorum seu concessarum et in posterum concedendorum seu concedendarum ; autoritate Apostolica supradicta et certa scientia tenore præsentium, etiam de novo prorsus eximimus et perpetuo liberamus. Et ut ad præstationem, solutionem, seu contributionem hujusmodi minime teneantur, nec ad id a quoque compelli possint inviti, autoritate quarumlibet Literarum apostolicarum sub quavis forma vel expressione verborum confectarum seu conficiendarum in posterum, etiam si de Domibus, sive monasteriis, et Ordine Cartusiensi hujusmodi, ac privilegiis eidem Ordini a Sede apostolica concessis et concedendis expressam faciant mentionem ; et etiam si in eisdem Literis caveatur expresse quod omnes personæ ecclesiasticæ, sæculares et regulares quorumcumque Ordinum, ad præstationem seu solutionem decimarum, talliarum, collectarum, subsidiorum, exactionum, procurationum et impositionum hujusmodi, et ad contribuendum in eis compelli valeant. Non obstantibus.... Datum Avinione, sexto Idus Octobris, Pontificatus nostri anno septimo. »

et Nos ad talem contributionem compellere.

ANNUS
1401

SUMMUS PONTIFEX BONIFACIUM FERRERIUM AD REGEM FRANCIÆ MITTIT.

Vita Boni. Ferr. ms. c. 7.

ad hunc annum.

II. Ad generale Capitulum, die secunda Maii et sequentibus celebratum, ascendit noster Bonifacius Ferrerius ; et, « eo finito, rediit ad Curiam. Pontifex autem, cum jam ultra biennium a Cardinalibus et populo Avenionensi valde opprimeretur in illa captura seu reclusione, misit D. Bonifacium legatum suum ad Regem Franciæ, rogans eum ne tales injurias et vexationes in regno suo sibi fieri permitteret. Quæ legatio justa et rationabilis visa fuit Regi. » Eo revera tempore, id est circa medium annum 1401, Rex Arragonum, ut ait Bzovius, nuntios ad Galliarum Regem miserat, qui cum illo de Pontifice liberando tractarent; quibus ipse Benedictus XIII Bonifacium addidit. Legati ergo tum Regis tum Papæ, in publica audientia Parisiis Carolo VI audacter dixerunt : Eum, quem pluribus jam annis ut summum Pontificem agnoverat et honoraverat, in carcere custodire injuriosum esse; et nefas, nisi præcessisset juridica informatio, eum deponere vel ab ejus obedientia se subtrahere ; propter hanc Pontificis captivitatem Franciæ regnum valde turbari ; et illam quam promiserant tranquillitatem et libertatem, nullo modo Ecclesiæ gallicanæ talibus in adjunctis posse procurari : unde concludebant oratores Arragoni et Bonifacius Ferrerius, Carolum regem atque Principes hoc auferre scandalum gravissime teneri. Nec frustra sunt loquuti ; etenim Rex ambasciatores direxit ad Papam, quos Bonifacius ipse in curiam introduxit, ut videbimus anno sequenti.

EXURGIT DOMUS JUXTA BASILEAM.

Cap. 1.

* gallice : *Béguines.*

III. Helvetia, hoc anno, novam Ordinis plantationem vidit exurgentem : cartusiam dico juxta Basileam urbem. Ejus exordium in chronico Domus fusissime narratur, ex quo plura transcribenda curamus : « Erant autem in illo tempore (vergente seculo quarto decimo) Basileæ personæ devotæ quæ nominabantur Begutæ *, quas vice quadam causa devotionis visitandas duxit venerabilis Pater Domnus Johannes de Brunswich, natione dux de Saxonia et professione Cartusiensis, in Friburgo et in Torberg successive Prior, et quandoque electus archiepiscopus Moguntinus, sed in electionem hujusmodi ex humilitate consentire noluit. Idem

ANNUS 1401

insignis Pater erat Doctor decretorum a multis expertus.

« ....Hic autem notabilis Pater, vir magnæ litteraturæ et multæ devotionis, ad memoratarum Religiosarum humilem instantiam in earum conventu super portatili celebrans, intellexit ab ipsis magnum affectum quem habebant ad Ordinem Cartusiensium, valde optantes ut Basileæ esset aliqua talis Ordinis Domus. Tunc præfatus Pater sacrificio altaris peracto, in hæc verba spiritu prophetico, ut videtur, prorupit dicens : Gaudete in Domino, dilectæ Sorores, quia non fraudabit vestram devotionem pius Dominus, suo tempore namque erigetur una Cartusiensium Domus in Basilea ; quæ quidem multa adversa ad tempus sustinebit et in paupertate magna erit, sed postmodum proficiet in personis et rebus in tantum, quod Cartusiensium super Rhenum vocabitur corona. Utrumque horum partim verificatum et in futuro amplius verificandum esse non possumus dubitare, si ad mentem revocaverimus gravamina quæ pro parte sustinuit hæc nova cartusia, et consolationes quas de post nonnunquam sensit pro revelationum hujusmodi verificatione. Illæ enim revelationes quæ fundatæ sunt super humilitatem, non sunt reputandæ quemadmodum se aliter habentes, nec sunt respuendæ, quia scriptum est : « Ubi humilitas, ibi sapientia. » Prælibatus quippe Pater tantæ erat humilitatis, quod licet Dux esset genere, tamen ad Capitulum generale vadens ivit pedester cum Fratre, ducens secum non equum sed asinum ad portandum vestimenta, cibaria et libros. Ideo autem præmittitur inter occasiones fundationis novæ Domus hoc exemplum utique merito ædificatorium. Revelatio prædicta satis conformis est revelationi quæ facta fuit Argentinæ fratri Burchardo zem Houpt, Domus Cartusiensium Argentinæ Converso, per duos annos antequam quisquam de cartusia in Basilea erigenda cogitasset. Hic Conversus communiter ab omnibus habebatur pro sancto viro. Ad quem visitandum venit tempore illo supradicto pro consolatione sua Argentinam, honesta mulier Verena zem Houpt ejusdem Conversi quondam famula in Basilea, et inter cætera dixit se dolere

De occasione fundationis.

Cujusdam Conversi revelatio.

ANNUS 1401

de hoc quod nulla Cartusiensium haberetur Domus Basileæ. Ad quod verbum idem Conversus, qui magnæ quondam reputationis fuit in Basilea, sic et in Argentina, quia dives et prudens, et non parvæ reputationis in cartusia Argentinensi, quoniam multæ devotionis erat, frequens in orationibus ultra modum et aliis spiritualibus exercitiis, spiritu prophetico haud dubium Verenæ respondit : Dico tibi, Verena, tu adhuc vives quando tempore tuo fiet in Basilea notabilis Cartusiensium Domus; cui multi perversi resistent, sed finaliter nihil proficient, totaque Basilea de profectu ejus gaudebit. Hæc prophetia incepit verificari utique, quando Pater D. Wynandus fuit vocatus ad providendum de loco erigendæ Domus nostræ....

De fundatore Domus.

Cap. 4.

« Dominus autem Jacobus Zybel in Basilea a quibusdam casualiter fortassis de hoc narrantibus percepit, quomodo dominus marchio Rotelensis habuisset consilium de construenda Domo Ordinis Cartusiensis, sed impedimento interveniente mansit hoc sine effectu, cujus causa impedimenti a pluribus tamen ignorabatur. Cogitabat ergo anxie dictus dominus Jacobus, si forte divinitus sibi hoc reservatum esset opus, sicut revera erat, quare non parum inde suo in corde jucundabatur. Unde ipso multum apud se sollicito de loco accidit, non utique a casu, sed haud dubium divina ordinatione, ut solemnis locus in Basilea minori *, qui curia Episcopi Basileensis vocabatur et erat de dominio Ducis Austriæ, vacaret et per venditionem et alienationem Domus Austriæ emptionemque et attractionem civitatis Basileæ per translationem dominii, jam in proximis esset subjiciendus et in diversos cives Basileenses per contractus varios pro hortis olerum distrahendus. Quo per prælibatum dominum Jacobum comperto, ipse hujusmodi venditionem curiæ caute impedivit et dilationem ad suum nutum disposuit. Scripsitque interim idem dominus Jacobus secrete Patri memorato domino Wynando, Cartusiensium prope Argentinam Priori, anno Domini 1401 circa festum cathedræ Petri, quem ipse prius in tractatibus de hujusmodi facto cum domino Mar-

* *Klein Basel.*

chione supradicto cognoverat fuisse, quatenus idem Pater Argentinæ dignaretur venire ad se in causa illa, propter quam prius cum domino Marchione fuerat locutus. Pater Wynandus præfatus, in Domino confortatus, iter arripuit, gerens spem magnam de prospera via sua. Audierat enim rumorem de dicti domini Jacobi bona ad Ordinem Cartusiensium inclinatione et de ipsius similiter divitiis, sed de loco pro futuræ Domus fundatione nondum sufficientem informationem habuerat. Itaque cum pariter in Basilea convenissent præfati Pater Wynandus et dominus Jacobus Zybel et locum vidissent (utpote tunc curiam episcopi Basileensis in Basilea minori), inter se quoque diligenter tractassent de loci aptitudine et bona situatione, in quibus maximam habebant complacentiam et Prior et dominus Jacobus prædicti ; et ideo cum Pater tangeret de modo acquirendi curiam ipsam, dominus Jacobus dixit : Ego confido quod in hoc nulla sit difficultas ; quando enim Consulatus Basileensis audierit quod ego pretium curiæ volo exponere, res est plana. Quare et ambo multum sunt gavisi de bona spe quam conceperant super consequendo quod quærebant.... Electione itaque loci, ut tactum est, præmissa, dominus Jacobus Zybel loquebatur consulatui Basileensi de sua intentione manifestius, desiderando curiam prædictam sibi et nulli alteri vendi, offerens pro pretio ejusdem sexcentos florenos auri Rhenensis. Quibus auditis consules Basileenses pene omnes de domini Jacobi Zybel intentione mirabantur, scire volentes quid ipse tamen prætenderet se facturum cum hujusmodi curia. Qui finaliter respondit se curiam hanc ad illum statum Domino largiente velle deducere, quod civitas Basileensis perpetuo inde deberet gaudere. Et apertius loquens subjecit dicens : Hæc est mea intentio, quod volo, Deo propitio, construere ibidem Domum Ordinis Cartusiensis. His auditis Basileenses consules omnes gavisi valde, benedicentes Deum qui talem eis mittere dignaretur Ordinem, libenter desiderio dicti domini Jacobi annuerunt. Et ultra hoc optantes singuli eidem prospera cum bona intentione sua, illo salvo addentes,

ANNUS 1401

Vocat Priorem Argentinensis cartusiæ.

Locus eligitur,

Cap. 5.

et emitur.

ANNUS 1401

quod ipse dominus Jacobus et Cartusienses non alienarent neque in usum alium quam in divini cultus augmentum venire facerent aut permitterent ipsam curiam, sicut præmittitur venditam, nisi de civitatis Basileensis bona voluntate atque consensu. Quod etiam tam dominus Jacobus quam Pater Wynandus præfati promiserunt. His peractis, læti ultra modum Pater Wynandus et dominus Jacobus effecti, loquebantur simul de his quæ restabant pro executione inventæ gratiæ quantocius facienda....

Cap. 7.

Anno Domini 1401, in die sancti Mathæi apostoli et evangelistæ, locus ille in Basilea minori, qui olim dicebatur curia episcopi Basileensis, per civitatem Basileensem empta, et post domino Jacobo Zybel vendita in ipsiusque potestatem redacta, commissus fuit una cum clavibus Patri Wynando Priori Cartusiensium de Argentina. Sed feria secunda post Nicolai episcopi solemnia eodem anno quo supra, scilicet 1401, fuit curia ipsa domino Jacobo et Cartusiensibus per civitatem Basileensem resignata cum literis et sigillis, sub cautela hac ex parte civitatis de non alienando, coram notario et testibus ac cum cæteris solemnitatibus in talibus fieri consuetis.

De assignatione loci facta Ordini Cartusiensi,

Anno vero Domini 1402 circa initium mensis Martii, fuerunt autoritate Reverendi Patris D. Stephani Prioris Cartusiæ Majoris * et ad sæpedicti Patris Wynandi instantiam, duo Monachi et unus Conversus de Domo Argentinæ missi ad hujusmodi novam plantationem in Basilea minori. Sed et non diu post recepti fuerunt ibidem aliqui Novitii. Quibus per dominum Jacobum providebatur, sed ut compertum fuit satis sobrie, de necessariis usque ad provisionem uberiorem. Eodem anno circa vigiliam sancti Bartholomæi apostoli, quia placuit Patri Reverendo Cartusiæ Priori, Domno Stephano, loci emptio pro Ordinis Domo facta; ipse eam gratam habuit et hanc novam in Basilea minori plantationem, sicut præmittitur conceptam, venerabilibus Patribus, Domno Hermanno Coloniensi et sæpedicto Wynando Argentinæ Domorum Prioribus diligenter commendavit. Ipse vero dominus Jacobus, tempore quo immediate supra, coram notario et testibus et amicis,

* in Seiz.

annuente Domno Cartusiæ.

amplius ostendere volens bonum animum suum quem ad Domus haberet fundationem, mox pro ejusdem dotatione cum bona filiorum et hæredum suorum voluntate et consensu eorumdem, assignavit libere una cum pluribus aliis beneficiis triginta vernzellas speltæ de bonis suis, specialiter quæ tunc in villa Œtliken habebat, annis singulis Patribus Cartusiensibus futuris perpetuo exolvendas. Ecce jam habes novam Ordinis Cartusiensis plantationem, habes et Domus novellæ in Basilea minori fundatorem. Et veraces inventi sunt, qui de hujus Domus erectione prædixerunt.... In adventu primorum Fratrum de Argentina ad Basileam, nondum erant cellæ et loca alia pro Ordine necessaria ædificata, quamvis magna esset eis spes de consolatione cito ventura. Sed tamen spes quæ differtur affligit animum. Pro confirmatione dictorum, attendat Lector diligenter quæ dicam, quia sunt materia non consolationis sed compassionis. Deficientibus quippe necessariis structuris, pro ecclesia habuerunt aulam quondam episcopi quæ nunc vocatur : Supra-refectorium ; sedilia antiqua fuerunt illic de deposita capella locata, tintinnabulum fuit suspensum in camino coquinæ ; claustrum erat ubi nunc sunt cellæ Fratrum laicorum, colloquium fuit in transitu superiori versus vineas et fossatum, refectorium erat stubella circa cameram Patrum ; cellæ conventualium fuerunt partim apud Fratres laicos, partim in turri angulari civitatis Basileensis et partim superius in domus antiquo granario. Pictantia quotidie deferebatur de ultra Rhenum ex fundatoris domo, ubi nunc est Universitatis studii Basileensis collegium. Et sæpius accidit ut, cum pulmentum comedissent, pictantiam expectantes, hanc post horam vel duas primo viderent : non nimis delicate, sed satis parce præparatam. Hæc de victualibus. Sed quid de vestibus ? In hac tamen paupertate ipsi Patres magnam habuerunt cum hilaritate in Spiritu Sancto patientiam, omnia æquanimiter tolerantes quamdiu Sponso cœlesti placuit... »

ANNUS 1401

Paupertas multa in inchoatione hujus Domus,

Cap. 9.

in diversis necessariis.

IV. In Charta Clementinorum denunciantur inter mortuos : « Reverendissimus Dominus Gundisalvus de Menna, archi-

ACTA CLEMENTINORUM.

ANNUS 1401

episcopus Hispalensis qui obiit die vigesima prima Aprilis 1400, primarius fundator cartusiæ de Covis, vulgo *lás Cuevas,* in regno Castellæ, diœcesis Hispalensis, juxta ipsam urbem sitæ, solo fluminis alveo intermedio. De fundatione hujus Domus pauca ex Molino deprompta dicemus : « Illustrissimus ac reverendissimus Gundisalvus vel Gunsalvus de Menna, archiepiscopus Hispalensis, cupiens terrena in cœlestia et transitoria in æterna felici commercio commutare, pro sua parentumque suorum ac aliorum Christi fidelium animarum salute, ad divini nominis laudem et gloriam, quamdam Domum Ordinis Cartusiensis in eremo sanctæ Mariæ de Covis prope Hispalim, in qua olim quædam Capella in honorem beatæ Mariæ constructa extiterat, loco ad hoc congruo, licito et honesto, quem dictus Archiepiscopus ex certis justis titulis acquisivit, et eum una cum universis juribus et pertinentiis suis et certis aliis possessionibus, eidem Ordini concessit et donavit perpetuo; petita in Capitulo generali dicti Ordinis et obtenta licentia. De bonis a Deo sibi collatis hanc cartusiam fundare et sufficienter dotare proposuit, et eam ecclesia et officinis necessariis munire cupiens, ibidem ædificare incœpit. Et pro hujusmodi devotione hæreditates de Maialcosa quæ fuerunt Gabrielis de Gran, et de Moquez quæ fuerunt Gundissalvi Sancii, et de Arctena quæ fuerunt Gomerii Petri de Mendoza, laicorum Hispalensis diœcesis dilectorum filiorum, ac quasdam domos et vineas ac possessiones de Villaverde et de Cantellana, tunc expressas et specifice designatas, justo titulo acquisivit. Sed antequam Fundator hæreditates, domos, vineas et possessiones prædictas dictæ Domui assignare potuisset sors humanæ naturæ ipsum, sicut Domino placuit, de medio sustulit. Post cujus mortem, terræ, vineæ cæteræque possessiones, autoritate ordinaria datæ et assignatæ sunt Priori Majoris Cartusiæ, et Priori qui pro tempore fuerit in hac Domo de Covis, quæ circa annum 1398 initium habuit. » Hæc Molinus. In ecclesia hujus Domus Gundisalvo erectum est conditorium cum epitaphio quod sic apud Morozzo recitatur : « Virtutum nitor, quibus

Molin. Histor. Cartusian. p. 686.

clarissimæ meæ familiæ splendorem adauxi, Calagurritanam me primum ad sedem, mox ad Burgensem et demum archiepiscopales Hispalenses ad infulas me provexit. Jus sacrum inculpate dixi ; nec contentus optimi Pastoris implere partes, grege Dominico custodito et aucto, condidi amplissimeque dotavi hoc monasterium in quo animæ divinis obsequiis emancipatæ viam reperirent salutis, et inopum miseriis continuo meæ charitatis subsidio occurrerent. Defeci peste sublatus, quo indignationis divinæ furor me prostrato placatus, commissarum mihi ab ovium cæde abstineret. Qui postquam in mea basilica diu quievissem, procurantibus mihi in spiritu filiis, ad hanc ecclesiam meis impensis erectam traductus sum, eorumque precibus stolam secundam expecto. »

ANNUS 1401

Theat. Chronologic. pag. 279.

Denunciatur etiam Illustrissimus Episcopus Condomiensis et consiliarius regius, « qui dedit Domui Cartusiæ imaginem beatæ Mariæ argenteam deauratam cum infra clausis Reliquiis de capillis beatæ Virginis gloriosæ, et multa alia bona fecit Ordini; habens tricenarium per totum Ordinem. » Vocabatur iste Condomiensis Episcopus, Bernardus Alemani vel Alamandi; obierat autem VII Idus Martii.

Ex quadam ordinatione hujus anni manifeste innotescit, quam stricte prohiberent Diffinitores ne Priores aliquid attentarent facere Statutis adversum, aut aliquid agerent omissa forma ex Statutis servanda. « Priori N. inquiunt, non fit misericordia. Et quia sine licentia Capituli generalis vel Domni Cartusiæ permisit ædificare domum de qua scribunt; insuper quod Procuratorem noviter professum duxerit, etiam sine licentia, extra terminos : sit extra sedem suam ubique in Conventu usque ad tres menses a recepta præsentium. Monachi vero qui præbuerunt ad prædicta consensum, comedant ad terram trinis vicibus pro quolibet. Et prohibetur ne dicta domus post mortem ædificantis alteri locetur, sed semper pro usu monasterii servetur. »

Le Masson, Discip. Ordin. Cartusiens. p. 209.

JESU CHRISTI

ANNUS 1402.

Bonifacii PP. IX	Ordin. Cartus.	Bonifacii Pr. Cart.
Ann. 13.	Ann. 319.	Ann. 1.

BONIFACIUS FERRER. LEGATOS REGIS FRANCIÆ BENEDICTO XIII SISTIT.

I. ANNUS sequitur a Christo nato millesimus quadringentesimus secundus, Indictione decima, quo exurgente, die videlicet octava Januarii, noster Bonifacius Ferrerius, Prior tunc Portæ Cœli, sed haud diu post totius Ordinis futurus Minister generalis, missos a Duce Aurelianensi et quos secum exeunte anno superiori Parisiis Avenionem adduxerat nuncios, apud Benedictum XIII admisit. Hujus Legationis et admissionis meminit Hieronymus Zurita his verbis ex hispano in latinum versis :

Annal. Aragon. Lib. X. cap. 73.

« Anno 1401, die festo nascentis Christi, Vicecomes Rudensis (forte Rutenensis) et quidam miles de familia Ducis Aurelianensis dictus Guillelmus de Leyra, cum cantore Ecclesiæ Baionensis, cardinalis Ausciensis nepote, Avenionem advenerunt; et ingressi palatium, octava die Januarii salvum conductum a Rege Franciæ (sive potius a Duce Aurelianensi Regis nomine) Benedicto obtulerunt. Una cum eis venerat D. Bonifacius Ferrerius monasterii Portæ Cœli Ordinis Cartusiensis in regno Valentiæ Prior, quem summus Pontifex ad Regem Franciæ et ejus Consilium, et ad Ducem Aurelianensem legatum miserat, » ut diximus anno superiori.

Cardinales cum Papa reconciliat.

Et inferius idem autor scribit Cardinales, qui hactenus Papæ Benedicto aversati fuerant, Oscensis Episcopi et ejusdem nostri Bonifacii opera usos fuisse ad gratiam ejus sibi

reconciliandam ; et utrumque mense Februario hujus anni cum quibusdam suæ reconciliationis conditionibus ad eum delegasse.

ANNUS 1402

AD COMITIA ORDINIS PERGIT.

II. « In his sanctis exercitiis (inquit autor Vitæ nostri Bonifacii) et mediis procurandis pro concilianda pace inter Papam et Cardinales occupabatur noster Bonifacius, quando appropinquavit tempus Capituli generalis ; ideoque ascendit Cartusiam ubi honorifice valde et amabiliter ab omnibus susceptus et tractatus fuit, eo maxime quod scirent quanti illum faceret Dominus Papa, præsertim R. Pater Generalis : in signum amoris quo eum prosequebatur, quando ab eo abscessit dedit illi Diurnale quo ipse utebatur in membrana. In ejus principio ipsemet Bonifacius sequentia verba manu propria scripsit : « Istud Diurnale fuit datum mihi fratri Bonifacio, inutili Priori Domus Portæ Cœli, per R. P. Domnum Guillelmum, Priorem Cartusiæ, die Veneris 29 (melius 19) Maii, quando recessi ab eo, sedente Capitulo generali, procurante Domno Joanne de Tegulo procuratore, an. 1402. » Hoc Diurnale quia eo usi sunt duo sancti Generales, Raynaldus videlicet et Bonifacius, in sacristia nostra inter Reliquias asservatur. In his comitiis quorum primus consessus die 23 Aprilis habitus est, inter Diffinitores assumptus, significavit Benedictum « plenam omnibus Prioribus, Monachis, Priorissis, Monialibus, Clericis Redditis, Conversis et Donatis sub sua obedientia constitutis, necnon et qui infra quinquennium Ordinem nostrum fuerint ingressi et in eo perseveraverint, Indulgentiam a pœna et a culpa concessisse in mortis articulo consequendam, et aliam gratiam renovasse qua largitus est singulis qui celebrationi præsentis Capituli interfuerint pro quolibet die, durante celebratione hujusmodi, quinque annorum et quinque quadragenarum Indulgentiam in forma consueta. »

Vita. Bonif. Ferr. ms. § 8.

Multa pro bono Provinciæ Hispan. decerni curat.

Deinde multa Bonifacius circa statum suæ Provinciæ decerni curavit. « Et primum cum D. Petrus de Podiolo, contra Statuta Ordinis, per licentias subreptitias, sine sua culpa, fuerit translatus de Domo Jesu Nazareni ubi legitime

ANNUS 1402

erat Prior, ad Domum Vallis Jesu Christi, nec poterat eligi nisi fuisset primo absolutus a vinculo primæ Domus, sed postulari ; ideo sua electio posset decerni nulla, et etiam annullanda : tamen ex justis considerationibus absolvimus eum ab officio primæ Domus, et eum in dicta Domo Vallis Jesu Christi præficimus in Priorem, ratificantes quæ usque nunc per eum in dicto officio facta sunt ; ordinantes quod tales mutationes ulterius non fiant. Item pari modo, præficimus in dicta Domo Majoricarum in Priorem, Domnum Petrum Solanum, professum Domus Portæ Cœli. »

A quonam vel a quibus licentiæ istæ, quæ vocantur « subrepticiæ », fuerint obtentæ vel concessæ vix dici potest ; non quidem a Visitatore, nam ipse præfatus Bonifacius hoc munere fungebatur et erat juris peritissimus, imo ut videtur hoc decretum ipse condiderat ; nec etiam a Reverendo Patre, nam poterat ille tales dare licentias ; forte ergo a Conventualibus Vallis Jesu Christi vel a Convisitatore : nisi dicamus, quod verisimilius est, hujusmodi licentiam a Priore Cartusiæ concessam quidem fuisse, sed eum ex quorumdam falsa vel saltem non aperte facta delatione deceptum, et a nostro Bonifacio de hujusmodi errore, plenis in comitiis commonitum, datam potestatem revocasse. Sapientis enim est sententiam mutare cum se lapsum vel delusum agnoscit.

Licentias subreptice datas revocari studet.

Idem iterum præstitit Prior Cartusiæ circa patentes literas duobus Monachis Portæ Cœli a se paulo ante concessas, quarum effectum statim vel impedivit vel revocavit ubi eas cognovit ex malo suggestu a se fuisse extortas, ut sequenti decreto apparet : « Cum Domni Nicolaus Borth et Valentinus Joannis, professi Domus Portæ, ex indebita suggestione habuerint a Domno Cartusiæ in mandatis sub virtute sanctæ obedientiæ, quod irent ad Domum Vallis Jesu Christi et ibidem statim profiterentur : si non recesserint, vel alter eorum, bene fecerunt et laudamus ; si autem recesserint, revertantur ad dictam Domum Portæ Cœli, nisi voluntas ejusdem Domus accesserit quod ibi remaneant. Et inhibemus quod exinde similes coactiones fiant. »

ANNUS 1402

Quemdam vero suum amicum olim ex alio Ordine ad Nos translatum et quem e Domo Scalæ Dei, ubi Cartusiense Institutum amplexatus fuerat, ad Portam Cœli advocaverat, cunctis muniis Ordinis obeundis juxta potestatem a Benedicto XIII factam, habilem reddi petiit et obtinuit his verbis : « Habilitamus autoritate Apostolica ad omnia Ordinis officia etiam ad Prioratum, D. Franciscum Zaplana, hospitem Domus Portæ Cœli, non obstante si fuerit in Ordine Mendicantium vel Cisterciensium. » Et deinde Patres committunt ut cum Priore Vallis benedictionis, in recessu a Capitulo, Domum Monialium Bertaudi haberet visitare, cum potestate absolvendi, corrigendi, puniendi et cætera quæ secundum Deum videbuntur ordinanda, et si viderit expedire, absolutionem Vicario faciendi ac de alio providendi. » Et cum in patriam redierit « quod possit Domum Terraxiæ visitare, » etiamsi Prior ejusdem Domus esset ejusdem provinciæ Cataloniæ Convisitator. Denique cum Prior Cartusiæ Guillelmus, viribus aperte deficiens, graviorum negotiorum ponderi ulterius sustinendo jam impar esset, Bonifacium rogant, sive (ut ipsis Chartæ verbis utamur) « ordinant quod respondeat et provideat literis suæ Provinciæ. » Hoc ultimum ut ille melius commodiusque et cum consilio ejusdem Guillelmi Prioris generalis exequeretur, Cartusiæ post celebrata comitia, fere per mensem integrum remansit ut colligere est ex verbis quæ manu illius cuidam Diurnali præfixa superius retulimus, et hæc omnia tanto cum honore ei a Patribus delata fuere quasi Generalatus illius præsagia.

Monialium Bertaudi Visitator designatur.

III. « Post hæc, reversus est Avenionem, pergit autor Vitæ illius, inde misit Vicario Domus Portæ Cœli nonnullos libros valde bonos et aliquas eleemosynas quas Dominus Papa et Cardinales ei dederant. Vixque in curiam Benedicti regressus fuerat, quando D. Raynaldus Prior Cartusiæ diem clausit extremum octogenario major, die quinta decima Junii, expletis in officio Prioratus Cartusiæ annis triginta quinque. » Ejus obitus apud Dorlandum in annum sequentem

AVENIONEM REPETIT.

Ubi supra, et § 9.

R. Pater Guillelmus moritur.

ANNUS 1402

vitiose rejicitur, et Petreius in Notis ad eumdem autorem diem perperam signat quintum Junii. Constat enim non solum ex chronico Cartusiæ, sed ex Charta anni sequentis in qua plenus monachatus ei per totum Ordinem conceditur, quod hoc anno, die a nobis designata, obierit. Sutor summatim res ejus expressit quas passim fusius in his Annalibus recensuimus. Denique « fuit dictus Pater, inquit autor chronici Cartusiæ, magnus zelator justitiæ et ad defendendum jura Domus Cartusiæ fervens, in tantum quod propria manu scribebat Principibus literas monitorias cum allegationibus Sacræ Scripturæ pro administratione justitiæ. Unde Principes videntes rationes et allegationes ejus, movebantur facere justitiam. Et licet esset utilitatis tantæ atque virtutis, nihilominus tamen de se minima sentiens, inutilem se reputabat, ita ut sæpe in Capitulo generali et in Capitulo Monachorum pro absolutione sua importunus instaret ; quam cum obtinere non posset, per Notarium publicum et Instrumentum cum testibus, protestatus est de omni damno quod Domui Cartusiæ ac toto Ordini ex insufficientia sua evenire posset. » Ex his patet quantæ fuerit humilitatis vir ille indignum se Prioratu proclamans, quem summi Pontifices rubeo galero, imo et ipso Papatu dignum Cardinales existimaverint. Unde non immerito a quibusdam Beatus inscribitur. »

Lib. IV. c. 14.

De Vita Cartusiana. L. II.

Chronicon Cartus. ms. cap. 24.

Aug. ab Eccles. in Histor. Pedemont.

Moriens successorem indicat, B. Ferrerium.

« Dum in extremis Guillelmus laboraret, inquit autor Vitæ Bonifacii, Monachi Cartusiæ de successore solliciti, sciscitati sunt ab eo quem sufficientiorem judicabat ad locum suum supplendum. Quibus ille respondit nullum alium in Ordine pro tunc inveniri digniorem et aptiorem quam Priorem Portæ Cœli ; cui sententiæ facile consenserunt omnes, cum in tribus proxime elapsis Capitulis abunde agnoverint sufficientiam et merita D. Bonifacii : quapropter, persoluto sepulturæ officio prædecessoris, in ipsius locum solemni et canonica electione illum elegerunt die 23 Junii (sive potius, et quidem melius die 22, ut habet chronicon Cartusiæ). Et statim miserunt nuntium ad Curiam, qui nuntiaret ei nominationem de eo factam. Et quamvis ille pro viribus hanc

Chronicon Cartus. ms. cap. 25.

dignitatem recusasset, ductus eadem humilitate qua et alias majores a Pontifice sibi oblatas respuerat, hac tamen vice non profuit ulla excusatio, quia Papa præcepit illi assentire absque ulla replica. Et ita fuit Generalis Ordinis creatus, cum sex annos, tres menses et aliquot paucos dies in Ordine peregisset », ut probatur ex his quæ diximus anno 1396 ; non vero quatuor tantum annos, ut habet Rauzanus in Vita S. Vincentii : « Inter autem illius Ordinis (Cartusiensis) fratres, inquit, adeo religiose conversatus est, quod post quatuor annos, eum in eorum generalem Rectorem elegerunt ; » quem fere omnes nostrarum rerum Scriptores postea secuti sunt. Non statim a Benedicto Papa Bonifacius dimissus est, nam, « mense Augusto asserit sæpe citatus autor Vitæ illius, reperitur interfuisse una cum Episcopo Oscensi, Abbate S. Joannis de Pina et Petro Sancio de Calatayud pro parte D. Papæ quibusdam congregationibus Cardinalium habitis super pacem Ecclesiæ. » Idemque tradit Hieronymus Zurita. Attamen, sub finem hujus anni vel saltem sub initium sequentis, ad Majorem Cartusiam eum jam se recepisse patebit ex his quæ ibidem dicturi sumus.

ANNUS 1402

Lib. I. cap. 1 apud Bolland. die 5 April.

Annal. Aragon. Lib. X. c. 77.

IV. Inter hæc noster Stephanus, Cartusiensium Urbanistarum Generalis, rebus suæ obedientiæ optime se habentibus, sua studia ac cogitationem omnem in hoc maxime fixit ut sanctæ suæ didascalissæ Catharinæ relationem inter Sanctos acceleraret. Quam ob causam, cum varia exempla tum Vitæ ejusdem B. virginis a se partim dum adhuc Mediolanensi Domui præerat transcriptæ, tum revelationum ejus a quodam cartusiæ Romanæ monacho curis illius latine redditarum comparasset, ea ad Reges Angliæ, Hungariæ, Bohemiæ, Apuliæ et alios Principes Pontifici Romano subjectos transmisit : alia quoque per suos jussit Præsulibus et Magnatibus distribui Romæ, Venetiis, Treviris, et aliis in urbibus. Nec plane irriti fuere isti primi Stephani conatus. Ladislaus namque Apuliæ rex, missa ad Bonifacium IX legatione, rogavit ut in Sanctorum ordinem Catharinam assereret. Albertus quoque Austriæ dux, duos Cartusienses, quos existimo

STEPH. MACONI CANONIZAT. CATHARIN. SEN. PROCURARE SATAGIT.

Ejus Vitam ubique transmittit.

ANNUS 1402

Ad Purpuratos Patres,

Ministrumque generalem Ordinis Prædicatorum scribit.

fuisse Petrum Gemnicensem et alterum Petrum Freunizensem Priores, eumdem in finem hoc ipso anno mense Septembri Romam destinavit. Hi, præter literas Principis Austriaci, plures alias a nostro Stephano habuerunt ad amplissimos Cardinales, et imprimis ad Cosmatem Melioratum et Angelum Corarium et alios curiæ Romanæ Prælatos, qui sua autoritate et gratia apud summum Pontificem tam boni operis causam promoverent. Scribebat et ad Raphaelem cartusiæ Romanæ Priorem et nostri Ordinis Procuratorem generalem, ad Thomam quoque Firmanum Prædicatorum generalem Ministrum, Bartholomæum de Ferraria et Thomam Senensem, præcipuos ejusdem Ordinis theologos, hortando ut inceptum negotium, velut toti familiæ Dominicanæ gloriosum, in aula Romana suis studiis urgerent. Venetias his diebus appulerat præfatus Prædicatorum Generalis, qui accepta ibidem nostri Stephani epistola, nunciis Cartusiensibus suasit ad Ducem redire, ei planius aperturi quanti laboris quantæque impensæ ad rem rite conficiendam opus foret. Hæc omnia ex actis sive ex processu contestationum pro canonizatione ejusdem Sanctæ circa annum 1411 scriptis eruimus, quorum ipsissima verba ad probanda quæ diximus libet hic adjicere :

Processus contest. canonizat. S. Cath. ms. cap. 15.

« F. Thomas de Senis, Ordinis Prædicatorum, interrogatus inter multa sic respondet : Contestor et dico me vidisse in Venetiis, anno Domini 1402 de mense Septembris, duos venerabiles Religiosos Ordinis Cartusiæ missos de licentia et ordinatione supra sæpius nominati D. Stephani de Senis, tunc Generalis eorum existentis, a quodam domino Alberto illustrissimo duce Austriæ, ad magistrum Thomam de Firmo tunc Generalem Ordinis Prædicatorum, qui Domino disponente Venetiis die præcedenti advenerat ; et consequenter mittebantur ad Romanam curiam, videlicet ad Dominum Papam Bonifacium IX et ad Dominos Cardinales, cum multis scripturis ad canonizationem virginis pertinentibus. Aliæque etiam literæ erant, videlicet duæ quæ dirigebantur nobis duobus præfatis (Bartholomæo de Ferraria et Thomæ Se-

ANNUS 1402

nensi) pariter propter eamdem causam; et una erat dicti Domini Alberti, alia supradicti D. Stephani Generalis Cartusiæ, suadentes nobis etiam supplicando super accessu ad Romanam curiam pro executione causæ prælibatæ. Sed in litera Generalis præfati, qui pro hujusmodi causa totis affectibus laborabat, etiam continebatur tota series negotii supradicti; et adhuc qualiter ipse pro dicta causa personaliter scribebat pluribus Prælatis in Romana curia existentibus et signanter D. Cosmate cardinali Bononiensi qui postea fuit Innocentius VII, et D. Angelo Corario, Patriarchæ Constantinopolitano qui postea fuit Gregorius XII, et cuidam domino Thomæ Petra qui erat Protonotarius; et etiam Procuratori sui Ordinis Cartusiensis in curia præfata, suadendo etiam in literis suis præfatis quod idem fieri deberet pro eadem causa per supradictos Patres Ordinis prædicti, subjungendo ibidem plura alia ad propositum, de quibus dimitto gratia brevitatis. Item dico consimiles me vidisse ac recepisse literas a præfato Generali Cartusiæ, in quibus multa alia continebantur, qualiter rex Apuliæ Ladislaus ad supradictum Bonifacium IX pro canonizatione virginis literas transmiserat efficaces; et adhuc vidisse literas supradicti Generalis Ordinis Cartusiæ ad Procuratorem Ordinis ejusdem in Romana curia pro causa supradicta. Et etiam alias ejusdem Generalis in quibus supradicto magistro Bartholomæo juxta vota dicti domini Ducis Austriæ licentiam accedendi ad curiam pro dicta causa, tam seorsum quam simul liberaliter et generaliter concedebat. Item dico quod supradictus magister Bartholomæus et ego pariter responsales et principales literas transmisimus dicto domino Duci Austriæ, inter alia sibi regratiando ac suum votum plurimum commendando. Et consimiles etiam scripsimus dicto Domno Generali Cartusiæ literas, inter alia concernentes qualiter, habito in Venetiis consilio super canonizationis prædictæ materia, diligenter fuit consultum quod supradicti Religiosi Ordinis Cartusiæ pro tunc retrocederent, et ad dictum dominum Ducem Austriæ redirent cum informatione plenaria eorum quæ ad

Eo agente, rex Ladislaus ad Papam scribit pro ista canonizatione obtinenda.

ANNUS 1402

canonizationem requiruntur, et signanter quantum ad expensas, etc. »

Vita Steph. Maconi; Lib. III, cap. 5.

Dux Austriacus impendia negotio necessaria promittit.

Asserit autor Vitæ nostri Stephani Ducem Austriacum impendia omnia huic negotio necessaria se suffecturum promisisse. Quamobrem Stephanus, audita morte Raphaelis Procuratoris Ordinis qui paulo post obierat, ad locum ejus occupandum misit præfatum Petrum Priorem Freunizensem. Hic cum juxta Ducis voluntatem et Stephani mandatum cœpisset apud Romanam aulam canonizationi persequendæ operam dare, a summo Pontifice audivit ipsum Stephanum tanquam de totius rei statu certius edoctum, Romam fore accersendum. « Et quoniam, inquit præfatus Thomas Senensis, supradictus Generalis fuerat principalior in Domino filius virginis et de ejusdem Generalis virtutibus facta esset relatio apud dictum Dominum Pontificem, ipse Dominus Pontifex misit pro Generale præfato ut ad suam Sanctitatem deberet accedere.... Et sic ex omnibus supradictis evidenter elicitur qualiter materia præfatæ canonizationis decenter huc usque prosecutionem aliter habere non valuit; concludens intimatum fuisse a supradicto Generali Cartusiæ per literam de manu sua motivum supradictorum Principum... Contestor et dico me vidisse, recepisse et apud me habuisse omnes originales literas vel copias earumdem... quarum literarum vel copiarum aliquæ fuerunt literæ Cancellariorum supradictorum Principum canonizationem virginis petentium, a quibus etiam per medium supradicti D. Stephani de Senis tunc Generalis Cartusiæ habui copias earumdem. Aliquæ vero literæ fuerunt et in bona quantitate de manu propria Generalis supradicti, tam antequam esset in dicto officio quam in eodem existens, per ipsum mihi directæ; faciendo in dictis literis mentionem modo de pertinentibus ad canonizationem prædictam, modo de recollectione orationum virginis, modo declarationem aliquarum partium de Legenda etiam circa visionem Domini Thomæ Petra de virginis gloria, modo de miraculis et aliis actis in partibus Austriæ, modo de libro virginis per ipsum ordinato latini-

Process. canonizat. ut supra.

Ibid. cap. 16.

Omnia Catharinæ opera colligere studet Stephanus.

ANNUS 1402

zari in Urbe a quodam sui Ordinis monacho, vel de Legenda in latino per ipsum transcripta in Mediolano ubi tunc Prior erat, et de alia quam transcribi fecit D. Bartholomæus de Ravenna ejusdem Ordinis (de quo in præcedentibus Capitulis facta est mentio), modo de Legenda virginis quam idem Generalis fecit in Mediolano, ipsam postea transmittendo Venetiis uxori domini Francisci de Sandeis; modo de Legendis ejusdem virginis per ipsum Generalem transmissis, videlicet ad Regem Angliæ qui devote illum petivit; ad Regem Ungariæ cui etiam librum virginis destinavit; ad Regem Apuliæ; etiam misit aliam Gandavum in Flandria, aliam Pragam in Bohemia, aliam Trevirim in Alemania, aliam in Prussiam juxta Poloniam, et aliam Romam ad locum sui Ordinis Cartusiensis : fecientes etiam præfatæ literæ mentionem de pluribus aliis in virginis commendationem, de quibus nimium hic foret enarrare diffusum. »

At nil eo tempore est actum,

Vita Steph. Macon., ubi supra.

At nihil tunc ulterius actum est, nam « quominus Pontifex per se egregie animatus ad publicos seraphicæ virgini in Dei Ecclesia decernendos honores exorantium Principum responderet optatis, dirum schisma fuit impedimento. Id quod evenisse, magno annuente Numine exploratissimum habemus : ne scilicet sæviente divisionis procella, quod sanctum una decrevisset obedientia (ut Pius Pontifex hujus nominis secundus literarum prodidit monumentis) profanum altera censuisset, in tempus magis idoneum religiosam hanc cœremoniam rejecit; ut inde publicis conscriptis codicillis testatoque constituta quæstione, de admiranda castissimæ fœminæ sanctimonia oblatrantium ora illustrata sanctitatis veritas obstrueret in omne tempus. »

ad majorem S. Catharinæ gloriam ita Deo disponente.

STEPHAN. MACONI OPE S. CATHARIN. MIRACULOSE SANATUR.

V. His atque aliis ad domesticum munus necessario spectantibus vigiliis et laboribus permolestam Stephanus circa hoc tempus, vel etiam hoc anno ut vult citatus autor, oculi unius contraxit ægritudinem; cujus vi morbi eo devenit ut scriptioni operam dare ultra nequiret. Sed ad opem virginis confugiens quam nunquam sibi duris exagitato defuisse jam toties fuerat expertus, annulari lævæ illius digito quem inter

ANNUS 1402

sacras Reliquias asservabat ad læsum oculum admoto, sanitatem statim recepit, ut ipsemet postea narravit amico suo Thomæ Senensi Dominicano, ex cujus testimonio actis canonizationis sanctæ virginis inserto sub his verbis discimus :

Ex process. ms. canonizat. S. Catharin. cap. 14.

« Item dico quod cum essem in Senis post virginis transitum, vidi alium digitum dictæ virginis reponi in quodam tabernaculo argenteo præsentibus aliis venerabilibus et devotis viris, et remansisse apud quemdam alium D. Stephanum de Senis, Ordinis Cartusiensis, eo quod dictum digitum obtinuerat et dictum tabernaculum in reverentiam virginis fabricari fecerat.... qui etiam post aliquod tempus existens Generalis præfati Ordinis et de mandato summi Pontificis ad eumdem et postmodum ad generale Capitulum sui Ordinis accedens, et per Venetias transiens, mihi oraculo vivæ vocis, nedum de miraculis pluribus in partibus Austriæ meritis virginis patratis a Domino erga languores corporales diversi generis enarravit; sed etiam de persona sua non solum miraculose a quampluribus periculis et occursibus usque tunc meritis virginis præservata ; sed addidit mihi narrando qualiter apponendo præfatum digitum super proprium oculum, in quo plurimum patiebatur, statim recepit plenariam sanitatem.... Item dico me personaliter vidisse et recepisse unum de dentibus virginis quem, prout habui a præfato D. Stephano de Senis cum ipse esset in Roma, post transitum virginis, de ore ejus sanctum dentem abstulisset. Idem dens postmodum ad manus sui tunc Generalis, videlicet D. Christophori de Florentia pervenit. » Nec solum sibi sed et aliis Stephanus opem sanctæ Catharinæ conciliabat ut idem testis addit : « Item dico, inquit, quod anno Domini 1403, ego vidi unum juvenem a sæpius nominato D. Stephano, Generali Ordinis Cartusiensis transmissum, qui accedens Romam ad sepulchrum virginis quasi ex toto cæcus rediit abinde plenarie illuminatus. »

CARTUSIÆ BUXIANÆ EXORDIUM.

VI. Hoc anno consensum nomine totius Ordinis præbente eodem nostro Stephano, initium habuit cartusia Buxiana, ut legitur in margine Chartæ Capituli Seizensis his paucis ver-

ANNUS 1402

bis : « Buxia hoc anno incœpit. » Sita est prope Memmingam, Sueviæ oppidum versus Orientem, non longe ab Atera flumine in diœcesi Augustana, et loco e fluviolo Buxo, Buxheim sive Buxia nuncupato, unde et nomen cartusiæ. Primum ac unicum illius fundatorem omnes agnoscunt Henricum ab Ellerbach, cathedralis Ecclesiæ Augustensis canonicum. Augustanum episcopatum tunc regebat Burkardus præfati fundatoris ex germano fratre nepos, qui patrui fundationem suo confirmans diplomate, ait : hortum Christi ab annis octodecim in sua diœcesi plantatum, longe lateque bonum religiosissimæ conversationis odorem tanta suavitate dispersisse, ut sua Ecclesia de nova sua plantatione sibi gratulata, animos Henrico pro altera conserenda majores fecerit. « Ut gemino, inquit, oculorum lumine Augustana diœcesis gaudeat. »

Ex Chronico ms. hujus Domus.

Erat in villa Buxheim collegiata, ut vocant, ecclesia ab annis circiter quadraginta in ruinam vergens, tunc quatuor tantum constans Canonicis, eisque sacerdotibus secularibus, quorum Præpositus erat munificus novæ cartusiæ fundator. Subdebatur pagus quoad causas ordinarias jurisdictioni quorumdam vicinorum Nobilium, quoad vero capitales sicut et hactenus serenissimæ Domus Austriacæ. Proinde ne monachi aliorum et maxime laicorum dominio subesse, aut Ordo Cartusiensis fundationem respuere videretur, magna cura Henricus in id incubuit ut vi pecuniarum pagum Buxheim et ea quæ ad ipsum spectabant ab omni alieno quoad politiam jure eximeret et liberum Ordini donaret ; quod quidem triennio antequam suæ cartusiæ fundamenta jaceret, consecutus fuerat. Jura etiam quæ Præsul Augustanus sibi suæque vindicabat Ecclesiæ, providus fundator numerata ad Episcopi, Præpositi, Decani et cathedralium Canonicorum votum pecunia recuperavit ; etenim, « ut indemnem, sunt verba Burkardi episcopi in Literis quibus fundationem ratam habet, confrater et patruus noster dominus Henricus ab Ellerbach Ecclesiam nostram servaret, nobis et Ecclesiæ nostræ jura, reditus et proventus præposituræ ac parochialis ecclesiæ in

Præpositus Collegiatæ Eccles. in Buxheim fundator.

Alfaura, Origin. Cartusiarum.

ANNUS 1402

Buxheim, prædictis competenti satisfactione recompensavit.» Ex his refelluntur Paulus Layman in appendice suæ Defensionis, et plures alii post eum qui errore Hundii decepti, asserunt monasterium Buxianum a Canonicis Regularibus ad nos translatum fuisse ; quod constanter Nostri negant, asserentes contrarium probari ex Literis resignationis Canonicorum hoc anno in gratiam nostri Ordinis factæ.

Dotationem acceptat Ordo Cartusianus.

Rebus itaque sic constitutis, e Domo Horti Christi evocatur Joannes Keslerus (ejusdem Prior) Augustam, qui nomine Ordinis dotationem novæ cartusiæ acceptaret ; quod quidem factum est undecimo Calendas Januarii hujus anni coram Dominis Consulibus ac universo senatu civitatis Memmingensis. Anno sequenti, Rector hujus plantationis designatus est Ludovicus Verwigius, Horti Christi professus, principali tamen autoritate relicta Keslero, recens quidem a Conventualibus Moguntinæ Domus suæ professionis in Priorem electo, sed per comitia ejusdem anni absoluto, et ad Horti Christi regimen revocato, ad utriusque Domus, Horti Christi videlicet et Buxiæ, fundatorum instantiam, ut constat ex Charta cujus hæc sunt verba : « Priori Moguntiæ fit misericordia et electionem imperfectam per Conventum de Priore Nordlingæ confirmamus libenter ad consolationem Conventus ; sed quia in fine nostri Capituli generalis recepimus literas Reverendissimi Patris et Domini Episcopi Augustensis, ac literas dominorum Comitum de Ottingen conjunctim et civitatum Nordlingensis et Memmingensis, qui omnes concorditer et instantissime rogaverunt, supplicantes quatenus prædictus Pater eis remitteretur ad Nordlingam, quod si non fieret magnum periculum Domui Nordlingensi imminere et novæ plantationi juxta Memmingam, prout oculata fide in brevi conspici deberet : Nos igitur non valentes instantissimis precibus tantorum contradicere, ne scandala et pericula majora occurrant, autoritate Capituli generalis prædictum D. Joannem in Priorem Domus Nordlingæ præficimus, exhortantes Conventum Moguntinæ, ut propter Deum habeant patientiam, quia non potuimus aliter. Speramus

Ex Charta 1403.

autem quod Dominus providebit eis de vero Pastore, de quo bonam habebunt consolationem. »

ANNUS 1402

Domus fit membrum Ordinis.

Biennio post, ædificata jam parte templi anteriori, quæ chorus Monachorum dicitur, cæterorumque ædificiorum structura in dies increscente, voluit pius fundator et petiit suam cartusiam totius Ordinis corpori statim adscribi, cui a Patribus, juxta consuetam Ordinis libertatem ac sanctam illius simplicitatem, tale datum est responsum : « Super novam plantationem prope Memmingam committimus plenam autoritatem nostram Prioribus Nurembergæ et Horti Christi usque ad futurum Capitulum. Et rogamus honorabilem virum dominum Henricum de Ellerbach canonicum Augustensem, fundatorem dictæ plantationis, ut non ægre ferat si pro præsenti anno non fit incorporatio Domus prædictæ, donec per Dei gratiam in futuro Capitulo fuerimus de ejus profectu melius informati. Et monemus Rectorem et Fratres ut sollicite attendant ad ædificia, ut ordinate et diligenter fiant. » Anno itaque sequenti, Patres a Visitatore de profectu fabricæ edocti, Memmingensique Magistratu preces suas fundatoris precibus conjungente, novam hanc Domum sub vocabulo Aulæ B. Mariæ membrum fieri Cartusiense declarant his verbis : « Rectori novæ plantationis in Memmingen non fit misericordia. Et ad instantiam magnam et relationem bonam ac devotionem venerabilis viri domini Henrici de Ellerbach, fundatoris, honorabiliumque virorum Magistri civium ac consulum civitatis antedictæ, venerabilis quoque Prioris Nurenbergæ (Provinciæ Visitatoris) præfatam plantationem novam, quam Aulam beatæ Mariæ nuncupari volumus, Ordini nostro sancto, sicuti consuetum est incorporamus, præfatumque Rectorem eidem Domui ex nunc præficimus in Priorem, qui in occurrentibus super annum habeat recursum ad Priorem Nurenbergæ, cui autoritatem plenariam in hac parte committimus. »

Ex Charta 1405.

Aula B. Mariæ nuncupatur.

Tribus post incorporationem annis pie decessit optimus fundator, beneficio tricenarii per totum Ordinem donatus.

Ex Charta 1409.

E vivis etiam eadem tempestate excesserat nobilissimus

ANNUS 1402

illius parens Henricus, ob pulchram generosi corporis proceritatem *Drolang* dictus germanice. Hic cum vivens natam e filii liberalitate cartusiam amplius impenso sumptu juvare non posset, moriens ipse alios duos filios nostro Henrico superstites suo testamento substituit : Burchardum videlicet Burchardi antistitis (de quo supra) jamque demortui patrem, et Puppelinum ; qui voluntati paternæ in omnibus obsequentes, multa Nostris contulerunt. Mater quoque eorum, Elisabeta nomine, plura subsidia præstitit.

Benefactores,

In chronico hujus Domus multi recensentur benefactores et fautores, inter quos fuere Marcus Wainer et Anna Huttin uxor ejus, qui vivente adhuc fundatore, benevolos erga hanc Domum, magna liberalitate se exhibuerunt. Nicolaus Lechner, Ulmensis sacerdos, duas cellas ædificavit et dotavit, mortuus anno 1425, quo etiam tempore Anna Bruni civis Memmingensis alteram cellam cum annuis reditibus ad alendum unum monachum sacerdotem sufficientibus extruxit. Cæteras cellas fundaverunt : Margarita Heidin civis Ulmensis quæ post obitum habuit tricenarium, ex Charta 1433. Nobilis Henricus Baisweil eodem donatus beneficio, cujus et uxor Ursula Eglossen alia bona contulit, ex Chartis 1433 et 1439. Joannes de Herbishoffen et Anna Besstein illius conjux ; Elisabetha ex Baronibus de Kinigseck, dominorum de Ellerbach consanguinea. Gualterus ab Ulm cathedralis Ecclesiæ Constantiensis canonicus, cujus etiam obitus habetur in Chartis*. Alii benefactores et amici reperiuntur in eisdem Chartis quorum præcipui sunt : Conradus Rock ex Charta 1454 ; Erhardus Vehlin ex Charta 1485 ; Joannes ejusdem familiæ qui magnus fautor Ordinis dictus est, ex Charta 1496 ; et Barbara Vehlin ex Charta 1505. Radigunda Eggenbergerin Georgii Gossenbrolt uxor ex Charta 1521, et plures alii quorum beneficiis aucta, inter principaliores provinciæ Germaniæ inferioris Domos hæc cartusia evasit, hodieque in utroque statu ex sapienti Priorum regimine fulget, jam pene oblita tribulationum quibus per septuaginta et amplius annos seculo sexto decimo quassata est, vastantibus hæreticis.

et fautores.

* Ex Charta 1447.

VII. Hoc anno Joannes de Brederode, ex antiquissima Comitum Hollandiæ familia, Reynoldi comitis Geneppæ ac domini de Brederode filius, jam prius in monasterio Dominicanarum Deo consecrata uxore sua Joanna Willelmi principis de Apcouda secundi cartusiæ Trajectensis fundatoris filia, Institutum nostrum in statu Conversi amplexus est. Utriusque mutationis meminit Joannes Gerbrandus a Leydis his verbis : « Anno 1399, Joannes dominus de Brederœden perrexit Hiberniam ad purgatorium sancti Patritii in quo fuit Quadragesimali tempore, et rediit domum ipso die sancti Odulfi confessoris. Hic fundavit capellam in Santport, ad honorem omnipotentis Dei et sancti Patritii. Hujus uxor Joanna, filia Wilhelmi domini de Abkouda et Wyck Dorestado, ex informatione ejusdem mariti sui, post tres annos intravit monasterium sanctimonialium in Wyck Dorestado. Eodem etiam tempore Joannes dominus Brederodensis, non habens prolem, factus est monachus Conversus ad Cartusienses prope Trajectum, et ei successit in dominio Walravius domicellus, frater ejus. » Nam Theodoricus frater ejus major natu jam nostrum Ordinem ante undecim annos in statu Clerici Redditi in cartusia B. Mariæ in Monichusen professus fuerat, qui et hoc anno cum licentia superiorum, ad Domum Diestensem se transferens alteram ibidem professionem anno sequenti emisit, fratrem suum in sancto proposito confirmandi gratia. Joannem namque in eadem Domo Diestensi Conversum induisse constat ex nostris Chartis capitularibus, etsi contrarium scribat citatus Gerbrandus, dicens eum apud Cartusienses Trajectenses se recepisse. Non sano consilio tantæ austeritati eum se devovisse, satis innuit Willelmus Heda in Historia Episcoporum Ultrajectensium, cum de eo sic scribit : « Joannes minor natu ex nobili familia de Bredenrœde nupserat filiæ Principis Abcoude, quam satis invitam duxit, ut apud vicum Dorestatum sacrum assumeret velamen ubi et votum fecit. Ipse vero professus est vitam Cartusianam, desperatione quadam, uti creditur, ductus, quia patre superstite, adhuc ad possessiones pro ambitioso statu

ANNUS 1402

J. DE BREDERODE HABITUM CONVERSORUM INDUIT.

Chronicon Belgic. Lib. XXXI. c. 56.

Ejus uxor monasterium intrat.

Ex Chartis 1403, 1405, 1409.

Histor. Episcop. Ultraject. sub Friderico, episc. LI.

Quo motivo Ordinem ingreditur iste Joannes?

ANNUS 1402

Pars II. tit. 39.

Ex Charta 1405.

in Catalogo Scriptorum.

J. DE CHAIGNETO PIE MORITUR.

ducendo pertingere nequibat. » Sive potius quia ære alieno jam oppressus, ut apud Gersonem cancellarium legitur et alibi ex illius confessione videbimus, creditoribus satisfacere impotens erat. Verum cum Deus variis viis homines ad se trahat, ubi Joannes nostris legibus se addixit, eas satis religiose primis suæ professionis annis observavit, ita ut honesta ejus conversatio aliquam ei conciliaverit venerationem apud Patres, quos legimus Priorem Diestensem hortatos fuisse « ut illum venerabilem fratrem Joannem de Broderode habeat recommendatum, prout commendabilis virtus ejus meretur bene. » Et ne tempus ab exercitiis Conversi liberum inutiliter contereret, illud in scribendis libris ponebat. Asserit namque Raissius eum quædam opuscula in vernaculam linguam transtulisse. At qualis erat intus septennio post emissa vota cum totius Belgii et nostri Ordinis scandalo ostendet.

VIII. Obiit hoc anno die 21 Julii Simon de Chaigneto, Prior cartusiæ Parisiensis. Hic generis nobilitate et divitiis in seculo fulgens, se suasque facultates in præfata Domo Deo consecravit. Factus vero virtutibus ditior, per aliquot annos Domum Montis Dei cum tanta monachorum approbatione gubernavit, ut post illius mortem memoriam ejus in suo necrologio his verbis consignaverint : « Obitus D. Simonis quondam Prioris hujus Domus et Vallis viridis, boni Patris nostri ; nec immerito bonus Pater dicebatur, qui licet ubique bonus esset, erga tamen infirmos et ægrotos optimus erat, ita ut quidam ex Fratribus mallent ægrotare et ab eo visitari et consolari, quam prospera valetudine uti et ejus præsentia carere. » Quam vero prospere observantia regularis sub eo floruerit satis elicitur ex multorum pietate monachorum qui tunc in Monte Dei fulgebant, quales erant Guillelmus de Sepulchro, Ponsardus Vicarius, Simon de Hamburgo, Albertus Loeze, de quibus diximus vel dicemus suis locis. Nec minus profecit in regimine Parisiensi, ad quod e Monte Dei assumptus, eximia sua et suorum conversatione, toti civitati adeo gratus evasit, ut fama nominis illius ad Aulam usque permanante, ab ipso Rege, ad utrumque Papam re-

conciliandum adhibitus sit ; quid vero ab eo actum sit alibi diximus.

Item, D. R. de Castro Procurator Generalis.

Die nona Septembris etiam decessit e vita Raphael de Castro cartusiæ Romanæ Prior, ac totius Ordinis sub Pontificis Romani obedientia Procurator generalis, de quo jam supra. Domum Genuensem et provinciam Lombardiæ propinquioris olim per plures annos rexerat, cujus dexteritate Patribus nota in Priorem Romæ institutus est, sed cum vir senex et solitudinis desiderans hoc onus vellet deponere, meruit audire : Ascende superius ; factus etiam Procurator Ordinis cum tali monitu quo Patres significant quanti eum facerent : « Injungimus officium Procuratoris Ordinis Venerabili Patri D. Raphaeli, Priori S. Crucis in Urbe, exhortantes eum in Domino ut humiliter inclinet caput obedientiæ sanctæ sibi injunctæ ad honorem Dei et Ordinis, et multorum, ut speramus, consolationem. » Et præterea per eamdem Chartam demandatur ei visitatio Domorum regni Neapolitani cum collega Priore Trisulti, et Domus ejusdem Trisulti cum socio per eum eligendo. Tandem cum idem mandatum hoc præsenti anno accepisset, morte corripitur ; cujus labores beneficio pleni monachatus donari meruerunt. Successorem habuit, ut diximus supra, D. Petrum Priorem Freidnizensem, virum etiam industrium, professum Domus in Seiz, qui anno non completo, morte maturiori sublatus est die 3 Augusti, similibus gratiis spiritualibus remuneratus ut suus antecessor per Chartam anni sequentis.

Ex Charta 1400.

TRIGINTA MONIALES MORIUNTUR, *in Domo Saletarum.*

IX. Hoc pariter anno, aut certe a comitiis anni superioris ad comitia præsentis anni, accidit mors plane stupenda triginta personarum et ultra in cartusia Monialium Saletarum, quam ferunt cuidam seniori Moniali prius fuisse detectam divinitus : « Hæc in lecto decumbens, ut habet traditio, conspexit speciosum forma virum, Pontificiis indutum vestibus, duobus Angelis faces gestantibus stipatum, thurisque suffitu quarumdam juniorum sororum lectulos magna cum majestate fumigantem, jamque cubili præfatæ senioris aderat, cum illa præ mentis gaudio exclamat : Domine mi, trahe me

Ex ms. Domus.

ANNUS 1402

post te, quandoquidem annis attrita ad omnia prorsus inutilis sum effecta; has, quæso, vegetas in Dei servitio relinque superstites. Verum, nec thure dato nec responso ullo, Pontifex triginta Monialium stratis thureo fumo inhalatis, has omnes eodem anno ad se qui Christus putabatur rapuit.» Ad hanc traditionem utcumque roborandam non parum facit testimonium Chartæ capitularis hujus anni in qua sic lego : « Obierunt ultra triginta personæ in Domo Saletarum, quæ habent simul tricenarium per totum Ordinem. » Aliquid certe singulare et insolitum ac pene supra naturam, circa tot personas in una Domo, tam parvo tempore sublatas accidisse conjicerim, quod nullam tunc his regionibus luem grassatam fuisse apud scriptores reperiam.

CARDINALIS AMBIANENSIS OBITUS.

X. Ex amicis Ordinis plures etiam hoc anno ad meliorem vitam a Deo vocati sunt. Joannes de Grangia, cardinalis Ambianensis, totius nostri Ordinis fautor et plurium Domorum sed præcipue Majoris Cartusiæ et Avenionensis singularis benefactor, de quo singulis annis ab anno 1389 ad præsentem talis memoria fiebat : « Pro Reverendo in Christo Patre domino Cardinali Ambianensi, negotiorum nostri Ordinis in Romana curia promotore speciali, et magno benefactore Capituli generalis et Domus Cartusiæ et nonnullarum aliarum Domorum, dicat quilibet sacerdos unam missam de Spiritu Sancto ; non celebrantes septem Psalmos cum Litania, et Laici 50 vicibus *Pater noster* et totidem *Ave Maria.* » Et ab anno 1391 ad obitum usque additur in eodem articulo : « et qui misit quinquaginta florenos, vel eleemosynam suam consuetam Capitulo generali. » Suo vero testamento de quingentis florenis quos ipse Majorem Cartusiam invisens Generali nostro dederat vel miserat sic disponit : « Item quia dum fui personaliter in majori Domo Cartusiæ, dedi Priori et Conventui dictæ Domus quingentos florenos currentes, videlicet quemlibet de viginti quatuor solidis monetæ Avenionensis convertendos in reditibus emendis, vel in ædificiis de novo faciendis in dicto monasterio, volo et mando et ordino quod prædicti quingenti floreni sibi sol-

vantur et eosdem sibi deberi confiteor ex bona et pura devotione sibi facta. Et rogo eos et requiro quod velint orare Deum continue pro anima regis Caroli, domini mei, et pro salute animæ meæ, tam in vita quam post mortem meam ; et ordinare et disponere de orationibus et suffragiis specialibus, secundum affectionem quam sciunt prædictum regem Karolum ad ipsos in vita sua habuisse, et devotionem specialem quam ad ipsorum Ordinem, monasterium et personas singulares habui magno tempore et habeo, et intendo habere toto tempore vitæ meæ. » Nostri quoque Avenionenses eum inter suos præcipuos benefactores annumerant. Ejus obitus anno sequenti per totum Ordinem denuntiatus fuit sub his verbis : « R. P. D. Joannes cardinalis Ambianensis qui, cum suis et pro quibus tenetur, habet per totum Ordinem plenum cum psalteriis monachatum, » die 24 Aprilis. Sepultus fuit primum non in cartusia Villanovana, ut quidam volunt, sed in æde S. Martialis Avenionensis, unde cadaver postea translatum est Ambianum ubi ejus epitaphium adhuc visitur.

ANNUS 1402

XI. Joannes Galeatius, dux Mediolanensis, cartusiæ Ticinensis fundator, ex pestilente febre, die 3 Septembris hujus anni de medio etiam sublatus est. Mortem illius præcessam fuisse ac velut prænuntiatam stupendo apparente comete scribit autor coævus chronici cartusiæ Montelli : « Apparuit quædam stella comatica et insolita cunctis aspectibus modernorum, quæ multis quidem diebus cursum egit invisibiliter, et nonnisi sole cubante, poli occiduas extremasque radiando partes, cerni poterat. Et demum disponente Illo, qui totam sphœricam massam diuturno motu ac uniformi ab oriente dirigit in occidentem, meridiano tempore velut aurora præcursor glomerantem visibilis quidem, cunctis spectantibus simulque admirantibus, antecedebat solem. At cum jam cursum peregisset ex alto dispositum, illustris dominus Joannes Galeas, dux Mediolanensis, fundator magnificus monasterii S. Mariæ de Gratia prope Papiam, vitæ suæ diem conclusit extremum. Alta sunt quidem et stupenda prorsus mortalibus insolita signa et mirabilia quæ nobis ostendit cunctorum

DUX MEDIOLANENS. FEBRE SUBLATUS.

Cap. 18.

Moriens adhuc Domui Papiæ benefacit.

ANNUS 1402

Plastes dum sydereæ vocis, ut ita dixerim, tuba nos territat; nunc insolitorum beneficiorum collatione nos provocat ut aliam certius agnoscamus vitam esse, videlicet cœlestem et felicissimam, ut vel sic resipiscamus a fastu mortifero, etc. » De eodem comete alii aliarum gentium autores meminere. Octo ante diebus quam Galeas moreretur, condidit testamentum per quod, altero olim conscripto et confirmato et aucto, hæc inter cætera de filiis suis et de sua cartusia sic disponit :

Ex archiv. Cartus. Papiensis.

« In nomine Domini, Amen. Anno a Nativitate ejusdem 1402, Indictione decima, die 25 Augusti, hora decima nona in castro Melegnani, ducatus Mediolani, videlicet in sala respondente deversus viridarium, in qua infrascriptus Dominus jacebat infirmus, in præsentia magnificorum, spectabilium ac egregiorum testium meique Notarii infrascriptorum..... attendens rerum temporalium caducam instabilemque permanentiam, ac cunctarum personarum differentia sublata quantocumque principatu et dignitate fulgentium ab ortu pergentium ad occasum vitam subtrahi dietim.... hinc est ergo quod illustrissimus Princeps et excellentissimus dominus, dominus Joannes Galeas, dux Mediolani ac Papiæ, Virtutumque comes, ac Bononiæ, Pisarum, Senarum, Perusii dominus, genitusque quondam divæ ac recolendæ memoriæ magnifici et excelsi D. D. Galeas Mediolani, Papiæ, etc.... domini ; sanus quidem mente et intellectu ac reminiscens et plenam notitiam ac scientiam habens se alias quoddam ejus testamentum condidisse.... infrascriptas additiones, mutationes... facere procuravit. Primo namque providit, voluit.... et ordinat quod ultra ducatum Mediolani et civitatem ipsam Mediolani, ejusque diœcesim, et ultra civitates Brixiæ, Cremonæ, Bergami, Cumarum, Laudæ, Placentiæ, Parmæ, Reggii et Bobii, in quibus illustris filius suus primogenitus D. Joannes Maria, comes Angleriæ, institutus fuit in dicto testamento.... Item providit, voluit, statuit et ordinavit; et providet, vult, statuit et ordinat quod dictus D. Joannes Maria, comes Angleriæ, primogenitus, et in ejus locum successores

Plura Nostris largitur.

statim post obitum ipsius D. Ducis Mediolani, emere teneantur seu ex ejus vel eorum possessionibus assignare, tot bona quæ sint annui reditus florenorum decem millium quolibet anno, quæ ex nunc prædictus D. Dux Mediolani dedicat et assignat monasterio et ecclesiæ Cartusiensium principiato et principiatæ super territorio Papiensi. Qui floreni decem millia quolibet anno expendantur pro fabrica et occasione fabricæ prædictorum monasterii et ecclesiæ Cartusiensium, donec facta et completa erunt. Quibus completis et perfectis, Fratres et Prior prædictorum monasterii et ecclesiæ Cartusiensium teneantur et debeant quolibet anno dare et distribuere dictos florenos decem millia, et alios florenos decem millia de quibus prædictus Dux Mediolani alias providebit dicto monasterio, pro anima ipsius domini Ducis Mediolani per hunc modum : videlicet dando, solvendo et distribuendo perpetuo quibuscumque personis, quæ clare et legitime ostenderent et docerent se aliquid habere debere a posteritate domini Ducis Mediolani, sive a prædecessoribus suis, pro quibus prætactus dominus Dux Mediolani teneretur et obligatus esset, usque ad illam quantitatem, quam legitime et clare ostenderent et docerent se habere debere ; et subsequenter, pauperibus et egenis Christi, laicis duntaxat, pro remedio animæ ipsius Ducis Mediolani : ita et taliter quod omni anno fiat cum effectu integralis distributio per Fratres et Priorem prædictos tam dictorum florenorum decem millium, qui habebuntur ex bonis emendis seu assignandis, ut supra, per dictum Primogenitum, quam aliorum florenorum decem millium, qui habebuntur ex bonis jam datis et assignatis, ac dandis et assignandis per prædictum dominum Ducem Mediolani prædicto monasterio et ecclesiæ Cartusiensium..... »

lege testamentaria.

Galeatii obitus denunciatus fuit anno sequenti in comitiis utriusque obedientiæ, Urbanistarum videlicet et Clementinorum. In Charta Capituli Seizensis sic legitur : « Obiit illustrissimus Princeps dux Mediolani tertio Nonas Septembris, cui sanctus Ordo multum obligatur ; et ideo concedimus

Ejus obitus in utraq. Obedientia Ordinis denunciatur.

ANNUS 1402

sibi monachatum per totum Ordinem, plenum videlicet. » Et in Charta Majoris Cartusiæ : « Obiit illustrissimus dominus Galeaz, dux Mediolani, fundator Domus Papiæ qui cum suis habet tricenarium per totum Ordinem. » Inde patet Patres Benedicto XIII subjectos non ita in Bonifacii studiosos et fautores debachatos fuisse, ut eis velut schismaticis et hæreticis preces post obitum denegaverint. Verum quia tricenarii solum beneficio a Clementinis Patribus donatus fuerat, rursum post reconciliatum Ordinem, commendatus fuit his verbis : « Illustrissimus Princeps dominus dux Mediolani, magnificus fundator illius nobilissimæ Domus Ordinis nostri prope Papiam, qui etiam isti Domui Cartusiæ misit eleemosynaliter isto tempore quingentos ducatos, sed interposito schismate non habuit ut bene promeruit monachatum ; ideo celebretur per totum Ordinem cum psalteriis die 3 Septembris. » Moriens ossa sua ad cartusiam a se fundatam deferri jusserat, quæ primum regiis exequiis in sacrario S. Augustini apud Papiam condita, ibidem quieverunt ad annum 1474 quo perquam splendido apparatu ad dictam cartusiam translata sunt die prima Martii ; funus concomitantibus Jacobo Ammanuato episcopo et toto clero Papiensi ac civitatis proceribus cum innumera populi multitudine. Nec tunc illi ob continua bella mausoleum extructum fuit, donec tandem pacata patria, ipsi Cartusienses usi opera nobilis statuarii Joannis Christophori Romani, sepulchrum quam sumptuosissime propriis suis sumptibus illi erexerunt, cum inscriptione annum excitati tumuli exprimente : « Joanni Galeatio Vicecomiti, duci Mediolani primo, ac priori ejus uxori, Cartusiani memores gratique posuere anno 1562, die 20 Decembris. » Ejus præterea egregia facta inciso lapideæ tabulæ elogio explicantur, brevi quidem compendio sed prolixiori quam hic exscribatur.

Vita Steph. Maconi, Lib. II, cap. 16.

Porro quæ Dux suo testamento ad perficiendum cartusiæ cœnobium reliquerat, non solum successor ejus in Ducatu Joannes Maria dure denegavit, sed etiam jam prius a patre donata tentavit auferre. « Is enim, inquit autor Vitæ Stephani Maconi, quo suam libidinem et ingenium nunquam cædibus

Loco supra allegato.

saturatum explere liberius posset impio fastu, animum adjecit ad rescindenda quæ pius genitor erga Ticinensem hanc cartusiam testamento legaverat; prorsus ut quicquam eorum exequi se velle negaverit quæ de suprema voluntate sui parentis ab eo constabat religiosa fide in Cartusianos esse servanda. Quin potius eo progressus fuerat insaniæ, ut sacra eaque divinis usibus assignata argentea vasa temeratus excogitaverit ad profanos deputare usus; processissetque indubie ad excogitata perficienda nisi pio ac benevolo in Nostros Ducis matris studio detentus, quin potius occulto perterritus numine, hanc scelerati animi curam invitus tandem abdicare fuisset compulsus. » Nihilominus Patres Ordinis non immemores tot beneficiorum a patre ejus collatorum, preces pro illius prosperitate quamdiu vixit, per totum Ordinem fundi præceperunt. Mater quoque illius Catharina simul cum eo et comite Papiensi Philippo commendata fuit ad annum usque 1405 quo eam tunc obiisse conjicio, quod posthac nulla de ea, sed tantum de liberis mentio occurrat in Chartis.

ANNUS 1402

Ex Chartis ab anno 1403 ad 1413.

XII. Denique in Charta Capituli Seizensis hujus anni, inter mortuos recensentur « dominus Franciscus de Ramponibus, de Bononia, legum Doctor et devotus Ordini. Et domina Elizabetha relicta quondam domini Palatini de Arensperg; » forsan Eberhardi ex Comitibus de Marka qui fuit frater minor natu Engelberti episcopi Leodiensis, et cartusiæ ibidem fundatoris.

ACTA CAPITULARIA :

Ab Urbanistis Patribus hoc anno « declaratur quod a Domo suæ professionis ordinate discedens et in alia Domo rite professionem faciens, si postea contingat ad primam Domum professionis redire, licet professiones tres emiserit, non sint tamen nisi duæ Domus. Et ideo juxta tenorem Statutorum in utraque retineat beneficium, et ipse similiter obligetur pro personis ipsarum Domorum. »

Urbanistarum,

Statut. Nov. P. I, cap. 4. n. 32.

Deinde : « Monemus, inquiunt, omnes et singulos Visitatores et inhibemus expresse ne ipsi vel famuli eorum a personis vel Domibus Ordinis quas visitant, quodcumque munus

ANNUS 1402

qualitercumque forsitan etiam offeratur ultra quam Statuta et Canones concedunt, petere vel acceptare præsumant; ne pœnam vel maledictionem incurrant, a qua non possent liberari nisi duplum restituant. Quod si Visitatorum aliquis contrarium fecerit vel scienter famulum suum recipere permiserit, nec infra mensem duplum ejus quod receptum est Domui visitatæ restituerit, noverit se secundum sacros Canones, ab officio et beneficio suspensum; et si sic suspensus divina celebraret, irregularitatis notam incurreret. Et similiter injungimus Prioribus, Rectoribus, Procuratoribus ac Visitatoribus vel famulis eorum, ne ultra prædicta dare vel offerre præsumant. Ad cautelam autem, et pro serenitate conscientiarum, autoritate plenaria dispensamus cum omnibus qui hactenus in prædictis offendissent quoquo modo, restituentes eos in gradum pristinum. « Etiam concedimus et committimus omnibus et singulis Visitatoribus Provinciarum quod in casu quo aliquis eorum impeditus esset legitime, alter cum socio Priore quem duxerit eligendum, quem et toties quoties fuerit opportunum mutare possit alium eligendo, hujusmodi Visitationis actum valeat expedire. »

Clementinorum.

Clementini vero, malo satis notabili inregularis observantiæ fundamentum irrepenti, remedium afferunt hoc decreto :

« Cum nonnulli propriæ salutis immemores, contra Statuta generalia Ordinis pro negotiis et ordinationibus Domorum adeant fundatores et alios Principes et Potentes, procurantes ut eorum favoribus, literis vel instantiis ac sub eorum umbra, Domus ordinentur in capite vel in membris, et nihilominus eis revelant negotia Domorum et Ordinis, quæ tamen directe vel indirecte per se vel per alios, palam vel occulte omnino fieri prohibemus : qui contra fecerit jam vel faciet in futurum, tamquam pacis perturbator et alias acriter puniatur per Visitatores, et dicat in Capitulo suæ Domus culpam suam pro qua disciplinetur ; et nihilominus sint inhabiles ipso facto, sine spe dispensationis. Priores vero dicant culpam suam in sequenti Capitulo generali ibi puniendi. » Adduntque contra reos qui sine causa rationabili frequentant Principum aulas :

« Cum malis grassantibus opus sit exemplo, ordinamus quod nulla persona Ordinis vel intret curiam Romanam, vel curias Regum aut Principum, seu civitates aut loca ubi resident, nisi causas verbo vel scripto explicaverit Visitatori suo. »

ANNUS 1402

Præterea ordinant quod in singulis Domibus Ordinis Chartæ Capituli generalis sub clave custodiantur sic, quod ad notitiam secularium non perveniant.

Parochiæ S. Petri incolæ Correriam invadunt,

Demum sequentem faciunt ordinationem : « Cum in nostro præcedenti sedente Capitulo plures famuli aliquorum Priorum, inordinate et absque licentia, exierint terminos per subtus pontem hujus Domus, et in Parochia plures homines et mulieres injuriaverint; ob quam causam homines ejusdem Parochiæ insimul, violenter et cum armis pontem intraverunt et in Domo inferiori quamplurima scandala perpetrarunt, quorum occasione Capitulum generale et Domus Cartusiæ multa damna et expensas sustinuerunt : ea propter (visa forma capituli 29 secundæ Partis Antiquorum, et capituli 7 secundæ Partis Novorum Ordinis nostri Institutorum) singulos Priores, inferius nominatos ut sequitur, condemnamus, videlicet : Priorem Belli-larici in 18 francos, Priorem Vallis S. Petri in 8 francos, Priorem Montis S. Ludovici in 8 fr., Priorem Vallisbonæ in 4 fr., Priorem Bonipassus in 8 fr., Priorem Fontis in 8 fr., Priorem Luvigniaci in 8 francos. Residuum solvant Capitulum generale et Domus Cartusiæ æquali portione, eo quia privilegia noviter ampliata et impetrata specialiter tangunt commodum et utilitatem totius Ordinis et Domus Cartusiæ. »

et quare ?

JESU CHRISTI

ANNUS 1403.

Bonifacii PP. IX	Ordin. Cartus.	Bonifacii Pr. Cart.
Ann. 14.	Ann. 320.	Ann. 2.

BENEDICTUS XIII ELABITUR E CUSTODIA.

I. ANNO ab Incarnatione Christi tertio supra millesimum quadringentesimum, Indictione undecima, Benedictus XIII jam ab annis fere quinque Avenione in suo palatio captivus detentus, « perforato muro per domum Decani sanctæ Mariæ de Domnis, quæ ipsi palatio erat conjuncta, die sancti Gregorii (12 Martii) in ipso diluculo (alii habent sub vesperam) exivit per illud foramen », ope maxime Francisci de Aranda, cartusiæ Portæ Cœli Donati, quem noster Bonifacius Majorem Cartusiam petens ad Generalatum Ordinis ineundum, paulo ante apud eum dimiserat. Hujus fugæ seriem describens Zurita, nostri quoque Donati meminit : « Et cum eo, inquit, scilicet Benedicto, pariter exierunt tres ex ejus familiaribus, cubicularius nempe, medicus et Franciscus de Aranda Portæ Cœli Donatus, quo antequam seculo renuntiaret Joannes Aragonum rex valde familiariter usus fuerat. » Audita Benedicti fuga, eum Galli et ipsa Parisiensis Universitas rursum ut verum Papam colentes, denegatam ab aliquot annis obedientiam restituendam decreverunt, ad id maxime inducti, quod scirent Bonifacium Romanum Pontificem cessionis viam absolute recusasse. Suam liberationem velut partim precibus Ordinis obtentam nostro Bonifacio statim Benedictus significavit, quapropter in comitiis paulo post celebratis, preces consuetæ imperantur : « Pro Domino nostro summo Ponti-

Vita ms. Bon. Ferrerii.

ope Francisci Aranda.

Annal. Aragon. Lib. X. cap. 77.

Theodor. Niem, de Schismate, Lib. II. c. 33.

fice Benedicto XIII qui gratiarum actiones de orationibus Ordinis generali Capitulo per suas literas retulit, ac de instantius orando pro se et statu universalis Ecclesiæ ac unione devote rogavit. »

ANNUS 1403

II. Nihilominus plures Monachi et Moniales e Domibus Benedicto subjectis ad alias Domos obedientiæ Romani Pontificis se receperant, quos velut fugitivos Diffinitores habentes, ad reditum hortantur intentatis etiam excommunicationis minis. « Monemus, sunt verba Chartæ, omnes personas utriusque sexus nostri Ordinis professas quæ sine dicti Ordinis licentia, a suis Domibus fugiendo, etiam cum humana licentia recesserunt, quatenus intra triginta dies, quorum decem pro primo, decem pro secundo, et reliquos decem pro tertio et pro cunctario tempore assignamus termino, ad Ordinem et dictas Domos suas redeant ; alias dictis terminis elapsis, earum contumacia et inobedientia exigente, in eas et earum quamlibet excommunicationis sententiam ferimus in his scriptis : ordinantes et irrefragabili edito nihilominus inhibentes ne aliqua de prædictis personis terminos suæ Domus sine Ordinis licentia amodo exeat vel discedat fugiendo; alias nisi post duos menses a tali fuga interminandos debite ad Ordinem redierit, excommunicationis sententiam ipso facto incurrat. »

PLURES AD ROMANUM PONTIFICEM SE RECIPIUNT CLEMENTINI,

Verum quibusdam etiam ex parte Urbanistarum ad Clementinos confugientibus, quos Priores moti conscientiæ scrupulo sine licentia admittere non audebant, talis potestas eos recipiendi per eamdem Chartam datur : « Quælibet Domus Ordinis, si vult, possit recipere in hospites vel professos quaslibet personas nostri Ordinis quæ venient de parte schismatica ; dum tamen tales personæ sint Ordini reconciliatæ et absolutæ per aliquem de Prioribus qui a Domino nostro Papa super hoc habeat potestatem. » Hanc vero non immediate a Benedicto habebant, sed a Priore Cartusiæ, qui eam etiam pro suo arbitratu revocare poterat, ut per eamdem Chartam declaratur : « Cum Reverendus Pater noster, Domnus Cartusiæ, habeat potestatem a Domino nostro Papa

et vice versa, ad Clementinos confugiunt Urbanistæ.

ANNUS 1403

Benedicto XIII dispensandi et reconciliandi schismaticos Ordinis ad obedientiam nostram venientes, prædictus Reverendus Pater noster eamdem potestatem sibi, ut præmittitur, concessam subdelegat Visitatoribus et singulis eorum in solidum, necnon Prioribus Domor. Divionis, Friburgi, Astensis, Brugis et de Paulari, donec ad se eam duxerit revocandam. »

S. VINCENTIUS FERRERIUS MAJOREM CARTUSIAM VISITAT.

Ex epistol. S. Vinc., apud Boll. commentar. ad vitam. §. 3.

III. Sic in dies Ecclesiæ status magis ac magis perturbabatur, ipsis viris sanctioribus verum Pontificem a falso internoscere non valentibus. Interea sanctus Vincentius nostri Bonifacii frater, civitates, villas, castra circa Majorem Cartusiam posita, vicinasque diœceses percurrebat verbum Dei seminando, populosque ab hæresi Waldensium, variis superstitionibus et a vitæ pravitate revocando ; quem ideo fratrem suum Priorem Cartusiæ visitasse, et Nostros in obedientia Benedicti, si non verbo, saltem suo exemplo confirmasse credimus. Ut ut sit, certum est quod, « tempore isto, inquit Continuator chronici Cartusiæ, prædicante fratre ejus magistro Vincentio, et populum verbis et exemplis ad pœnitentiam provocante, multi Ordinem intraverunt maxime in Domo Cartusiæ. Per istos enim duos fratres miraculose Deus operabatur ; nam quos ille verbo prædicationis ad pœnitentiam provocabat, eos ad Religionis habitum iste suscipiebat. »

Chronicon Cartus. Majoris. ms. c. 25.

Bonifacius autem Papa, Cartusienses quoque in officio continendi gratia, potestatem quam eis ante biennium concesserat, communicandi scilicet cum schismaticis, ampliavit, ut colligimus ex Urbanistarum Charta hujus anni, ubi post preces pro Bonifacio IX præscriptas, addunt Patres : « Notum facimus omnibus per præsentes, quod præfatus Dominus noster Papa nuper Ordini gratiose concessit, quod personæ nostri Ordinis possint impune et sine scrupulo conscientiæ cum schismaticis et neutralizantibus, ac etiam nominatim et specialiter excommunicatis, participare etiam in divinis sine incidentia canonum sive processuum Apostolicorum, ubi sine periculo scandali vitari non possint ; dum tamen taliter participantes in principio vel in fine semper dicant : *Dominus vos convertat, etc.* »

IV. Sed ad Benedictum redeamus, « qui cum jam in libertate esset, Cardinales cum eo sunt reconciliati, et restituerunt illi bullam Pontificiam quam ei abstulerant ad expedienda negotia, » ut jam alibi vidimus. Hac in gratiam Cartusiensium primum usus est Benedictus, qui ad petitionem nostri Bonifacii duas bullas mense Octobri novæ cartusiæ Hispalensi concessit : quarum altera data 5 Octobris, bona a fundatore legata, sed propter illius inopinatam mortem Nostris denegata restitui jubet, et quantum in se est sua autoritate donationem confirmat, et de integro ipsemet eadem bona concedit et largitur : « Sacri Ordinis, inquit, perseverantiam et augmentum sinceris zelantes affectibus, ad illa quæ ei opportuna fore conspicimus, libenter intendimus partes nostræ sollicitudinis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris et Conventus majoris Domus Cartusiæ, Gratianopolitanæ diœcesis, petitionis series continebat quod olim bonæ memoriæ Gondisalvus archiepiscopus Hispalensis.... quamdam Domum dicti Ordinis in eremo S. Mariæ de Covis prope Hispalim.... fundare et sufficienter dotare proposuit, et eam ecclesia et officinis necessariis munire cupiens, ibidem ædificare incepit : et pro hujusmodi dotatione hæreditates, domos, vineas et possessiones acquisivit. Sed antequam ea dictæ Domui assignaret, sors humanæ naturæ ipsum, sicut Domino placuit, de medio sustulit..... Nos igitur hujusmodi propositum laudabile in Domino commendantes et Ordinem prædictum gerentes intra viscera charitatis, ipsumque cum divinæ laudis præconio amplificare cupientes, hujusmodi supplicationibus inclinati, concessionem et donationem prædictas ratas et gratas habentes, eas autoritate Apostolica ex certa scientia confirmamus. Et hæreditates, domos, vineas et possessiones prædictas sic acquisitas... pro hujusmodi fundatione et dotatione, autoritate Apostolica damus perpetuo, etc. Datum Salon., Arelatensis diœcesis, 3 Nonas Octobris, Pontificatus nostri anno nono. »

Altera bulla eodem anno et eodem loco, die vero septima ejusdem mensis Octobris, data est ad Archiepiscopum Hispa-

ANNUS 1403

BULLA IN FAVOREM DOMUS HISPALENSIS.

Ex Archiv. cartusiæ Hispalensis.

Vid. an. 1401.

ANNUS 1403

lensem et Episcopos Cordubensem et Cadicensem, quibus Benedictus XIII mandat procurare restitutionem bonorum ejusdem Domus a multis usurpatorum.

TERTIUM CLAUSTRUM FUNDATUR IN DOMO SCALÆ DEI,

V. In Catalonia Berengarius Gallart, civis Ilerdensis ditissimus, *tertium claustrum* in cartusia Scalæ Dei, totius Hispaniæ prima, cœpit ædificare et dotare. Primum claustrum duodecim cellas complectens fundatorem habuerat Ildefonsum Aragoniæ regem ; alterum claustrum sub nomine secundi conventus, totidem constans cellis, priori additum fuerat ex liberalitate Joannis patriarchæ Alexandrini, Jacobi II regis

a quodam laico,

Aragonum filii, ut suis locis diximus. Gallartius igitur, pari quidem pietate, licet non æquali potestate, sex cellulas inter duo claustra jam olim ædificata construere et pro totidem monachis, sub appellatione medii conventus dotare cupiens, sex mille solidos monetæ Barcinonensis annui ac perpetui reditus consignavit. Suam mentem sic ille in donationis suæ Instrumento exponit : « Ego Berengarius Gallart sciens et spontaneus, ob Dei reverentiam et Religionis puritatem quæ

ob puritatem Religionis Cartusiensium

in Cartusiensi Ordine observatur, et vitæ austeritatem in qua Monachi ipsius Ordinis vivunt ac vivere sunt astricti, et in contemplatione bonorum quæ fiunt continue in eodem : volo et ordino quod viginti et quatuor cellis in dicto monasterio Scalæ Dei ædificatis addantur cellæ sex, similes omnino illis viginti quatuor, habitentque in eis sex monachi qui continue orent pro anima mea parentumque meorum et eorum quorum ego sum hæres, serviantque Deo die ac nocte ; ædificenturque in loco bene viso Reverendo Patri Priori et Conventui. Pro quorum sex monachorum victu et vestitu aliisque necessariis dono libere, ac manu, affectu et devotione sex mille solidos censuales in nuda perceptione super bonis meis mobilibus et immobilibus et donatione inter vivos, etc. Acta sunt hæc anno 1403. » Quinquennio post moriens Berengarius multa suo testamento adjecit, cujus munificentiam Patres Ordinis remunerati sunt obitum illius cum tali bene-

Ex Charta 1409.

ficio denuntiantes : « Obiit dominus Berengarius Gallart, laicus, civis Ilerdensis, fundator medii conventus in Domo

Scalæ Dei, et magnus benefactor Ordinis, habens plenum monachatum per totum Ordinem sub die decima Februarii. » Forsan ex eadem familia genus trahunt Franciscus Gallart,[a] canonicus Sedis Tarraconensis, et Antonius[b] ejusdem cognominis, episcopus Vicensis, uterque cum titulo benefactoris Scalæ Dei in nostris Chartis designatus.

[a] Ex Charta 1609.
[b] Ex Charta 1614.

FUNDATIO DOMUS PLETRIACENSIS.

VI. Cœpit hoc anno Domus Pletriacensis fundatio in Sclavonia, sub Patriarchatu Aquileiensi, non procul a Cilleia urbe, in vico dicto Pletriach, unde et novæ cartusiæ nomen præter aliud a Patribus illi inditum, videlicet *Thronus Sanctissimæ Trinitatis*. Ejus fundatorem omnes agnoscunt Hermannum II, Ciliæ comitem, Sigismundi regis Hungariæ et postea Imperatoris generum. Hujus Domus initia tardius a Scriptoribus referuntur, sed ea ad præsentem annum revocanda esse manifesto apparet ex Charta Capituli generalis Patrum Urbanistarum, in qua pro illius fundatore preces sub his verbis funduntur : « Pro domino Comite Ciliæ qui est Ordini valde favorabilis et devotus, in tantum quod etiam monasterium nostri Ordinis nunc actualiter ædificare facit, fiat tricenarium de Spiritu Sancto pro sua et suorum incolumitate. » Quod beneficium quamdiu vixit per omnes Domos Ordinis solutum fuit. Eodem anno Hermannus, monachus professus Throni B. Mariæ in Gemnico, novæ fabricæ administrator institutus, per Chartam anni sequentis in Rectorem præfectus est ; cujus inductu, ut conjicitur, titulus novæ plantationis biennio post sic inscribitur : « Rectori novæ plantationis Comitis Ciliæ in Throno SS. Trinitatis in Pletriach non fit misericordia. » Anno denique hujus sæculi septimo munificus fundator dotem cartusiæ suæ confecit ut ibidem dicemus.

BURCHARDI, CONVERSI ARGENTIN. CARTUSIÆ, OBITUS.

VII. Hoc anno vel circiter, die 26 Januarii, in Domo Argentinensi, obiit piissimus vir Burkardus, quondam civis Basilensis, ditissimus, qui humilem Conversi statum in præfata cartusia amplexus, multa bona Nostris largitus est, ibique per plures annos « religiose et devote plurimum ac laudabiliter » vixit, ut legitur in antiquo dictæ Domus Be-

ANNUS 1403

nefactorum necrologio. Breve quidem sed exquisitum elogium, et quo Patres antiqui nullos nisi qui sancte conversati fuerant honestare consueverant. Et revera quod spectat Burkardum, ex his quæ ante biennium de eo discimus agentes de fundatione cartusiæ Basileensis, satis patet eum virtute non vulgari fuisse instructum.

PLURA DE RITU CARTUSIANO

Tract. ad Fratres de Windisheim, Ordin. S. Augustini. Proposit. 8 in fine.

Melch. Hittorp. in Præfat. ad Tom. X Biblioth. Patrum.

VIII. Eodem anno, in die S. Huberti, videlicet tertia die mensis Novembris, obiit M. Radulphus de Breda, alias de Rivo, decanus ecclesiæ B. Mariæ Virginis oppidi Tungrensis, cujus extat *De Observantia Canonum* liber, editus una cum aliis autoribus de divinis Officiis. In eo porro opere frequenter meminit sacrorum rituum et observationum Ordinis Cartusiensis, prout ex sequentibus disces. Ac primo quidem agens de usu Psalmorum in sacra synaxi, ita scribit. « Notandum vero quod Ambrosiani utuntur speciali translatione Psalterii ; Romani autem habent translationem B. Hieronymi quæ Romana appellatur, ex qua Officium Ecclesiæ est sumptum. Aliæ nationes utuntur translatione Hieronymi quæ dicitur Gallicana, quam nos habemus. Et hanc apud paucos bene correctam et distinctam invenistis, nisi in antiquis Psalteriis et apud Cartusienses. »

Deinde agens de divisione psalmorum per nocturnos juxta Regulam S. Benedicti, subjicit : « Præterea secundum distributionem Beati Benedicti idem servant Cartusienses, Cistercienses et cæteræ Religiones monachales.

« Venerabilem Bedam Anglorum Doctorem nec Romani, nec Cartusienses legunt. » Modo secus se habet res, ut patet in novis Homiliaribus et Breviariis.

« Vitam B. Agnetis scripsit Ambrosius, et vitam B. Benedicti scripsit Gregorius : ideo duas illas vitas duntaxat legunt Cartusienses.

Antiphonæ nisi de Scriptura, sumptæ

« Cartusienses nec responsoria, nec antiphonas admittunt, nisi sumpta de sacra Scriptura ; » qua de re egimus superius.

« *Gloria Patri* responsoriorum Romæ in libris antiquis reperitur integre cantatum ad notam toni, sicut facimus post

Introitum. Et quia posteris non placuit totum cantari, ideo decise cantatur in quolibet octo Tonorum, usque *Sicut erat ;* et ita cantant Cartusienses, Colonienses, Leodienses et plures solemnes Ecclesiæ. Post *Gloria Patri* repetitio debet esse brevior quam post versum, ut etiam servant Romani et Cartusienses.

« In servitio feriali ad singulas Horas B. Mariæ, et ad septem psalmos in principio, et ad preces et orationes, et in aliis punctis debitis, observandæ sunt prostrationes, quarum usum loca vestra* congrue recipere possunt a Cartusiensibus et Cisterciensibus, quos non multum perpendi a secularibus distare.

* i. e. Congregation. Windisheimens.

« De modo observandi Officium mortuorum instruamini a Cartusiensibus et Cisterciensibus ante dictis : nam in hoc officio, cum secularibus se conformant.

« ...Hujus observantiæ autoritas nedum ex usu Cartusiensium habetur, sed et ex tricesimo septimo Capitulo Micrologii, etc.

« ...Octavæ prædictæ tres minores et vigilia Epiphaniæ trium sunt lectionum cum Nocturno secundum Cartusienses. Si sit Dominica, prædicta Historia imponetur secundum eosdem.

Pauciores apud Cartusianos Sanctorum festivitates.

« ...Vidimus in usu Cartusiensium, Cisterciensium, Prædicatorum et cæterorum quod paucas habent festivitates singulares seu speciales. Festivitates enim Cartusiensium speciales sunt : Antonius, Vincentius, Barnabas, Bernardus, Mauritius, Dionysius, undecim millia Virginum, Catharina, Thomas Cantuariensis ; et ratione Ordinis, duo Hugones, cum festo Reliquiarum. Præter istos, diversi hinc inde, diversorum usu cum tribus lectionibus servantur. Et apud Cartusienses : Polycarpus, Blasius, Petrus martyr, Cyricus et Julita, Leo, Margareta, Christina, Nazarius cum aliis, Germanus, Eusebius, Lucia, et Euphemia, Thecla, Fides, Crispinus et Crispinianus, Eustachius cum sociis, Brictius, Columbanus, Linus, Vitalis et Agricola, Silas apostolus, Saturninus et Eulalia. Et præterea Fabianum et Sebastianum,

ANNUS 1403

Inventionem Crucis, Inventionem Stephani, Dominicum, Remigium et Franciscum servant cum tribus lectionibus, quos alii servant cum novem. Aliquos vero servant sub commemoratione, vel quando concurrunt cum majori vel infra Octavas majores, ut Sylvestrum, Paulum primum eremitam, Hilarium, Alexandrum cum aliis, et cæteros cum memoria subnotatos. Diebus autem a festivitate seu Octavis majoribus vacuis, vel servant cum tribus lectionibus Sanctos occurrentes vel officium feriale.... Considerate, Domini et fratres mei, quam rationabiliter et quomodo quasi pariliter, Fratres Cartusienses ad eremum positi, et Domini Teutonici ad pugnam ordinati, in eorum Religionibus obsequium faciunt salutare : de Sanctis videlicet, propter officium temporale Dei summi, paucos eorum sub festivitate et tribus lectionibus observantes ; quamvis in omnibus tribus lectionibus utrique eorum Nocturnum servent.

« Seculares Ecclesiæ communiter diebus quotidianis, Sancto occurrente, officium repudiant temporale. In contrarium autem servant Cistercienses qui similiter aliis usibus, raras habent duodecim lectionum festivitates. Alios vero Sanctos quoslibet servant sub sola memoria. Et in hoc præcedunt Cartusienses.

De Officio trium Lectionum.

« Sicut novem lectiones ad formam Dominicarum observantur, ita tres lectiones observentur ad modum feriarum. Et hoc bene custodiunt monachi Cartusienses. Et sicut in diebus Sanctorum trium lectionum, ad preces Completorii et Primæ addimus *Miserere mei, Deus ;* ita Cartusienses ad Horas singulas, quia in illis preces habent, in eisdem diebus similem addunt psalmum. In festo novem lectionum, omnia usque ad secundam Vesperam de festo agimus. Et hunc terminum servant Cartusienses.

« ...Sed omnium usibus rejectis, pia et religiosior observantia esse videtur sequendo modum simplicem supra dictum, quem fratres Cartusienses, Domini Teutonici et solemniores Religiosi approbant et sequuntur.

« ....Notandum quod secundum usus approbatiores, ut

ANNUS 1403

Cartusiensium et cæterorum, et prout in pluribus Rationalibus legitur, hujusmodi Octavæ sunt duplices, scilicet majores et minores. Minores (Octavas) habent Andreas, Laurentius, et Martinus, et, secundum Cartusienses, Joannes Baptista. In eis (scilicet majoribus Octavis) non servantur prostrationes, preces cum *Miserere* et cætera hujusmodi, quæ Paschali tempore omittuntur, ut etiam faciunt Cartusienses.

De Octavis Minoribus.

« ...In lectionibus tribus matutinalibus (officii de B. Maria) sunt multæ diversitates. Omnibus rejectis, religiosum videtur in hac parte sequi Cartusienses, ut de Evangelio Lucæ, cap. 1. tres legantur lectiones.

« De *Gloria in Excelsis* et *Sanctus* in Graduali beati Gregorii Romæ, paucæ sunt notæ. Et credendum quod plures notæ secularium super illa sine autoritate existant. Ideo humilitati locorum vestrorum congruere videtur, ut super illis sequeremini Cartusienses. In antiquis libris Romanis aliquas vidi Sequentias, multi autem multas introduxerunt. Quilibet gaudet de suis novitatibus. Securius videtur in illis sequi Cartusienses et Cistercienses. In Symbolo decantando, Religioni vestræ non congruit modus secularium per notas fractas. Sequimini ergo Monachos Cartusienses, a quorum consortio non estis sejuncti. » Hæc ille, cujus laudes ut magis ac magis mereamur, mutationes et novitates omnes in divino Officio et ceremoniis vitare toto conatu debemus, veterum Patrum consuetudinibus fideli ac constanti perseverantia adhærentes.

ACTA CAPITULI

Clementinorum.

IX. Autor Vitæ Bonifacii Ferrerii scribit eum multa in Capitulo hujus anni et sequentibus ad observantiam regularem pertinentia ordinasse, de quibus dicemus annis singulis. Quas vero ordinationes hoc anno edixerit hæ sunt præcipuæ :

1. « Omnibus Prioribus de more solito conceduntur viginti quinque licentiæ exeundi terminos, tam magnæ quam parvæ ; » sed hanc addit conditionem : « ita quod singuli sequenti Capitulo referant quot et qualiter eas expenderint, et ibi pro sequenti anno exprimant quot indiguerint. »

ANNUS
1403

2. « Ordinamus quod nulla persona Ordinis audeat scribere, rogare vel supplicare pro alio ut de una Domo vel obedientia mutetur in aliam, vel quod in habita remaneat, nec ad hoc inducere. Quilibet enim in Ordine potest per se petere et supplicare super sibi necessariis licitis, et honestis; qui contra fecerint dicant pro singulis vicibus unum Psalterium.

Recursus ad Dominos temporales damnatur.

3. « Item ordinamus quod nulla persona Ordinis, Præsidens vel alia, audeat pro se vel aliis adire Reges, Principes vel Dominos temporales, vel aliam quamcumque personam ecclesiasticam vel sæcularem extra obedientiam Ordinis, ab eis literas obtinendo, vel ad preces, rogamina, comminationes et minas eos inducendo, ut sint vel remaneant in suis Prioratibus, officiis vel obedientiis, aut quod ab eis absolvantur, removeantur vel mutentur ; vel quod personæ Ordinis mutentur de Domo in Domum, vel quod in certo loco remaneant, vel aliud quodcumque gratiæ vel justitiæ eis fiat. Nam ex his et similibus multæ vexationes in Ordine factæ sunt, et ex eorum etiam justa denegatione, inimicitiæ. Qui contrarium fecerit carceri mancipetur, et si aliquid obtinuerit vel sibi ab Ordine concessum fuerit modo prædicto, sit nullum et irritum ipso jure, nec eo uti possit. Non tamen prohibemus quin personæ Ordinis literas voluntarie sibi oblatas per prædictas personas possint ad Capitulum deportare. » Hæc jam prohibita erant per Statuta Nova, sed hæc ordinatio pœnam carceris adjicit. Quæ quidem quamdiu apud Nos servata fuerint, multis malis ac instabilitati maxime præcludetur aditus.

P. II. cap. 7. n. 12.

De secunda professione apud Moniales.

4. « Soror Maria Richarde maneat in dicta Domo Excubiarum, cum professionem ibi fecerit, nec decet Moniales toties mutare. » Ex his patet Moniales aliquando primam Domum mutasse, et secundo professionem in altera, sicut Monachi, aliquando emisisse.

Urbanistarum ordinationes.

Urbanistæ, confirmatis annorum præteritorum ordinationibus, nullaque generali edita, suum zelum contra quosdam transgressores, nulla personarum facta acceptione, acuerunt.

ANNUS 1403

Primus fuit Joannes Schilp, Prior cartusiæ Francofurtensis ad Oderam, qui licet jam a multis annis diversas Domos cum laude rexisset, dure tamen arguitur « quia comedit infra septa monasterii in eadem mensa cum sæcularibus, contra Statuta et Ordinationes Patrum ; et permisit fratrem Michaelem Conversum habitare in grangia ubi erant mulieres et ancillæ, unde esset dignus magna disciplina, quam sibi parcimus propter reverentiam senii ; sit tamen ubique in Conventu extra sedem suam per duos menses.

« Procurator cujusdam Domus qui comedit pluries cum sæcularibus infra septa monasterii in eadem mensa, prout culpam suam humiliter recognovit, emendationem promittens, dicat pro pœnitentia salutari unum Psalterium.

« Quia Prior et Conventus Domus N. offenderunt contra Statutum et ordinationem Capituli, petentes tricenarium pro extraneo, dicat quilibet eorum pro emenda 50 Psalmos.

Officium Defunctor. cum nota minime cantamus.

« Petitionem quam faciunt quidam Conventuales, quod cantare debeant Officium defunctorum cum nota more sæcularium, et habere pitantiam feria sexta, tanquam minus discretam non admittimus ; scientes quod nulla consuetudo contra Statuta debet collocari. Et confirmamus quod in die defunctionis fundatoris et fundatricis Officium defunctorum devote secundum formam Ordinis peragant, et eleemosynas debitas fideliter exsolvant, recipientes pitantiam quibus Statuta concedunt. »

Deinde varias concedunt licentias : « 1. Priori Trajecti de illo Donato Hugone pro quo supplicavit, concedimus licentiam ut ad sacerdotium promoveatur, si Conventui et uni Visitatorum placuerit, nemine discrepante. 2. Priori Vallis Pisii concedimus licentiam recipiendi duos Oblatos et duas Oblatas pro quibus supplicavit, de consensu Conventus et consilio unius Visitatoris. 3. Frater Abundius Clericus possit ad sacerdotium promoveri, si Priori et Conventui Mediolani videatur. »

JESU CHRISTI

ANNUS 1404.

Bonifacii PP. IX Ann. 15.	Ordin. Cartus. Ann. 321.	Bonifacii Pr. Cart. Ann. 3.

TRANSITUS AD ALIAM RELIGIONEM NOSTRIS DENEGATUR.

I. ANNO a virgineo partu millesimo quadringentesimo quarto, Indictione duodecima, Franciscus de Aranda apud Benedictum XIII semper degens, ac velut Procurator generalis Ordinis nostri negotia in ejus aula gerens, bullam ab eo obtinuit qua prohibet ne ulla persona Cartusiensis, cujuscumque fuerit sexus, se transferat ad quemlibet alium Ordinem, præsertim Mendicantium, nisi cum bulla plumbea Sedis apostolicæ. Exstant de hac re bini codicilli inter Privilegia Ordinis, quorum prior hunc habet tenorem :

Bulla Benedicti XIII.

Extat inter Privilegia, n. 102.

« Benedictus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ad fructus uberes quos Cartusiensis Ordo in agro militantis Ecclesiæ plantatus dextera Domini velut arbor bona produxit hactenus et producit, considerationis nostræ oculos extendentes, et attendentes quod dicti Ordinis professores, mundo mortui, soli Christo qui est vita viventes, pro universali salute fidelium incessanter ad Dominum preces fundunt : dignum duximus ut illa eos prosequamur prærogativa favoris per quam eis submoveamus scandala, et quietem etiam procuremus. Cum itaque sicut pro parte dilectorum filiorum Cartusiæ Gratianopolitanæ diœcesis, et aliorum Priorum et Fratrum dicti Ordinis fuit nobis expositum, interdum contigerit quod quidam ejusdem Ordinis Fratres ad Mendicantium et alios Ordines regulæ et

observantiæ laxioris, non obtenta nec petita Superiorum suorum licentia, temeritate se propria transtulerunt; et recepti fuerunt etiam in eisdem, in grave salutis eorum dispendium ac Priorum et Fratrum Cartusiensium scandalum prædictorum : Nos volentes super hoc eisdem Prioribus et Fratribus de opportuno remedio providere, et attendentes quod decet et expedit ut juxta doctrinam Apostoli quisque in ea in qua vocatus est vocatione persistat, ipsorum supplicationibus inclinati, omnibus et singulis personis utriusque sexus, cujuscumque gradus et status sint ejusdem Ordinis Cartusiensis, præsentibus et futuris, ne de Ordine ipso ad quosvis Mendicantium vel alios Ordines cujuscumque status, regulæ vel conditionis existant, etiam si de illis singulariter esset præsentibus specialis et expressa mentio facienda, transire; ac Prælatis et aliis personis omnibus et singulis Mendicantium et aliorum Ordinum prædictorum, ne illas quoquo modo, absque Sedis apostolicæ licentia eis per speciales dictæ Sedis literas vera bulla plumbea munitas, plenam et expressam ac de verbo ad verbum facientes de præmissis mentionem concedenda.... recipere præsumant, districtius inhibemus. Decernentes ex nunc transitum et receptionem talium irritos et inanes. Nulli ergo omnino hominum.... Si quis autem hoc attentare præsumpserit.... Datum Massiliæ apud sanctum Victorem, sexto Nonas Martii, pontificatus nostri anno decimo. » Hujus privilegii meminit Franciscus a Puteo in sua Compilatione dicens : « Professi nostri Ordinis ad alium Ordinem transire non possunt, nisi cum eis fuerit super hoc per Papam et sub bulla plumbea dispensatum. » Ad id privilegium majori vigore roborandum eisdem anno et die conservatores tres, Archiepiscopum Viennensem et Episcopos Lausannensem et Gratianopolitan. designat, quos sic alloquitur : « Quocirca fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus vos, vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, dictis Prioribus et Fratribus ejusdem Ordinis Cartusiensis efficacis super hoc defensionis præsidio assistentes, hujusmodi memorati Ordinis personas ad eosdem Mendicantium

ANNUS 1404

Tert. Compil. c. 13, n. 8.

Datis etiam ad hoc tribus conservatoribus.

Privileg. n. 103.

ANNUS 1404

vel quoscumque alios transire Ordines præsumentes, ad regrediendum ad eumdem Cartusiensem Ordinem ; et Prælatos ac personas quascumque alias, Mendicantium et aliorum quorumcumque Ordinum, illas recipere et retinere contra inhibitionem et decretum nostrum hujusmodi præsumentes, ad dimittendum et restituendum illas, autoritate nostra per censuram ecclesiasticam compescatis, etc. »

Hæc omnia iterum a Martino V suo tempore confirmari videbimus. Porro ex his satis gravis conjectura elicitur quosdam a nostris Clementinis ad alios Ordines se transtulisse. Sed e contra cum multos Mendicantes Urbanistæ Cartusienses apud se recepissent et eos facilius ad dicendam sententiam admitterent, voce activa (ut loquimur) eis concessa ; per Chartam hujus anni contra hunc abusum sic pronunciant : « Ad errorem quorumdam Conventuum corrigendum, qui primo professos in Ordine Mendicantium ad electionem Prioris admittunt, declaramus quod hujusmodi voce sunt omnino privati, tam in electione Prioris quam etiam in communibus tractatibus ; sed nec etiam obedientiam aliquam habere possunt in Ordine nostro sine particulari dispensatione summi Pontificis. »

BONIF. FERRERIUS PLURA PER CAPITUL. ORDINARI SATAGIT.

II. Inter hæc, noster Bonifacius pergebat totam mentis suæ aciem, omnesque conatus suos, labores et vigilias dirigere ad disciplinam regularem vel conservandam ubi integra erat, vel excitandam ubi languebat. Nec ullus in Ordine status fuit cujus vires non exploraverit. Visitatores, Superiores, Monachi, Moniales, cuncti denique Ordini subditi paternæ illius sollicitudinis efficacia argumenta persenserunt ; quod maxime patuit ex egregiis et sagacibus admonitionibus, gravibusque edictis quæ circa divinum cultum et Sacramentorum administrationem, clausuram, silentium, sobrietatem et alias id genus observantias, per Capitulum generale curavit promulgari, quæ ideo præstat hic adjicere :

Circa cultum divinum,

« Mandamus omnibus Præsidentibus necnon Sacristis et aliis ad quos spectat, quatenus sub firma clave et secura custodia, in vase mundissimo, reponent et servent sacratissimum

ANNUS 1404

Eucharistiæ Sacramentum. Et quod panes sive hostiæ pro Sacramento conservandæ, sint mundæ et nitidæ ac de pura frumenti farina recenter factæ, saltem ut in æstate unius et in hyeme duorum mensium spatium non transeat quin noviter fiant; et nullatenus alibi factas, præcipue per sæculares, emant vel admittant ad consecrandum; sed etiam in Domibus Ordinis per Sacristam vel alium substitutum reverenter et munde induti, qui faciunt, cuculla ecclesiastica lanea vel linea ; cavendo dum fiunt a verbis et colloquiis mundanis vel profanis.

Sacramentorum administrationem,

« Item quod oleum Infirmorum omni anno renovetur, et vetus cum stuppa receptum comburatur et in Sacrario recondatur ; notificantes contrarium facientibus vel negligentibus, eos graviter peccare ac divinam indignationem incurrere. Et super his omnibus volumus quod Visitatores diligenter inquirant, et contrarium facientes graviter puniant et Capitulo notificent generali.

« Notificamus, propter affectatam ignorantiam vel potius duritiem, quod anno bissextili festum beati Matthiæ apostoli semper est secunda die illorum dierum quibus dicto anno bissextili in una littera recidetur.

sobrietatem,

« Ordinationem vel consuetudinem aliquarum Domorum quod dentur Conventui pitantiæ feria secunda, quarta vel sexta, etiam prætextu legatorum, donationum vel pactorum quorumcumque, tanquam rigoris Ordinis enervativam infringimus et totaliter improbamus, nec Priores eas aliqualiter observent. Et quæcumque personæ Ordinis quæ super hoc suos inquietabunt Præsidentes, abstineant ea die a vino : beneficia vero spiritualia concessa propter hujusmodi donationes vel legata alias recepta, nihilominus inviolabiliter persolvantur. Præsidentes vero qui indistincte vel indiscrete feriis II vel IV, dant personis Ordinis pitantiam, vel feria VI laxant sine justa et rationabili causa abstinentiam, ipsi apud Deum teneantur emendare id quod temere relaxant. »

paupertatis votum,

Quidam Priores in quadam Provincia, quam Bonifacius ante suam ad Generalatum provectionem visitaverat, in pau-

ANNUS 1404

peres liberales et munifici, cum monachos haberent quorum parentes olim satis bene de rebus domesticis constituti, in eas adversante fortuna conjecti fuerant angustias ut unde viverent non haberent, ipsis monachis pecunias suppeditabant, vel quas e missarum celebratione aut aliunde ab amicis cogere poterant, apud se servare sinebant, ut eas vel res ex eis comparatas, parentibus clam, vitandi pudoris gratia, ad libitum erogarent. Hanc liberalitatem velut iniquam misericordiam Bonifacius improbavit, et eam verbis quidem generalibus, sed quæ sub violatorum intelligentiam satis facile cadebant, condemnavit ut sequitur : « Quoniam quidam Præsidentes suæ salutis et subditorum obliti, dant eis licentiam possidendi pecunias, utendi, etiam emendi de eis quod volunt et quando volunt ; ideo notificamus eis quod hoc non possunt nec debent, imo est in periculum animarum suarum nec evadunt vitium proprietatis. Et in executionem hujus declarationis, quidam monachus qui petit res de eleemosynis suis, ut asserit, emptas, quia ex sua petitione vitium proprietatis confitetur, sit Novitius per unum annum. Et laudamus Priorem qui in hoc Statuta observavit. »

silentium,

Circa silentium sic sancitum est : « Quia observatio silentii et cellæ est præcipuum conservativum pacis : ideo ordinamus quod Monachi clamantes culpas suas de silentio, teneantur exprimere in quibus locis et quot vicibus fregerint, et nisi sint de personis exemptis in Statutis, teneantur recipere disciplinam et aliam pœnam juxta modum culpæ. Clamantes vero quempiam de fractione silentii sive de quacumque re in conventu, admonentur ut prius saltem per unam diem ante in secreto notificent Præsidenti, et ipse Præsidens habita veridica informatione super his super quibus proclamatio debet fieri, per seipsum si vult, cessante particularis personæ proclamatione, reprehendat, corrigat et puniat talem proclamandum ; qui non habebit exprimere per quem prædicta in sui notitiam devenerint. »

Nova Stat. P. II, cap. 4.

clausuram,

Mulieres iterum a septis monasteriorum arcentur, rescisis licentiis in contrarium obtentis. « Revocamus omnes licen-

tias hactenus concessas, in æternum imposterum non concedendas, quod mulier possit septa Domorum nostri Ordinis intrare ; mandantes Statuta super hoc facta firmiter et districte observari. » Hæc ordinatio videtur facta occasione cujusdam Prioris per eamdem Chartam ab officio absoluti, quod contra « Statuta Ordinis et abutendo gratia sibi data, admisit mulieres infra ecclesiam et sacristiam. »

ANNUS 1404

Moniales,

Quæ circa Monialium statum Bonifacius edixerit non sigillatim in Charta exprimuntur, sed tantum in universum sic declarantur : « Cum per Reverendum Patrem nostrum Domnum Cartusiæ fuerint aliqua ordinata pro bono statu Monialium Ordinis nostri, idcirco omnia illa et singula volumus observari quæ ipse Reverendus Pater mittet et intimabit Vicariis et Priorissis per suas literas, et etiam Visitatoribus ; volentes quod Priores deputati vel deputandi super hoc, ter vel quater in anno adeant personaliter dictas Domos Monialium ad videndum et ordinandum de observatione efficaci earum, qui puniant graviter contrarium facientes ; mandamus et præcipimus omnibus personis dictarum Domorum et Ordinis, sub pœna privationis officiorum et inhabilitationis, quod eis in omnibus et per omnia obediant et pareant ut tenentur. »

Visitationes.

Postea admonentur Visitatores « qui de biennio in biennium singulas Domos suæ Provinciæ tenentur visitare, sic Visitationis officium tempestive accelerent ut saltem ad generale Capitulum mittant vel portent Domno Cartusiæ chartas Visitationum ; in quibus chartis vel literis clausis exprimant statum Domorum, defectus, dissolutiones et inordinationes specifice, et nomina inordinatorum specifice ac talia committentium, Præsidentium aut subditorum, ut exinde sciatur qui ambulant in tenebris et qui in luce, ut inde debita punitio infligatur, ultra illam levem quam Visitatores consueverunt imponere. »

Quod spectat nostros Urbanistas nihil generale hoc anno edixerunt, nisi quod præter ordinationem contra Mendicantes quam superius retulimus, « reprobant et annulant con-

ANNUS 1404

suetudinem quorumdam Priorum et Procuratorum cum hospitibus et Conversis comedentium. »

BONIFACIUS IX MORITUR.

III. Hoc anno, die 1 Octobris, morbo calculi extinguitur Bonifacius IX Pontifex Romanus, de Nostris optime meritus, ut passim superioribus annis vidimus; unde satis mirum quod nullum precum beneficium post mortem inter eos habuerit, nec etiam ejus obitus in eorum Charta denunciatus fuerit. Sexdecim post ejus mortem diebus, summus Pontifex a Cardinalibus electus est Cosmas de Melioratis, S. Crucis in Jerusalem cardinalis, dictus Bononiensis, perstudiosus nostri Ordinis patronus, qui nomen Innocentii VII accepit. Ab anno 1390 in Chartis Urbanistarum commendabatur precibus sub titulo Cardinalis Bononiensis et dicebatur magnus promotor Ordinis, sed imprimis singularis extitit cartusiæ Romanæ benefactor.

Item: Theodoric. de Embeke, profess. Argentinens.

Chronicon cartus. Argentinens. ms.

Plures e Nostris Bonifacium Papam in cœlum præcesserant, quorum primus est Theodoricus Nanexem de Embeke, natione Saxo, professus et Vicarius cartusiæ Argentinensis. « Vir erat mirum in modum devotus et religiosus, inquit Argentinensis cartusiæ historicus, qui tanta redundantia lacrymarum et effusione abundavit quantum in homine aliquo esse posse vix quisquam crederet, noctu et diu, vespere et mane, in cella et choro, omnium vero maxime in Missis; desiderium semper habens dissolvi et esse cum Christo. Gravis moribus, sui ipsius custos diligentissimus, cœlestibus semper intentus, usquedum vocatus a Domino ad ea sempiternum possidenda evolasset. » Ob singularem pietatem a suis dilectus, in Priorem aliquando assumptus est; sed vir solitudinis amans, infirmitates causatus quas ex victu austero contraxerat, adeo importune suam absolutionem petiit, ut eam uno anno in prælatura vix transacto obtinuerit. Ne tamen suos inconsolabiles redderet, matris partes, Vicarii dico, munus non abnuit; in quo tandem vivere desiit hoc anno, die decima Aprilis, donatus beneficio tricenarii per totum Ordinem.

Ex Charta Capitul. apud Bononiam, anno 1384.

Die 7 Augusti, ad cœlestes quoque sedes, ut speramus, a

Domino translatus est Hermannus Prior Coloniensis cartusiæ. Hic Daventriæ natus, cum esset rector scholarum Arnheimensis, pia Cartusiensium ejusdem urbis conversatione, ac maxime ignitis Patris Kalcariensis tunc ibidem Prioris eloquiis salubriter compunctus, invitis parentibus, clam inde se proripuit; et ne a persequentibus in seculi præcipitia devolveretur, per avia ac devia currens, ad montem S. Beati prope Confluentiam devenit, ubi votis præstitis, adeo religiose vixit ut paulo post Vicarii et Prioris gradum unanimiter conscenderit. Inde tamen descendens, ut Deo et sibi soli viveret, iterum ad regimen animarum redire cogitur institutus Prior Domus Coloniensis, in cujus Chronico dicitur homo plane religiosus « et Domus Dei dignus dispensator, qui multa utilitate et charitate annis 17 hanc Domum administravit. » Postea factus Visitator, sapientissime suam regit Provinciam. Utrumque munus abdicare sæpe voluit, sed semper audivit « ut in iisdem sanctam patientiam haberet propter Deum et nostri Ordinis utilitatem. » Tantamque in ejus prudentia et religione fiduciam collocabant, ut ei committerent plenariam Capituli generalis autoritatem super omnibus Domibus Provinciæ, cum potestate dispensandi et absolvendi, et de monachis providendi, prout sibi videretur expedire. Tandem infirmitatibus, angustiis et laboribus, ut loquuntur Chartæ, attritus, onere Visitationum biennio ante mortem levatus est, sed Prioratum solum cum vita dimisit.

ANNUS 1404

Hermannus, Prior Coloniensis,

Ex Chartis ab anno 1395 ad 1402.

Hermannum secutus est Joannes de Vallibus, quondam Prior cartusiæ Divionensis. Ille est quem vidimus a Carolo rege Francorum cum Priore Parisiensi ad Romanum Pontificem delegatum, cujus legationis meminit etiam Spondanus. Fuit aliquando Domorum Franciæ Visitator, et ejus opera Guillelmus Prior Cartusiæ ad res Ordinis difficiliores procurandas sæpe utebatur. Dux quoque Burgundiæ Philippus Audax eum quantumvis invitum, ad quoddam grave negotium gerendum procul misit; at ille redux, ut hujusmodi occupationes suæ professionis contrarias vitaret, misericordiam per literas enixe a Capitulo generali petiit, quam tunc

J. de Vallibus, Prior Divionensis.

ad ann. 1392. n. 5.

ANNUS 1404

denegatam paulo post a Visitatore sibi amico obtinuit; et paucis in solitudine transactis mensibus, die 22 Septembris præsentis anni obdormivit in Domino.

COMITIS ALENCONII OBITUS.

IV. Eodem anno, die 20 Septembris, moritur Petrus Valesius, comes Alenconii et vicecomes Bellimontis, alter cartusiæ Vallis Dei fundator. Cum enim ibi hactenus novem tantum alerentur monachi, alios quatuor fundavit, cum totidem cellis suis sumptibus ædificatis, magnum quoque porticum et alia ædificia extruxit et alia multa tum vivens tum moriens largitus est; unde post obitum plenum meruit monachatum per totum Ordinem cum titulo « reparatoris Vallis Dei. » In eadem Domo sepultus jacet, cujus prolixum epitaphium vernacule exaratum, ejus et Joannæ filiæ laudes enumerat et celebrat. In Calendario Domus ad XI Calendas Octobris ejus obitus legitur : « Bonæ memoriæ illustrissimus et inclytus Princeps dominus Petrus, quondam comes Alenconii, qui in hac Domo fundavit IV monachos pro quorum sustentatione dedit nobis CLX libras annui reditus, prout continetur in litera super his facta, quæ debet legi quolibet anno infra octavam Paschæ. Item dedit nobis pro reparatione Domus nostræ quam tempestas vastaverat quingentos francos, et in testamento suo legavit nobis quingenta scuta aurea, et alia multa bona fecit in vita sua, cujus corpus requiescit in medio choro Ecclesiæ. »

Reparator Domus Vallis Dei nuncupatur.

Ex ejus antecessoribus et successoribus plures extiterunt Domorum Ordinis fundatores et benefactores ac totius Ordinis fautores, quorum hic libet strictim mentionem facere :

Ejus antecessores et successores plurimi, Ordini favent,

Carolus Valesius, Fontis B. Mariæ fundator, sancti Ludovici regis nepos, præter Philippum Valesium regem, alterum habuit filium Carolum, comitum ac ducum Alenconii caput. Hic Cartusiensibus semper favit, quamobrem prior illius uxor Joanna Juniaci Comitis filia, post mortem quam subiit anno 1336 (quod Sammarthani ignorarunt) habuit tricenarium defunctorum per Chartam anni sequentis. Alteram duxit Carolus uxorem Mariam Hispanam, quam alii Margaritam vocant, Caroli Stamparum comitis viduam, cum qua ab

videlicet : Carolus Valesius, Fontis B. Mariæ fundator,

anno 1338 ad obitum usque precibus commendatur sic : « Orabitur pro illustri domino Comite Alenconii et ejus consorte, et liberis eorumdem per universum Ordinem. » Occisus vero in prælio Creciaco contra Anglos, duo tricenaria habuit in Chartis denunciata sub his verbis : « Illustrissimæ recordationis nobilissimo Principi fratri Domini Regis Franciæ, Comiti de Alencone, conceditur tricenarium per totum Ordinem, non obstante alio jam sibi concesso. » Ex quibus beneficiis quæ nisi insignibus benefactoribus non conceduntur, colligimus nostrum Ordinem multa bona ab eo recepisse. Maria ejus uxor Nostris benefacere pergens, eorum etiam preces obtinuit et maxime anno 1363 quo per Chartam sic commendatur : « Pro domina Maria, comitissa de Alenconio, fiat in qualibet Domo Ordinis unum tricenarium de Spiritu Sancto. » Apud Sammarthanos defuncta refertur ad diem 19 Novembris, 1369, sed forsan errore typographi, nam denuntiata fuit tantum in Charta anni 1380; unde recte conjicitur obiisse anno 1379. In necrologio, ejus memoria sic recensetur : « Maria de Hispania, comitissa Alenconii, quæ dedit cxx florenos pro reditibus emendis, et alia multa fecit. » Carolus ex eadem Maria plures habuit liberos ex quibus fuere : Petrus præfatus Vallis Dei benefactor, Philippus cardinalis de quo multa jam alibi diximus, et Robertus comes Pertici, qui cum Joanna de Rohan uxore sua inter præcipuos benefactores dictæ Domus Vallis Dei annumeratur. Petrus noster ex Maria Chamaillart uxore plures genuit liberos, inter quos quidam etiam optime de nostro Ordine meriti sunt. Joannes comes ac deinde primus Alenconii dux et Par Franciæ, erga Domum Vallis Dei se beneficum exhibuit, cui propterea ibidem anniversarium concessum fuit, et per totum Ordinem tricenarium.

Ex Chartis ab 1338 ad 1346.

Petrus de Alenconio,

Joanna virgo devotissima quæ vigiliis, orationibus et jejuniis addicta vitam duxit religiosissimam ; quæ sæpius Vallem Dei visitans (ex licentia summi Pontificis, ut par est credere), dies integros transigebat reclusa in cubiculo super Capitulum constructo, ubi et per fenestellam Sacrum audiebat, imo, ut vult traditio, divinis aliquando tam diurnis quam

Joanna ejus filia.

ANNUS 1404

nocturnis intererat Officiis. Tandemque paulo post patrem moriens, 6 Aug., cum eo sepulturam habuit anno 1405; non biennio ante ut habent Sammarthani, nam ex epitaphio superius citato, constat eam aliquandiu patri fuisse superstitem.

Catharina ducissa in Bavaria,

Catharina, altera Petri filia, nupta primum Petro Navarræo, singulari cartusiæ Parisiensis benefactori (de quo alibi), deinde Ludovico Bavaro Isabellæ reginæ Franciæ fratri, tantis beneficiis nostrum Ordinem sibi obstrinxit, ut anno 1415 et quinque sequentibus per universas Domos Missam de B. Maria habuerit ab omnibus monachis sacerdotibus celebrandam; sic enim habent Chartæ : « Pro domina Catharina d'Alenconio, ducissa in Bavaria, comitissa de Mortaing, quæ misit Capitulo generali consuetam eleemosynam, dicant, etc. » Diu postea vixit et ejus obitus designatur tantum in Charta anni 1464 cum tricenario. Acceptorum ab ea beneficiorum extat memoria in necrologio Vallis Dei sub his verbis : « Catharina de Alenconio, filia Petri de Alenconio comitis, secundi fundatoris, uxor quondam domini Petri de Navarra, quæ dum viveret multa bona fecit huic Domui. Largita est præclarum reliquiarium aureum, gemmis pretiosis ornatum, continens portionem Ligni sanctæ Crucis; reliquiaria quoque sanctæ Agathæ, sancti Stephani protomartyris et beatæ Mariæ Magdalenæ; dedit insuper cxx scuta aurea pro reditibus emendis, etc. » Et in necrologio cartusiæ Parisiensis, ad 25 Junii : « Dedit nobis primo omnia ligna ex quibus factum est campanile ecclesiæ nostræ, et cum hoc centum scuta auri ad opus ædificii ejusdem campanilis; dedit etiam nobis multas Sanctorum reliquias cum cruce de ligno Domini; et plura pulcherrima ornamenta aurea magno altari deservientia cum vestimentis sacerdotalibus. Item ornamenta sacerdotalia cum duobus tapetibus de serico albo in quibus figurata est Passio Domini nostri Jesu Christi; dedit etiam tres magnas tunicas de vulvo * rubeo, purpureo et nigro, et unam de serico nigro; dedit insuper in pecunia, diversis vicibus, summam 715 scutorum auri vel circa, multaque alia bona fecit nobis in vita sua. »

cujus beneficia enumerantur;

* gallice, *velours.*

ANNUS 1404

Joannes hujus nominis secundus, dux Alenconii, magnus quoque benefactor Vallis Dei appellatur. Cujus filius et successor in Ducatu legitur mortuus in Charta anni 1494 his verbis : « Illustrissimus Princeps dominus Renatus de Valois, dux Alenconii, successor fundatorum Vallis Dei. » Hujus Renati filius et hæres, Carolus dux, in quo desiit stirps Alenconiorum Principum, post mortem descriptus fuit in Charta anni 1525. Anna ejusdem Caroli soror, nupta Guillelmo marchioni Montisferrati, cartusiæ Astensis benefactori, post mariti mortem, quæ denunciatur in Charta anni 1519, per tres annos continuos precibus Ordinis commendatur.

Joannes II, dux Alenconii

V. Obiit etiam hoc anno nobilissima et illustrissima domina Joanna de Borbonio (sunt verba Chartæ) comitissa Forensis, quæ habet tricenarium pro semel cum anniversario perpetuo, die 3 Martii. Hæc nupserat anno 1318, ut asserunt Sammarthani, Guigoni VII comiti Forensi ; quo mortuo, quadraginta quatuor annis in viduitate perseveravit, cujus mortis tempus hactenus nulli innotuerat. Porro eam multa Ordini bona contulisse colligimus non solum ex beneficiis quæ post illius obitum Patres ei concesserunt, sed et ex precibus quas dum vivebat obtinuit ; nam per plures annos tricenarium de Spiritu Sancto pro ejus prosperitate et salute injungebatur in Chartis inter benefactores Majoris Cartusiæ et Capituli generalis, unde conjicimus eam multas pecunias ad instaurandam matrem Cartusiam combustam erogasse.

OBIERUNT HOC ANNO : *Joanna de Borbonio.*

Histor. Francor. Lib. XV, cap. 2.

Ex Charta 1374 et seqq.

In eadem Charta ponitur mortuus Joannes episcopus Illerdensis ; item Joannes Sarpe, sacerdos, archidiaconus Bituricensis. Eodem anno, die 28 Junii decessit Joannes Guioti, capellanus Caroli VI regis Francorum, et canonicus Senonensis et Compellensis, jacetque in cœmeterio Cartusiensium Parisiensium ad crucem lapideam.

Histor. Universitat. Parisiens. Sec. VI, ad calcem.

Ex parte Urbanistarum, die 14 Septembris, mortuus est Albertus IV dux Austriæ, fundatoris cartusiæ Gemnicensis nepos. Et in Charta anni sequentis, dicitur « fautor Ordinis devotissimus » ; unde habuit plenum monachatum et anni-

Albertus IV, dux Austriæ.

ANNUS 1404

versarium sub præfato die, ad quem etiam reperitur in Calendario cartusiæ Maurbacensis, ubi et appellatur « confrater et amator ejusdem Domus, et amicus totius Ordinis singularis, qui vere dilexit nos ut animam suam, et in plenariam suam tuitionem nos recepit et concessit libertates plurimas. » Singulis quoque annis, quamdiu Ducatui præfuit, commendabatur in Chartis.

DOMUS NOVIOMENSIS INCENDIO DETURPATUR.

VI. Hoc anno recrudescentibus Gallos inter et Anglos veteribus odiis, hi Picardiam vastantes, cartusiam Noviomensem turpi incendio deturparunt; ecclesia, Capitulo, cellis aliquot et aliis ædificiis igne consumptis : sicque Nostri pluribus deprædationibus quas annis pristinis passi fuerant jam fatigati, in maximas tunc angustias conjecti sunt.

Et ecclesia cartusiæ Durbonis,

per gentes patriæ.

Ex Archiv. Vapincens. S. H, n. 41.

Ad reparationem Domus mille florenos concedit Benedict. XIII.

Eodem etiam tempore, ecclesia cartusiæ Durbonis « per gentes patriæ » combusta fuit ; et cum ad reparationes faciendas Conventus hujus Domus omnino esset impotens, Benedictus XIII ut eum juvaret sequentes dedit Literas : « Benedictus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Ebredunensi et Vapincensi ac Sistaricensi officialibus, salutem et apostolicam benedictionem. Sinceræ devotionis affectus quem dilecti filii Prior et Conventus Domus Durbonis, Cartusiensis Ordinis, Vapincensis diœcesis, ad nos et Romanam gerunt Ecclesiam, promeretur ut ad ea favorabiliter intendamus quæ eis fore conspicimus opportuna. Exhibita siquidem nobis pro parte dictorum Prioris et Conventus petitio continebat, quod ecclesia dictæ Domus per gentes patriæ malitiose combusta fuit, et quod dicta Domus in suis ædificiis quæ plura et magna sunt, et propter eorum antiquitatem minantur ruinam, reparationibus indiget non modicum sumptuosis, ad quas faciendas iidem Prior et Conventus omnino sunt impotentes de præsenti. Quare, pro parte eorumdem Prioris et Conventus fuit nobis humiliter supplicatum ut iisdem pro reparationibus hujusmodi, de legatis ad incertas pias causas relictis in Ebredunensi, Vapincensi et Diensi ac Sistaricensi civitatibus et diœcesibus, usque ad summam mille florenorum auri concedere de be-

ANNUS 1404

nignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ut ecclesia et ædificia hujusmodi reparari valeant providere cupientes, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus vel vos vel duo aut unus vestrum, per vos vel per alium seu alios, de legatis hujusmodi quæ per personas in dictis civitatibus et diœcesibus consistentes debentur, usque ad summam mille florenorum prædictam, in reparationibus hujusmodi convertendam, eisdem Priori et Conventui autoritate nostra assignare curetis, ipsisque dictam summam cum integritate faciatis persolvi ; contradictores autoritate nostra appellatione postposita compescendo, non obstante si eisdem personis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per Literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem quod dictæ personæ de his quæ pro dicta summa eisdem Priori et Conventui persolverint, penitus sint immunes ; illaque alii vel aliis tradere seu solvere minime teneantur. Datum apud Sanctum Victorem prope Massiliam, IV Nonas Martii, pontificatus nostri anno decimo. »

JESU CHRISTI

ANNUS 1405.

Innocentii PP. VII	Ordin. Cartus.	Bonifacii Pr. Cart.
Ann. 1.	Ann. 322.	Ann. 4.

BENEDICTUS XIII GENUAM PETIT

I. ANNO Redempti Orbis quadringentesimo quinto supra millesimum, Indictione tertia decima, Benedictus, Pontifex Avenionensis, rebus suis in Gallia recte se habentibus inflatus, ut magis ac magis ad pacem Ecclesiæ restituendam proclivis videretur, in Italiam proficiscitur, fingens velle se suum rivalem Innocentium VII ad perfectam unionem inducere, etiam cessionis via, si opus esset. Et ut Cartusienses eadem spe lactaret, ad Capitulum generale paulo ante suum discessum literas scripsit quarum summam Patres Chartæ inseruerunt his verbis : « Pro Domino nostro summo Pontifice Benedicto XIII qui per suæ Sanctitatis literas præsenti Capitulo directas, paternum affectum ad nostrum Ordinem, et in ipsius orationum suffragiis devotionem se habere intimavit ; ac pro unitatis prosecutione quam in propria persona exequitur, et ut toti populo Christiano pax et tranquillitas proveniat, per singulas Domos Ordinis peculiarius et solito devotius orandum humiliter rogavit ; et consuetas Indulgentias in dicto Capitulo convenientibus indulsit ; et quod utilia ipsius Ordinis quantum cum Deo poterit, favorabiliter exequetur, repromisit : fiat in qualibet Domo Ordinis tricenarium de Spiritu Sancto, etc. » Et inferius in eadem Charta : « Notificamus quod Papa Benedictus XIII concessit Ordini quod quilibet hospes ad nos veniens, etiamsi sit Archiepiscopus, dicens in nostris Domi-

ad unionem Ecclesiæ, ut aiebat, præparandam.

bus Officium nostrum, ad aliud suarum Ecclesiarum non teneatur. » Sic ille Principes, Religiosos et plebem vanis pascens promissionibus Nicæa Genuam mense Maii appulit, decima prius Clero gallicano ad expensas itineris suppeditandas imposita. Quamobrem Nostri ad Benedictum delegantes rogant ut exemptionem quam ab hujusmodi decimarum contributione toti Ordini ab annis circiter quatuor concesserat, velit confirmare, quod ille statim præstitit, datis sui privilegii conservatoribus Arelatensi et Viennensi Archiepiscopis, cum Episcopo Gratianopolitano, ad quos literas scripsit, in quibus postquam suæ bullæ, quam habes anno 1401, tenorem repetiit, mandat eis ut « exemptionem, liberationem, indultum et constitutionem prædictam faciant autoritate Apostolica inviolabiliter observari, et non permittent nos ab aliquibus indebito molestari, etc. Datum Januæ, quarto Idus Julii, Pontificatus nostri anno undecimo. »

Inter Privileg. n. 104.

GENUENSES CARTUSIENSES INNOCENT. VII FIDELES.

II. Antequam e Galliis Benedictus emigraret, oratores Regis Franciæ Genuam advenerant ; quorum suasionibus ac sui maxime Archiepiscopi et Ludovici cardinalis Flisci exemplo commoti, plerique patricii ac senatorii Ordinis, rejecto Innocentii VII obsequio, Benedictum non solum pro legitimo Pontifice habuere, sed et eum in suam urbem admittere promiserunt. Non omnes tamen, saltem ex Regularibus, horum civium mutabilitatem imitati sunt. Cartusienses nempe, Cosmæ Bennamæ (al. de Bonavia) sui Prioris et Lombardiæ Convisitatoris adhortationibus animati, spretis a Magistratu intentatis minis, constantes in fide Innocentii perseveraverunt, parati etiam potius cœnobium et patriam deserere quam parere Benedicto. Constantiam eorum ac consilium Patres Urbanistæ in comitiis sequentibus approbavere, et per Chartam Priorem ad perseverantiam cohortati sunt sub his paucis verbis : « Priori Domus Januæ super tribulationibus et vexationibus suis et Domus suæ ex corde compatimur. Recordetur tamen quod non coronabitur nisi qui legitime certaverit, et de sui ac etiam Conventus virtuosa constantia sumus plurimum ædificati. Et super personis Or-

S. Antonin. P. III. Titul. 22. cap. 4.

P. Bizarr. Annales Genuens. Lib.X., ad ann. 1405.

Eorum constantiam laudat Urbanistarum generale Capitulum,

ANNUS 1405

dinis suæ Domus emittendis, in casu præsenti de quo scribit Capitulo generali concedimus ei plenam autoritatem; Prior vero Cartusiæ plenius ei scribit ad partem. » Interea magnam quoque pro sedando schismate sollicitudinem Innocentius præferebat, quamobrem iidem Patres decernunt ut « Pro sanctissimo in Christo Patre et Domino nostro, Domino Innocentio divina Providentia Papa septimo, qui jam diu fuit Ordinis nostri sancti protector et promotor, et nunc etiam est eidem Ordini gratiose multum inclinatus, ut expresse et clarissime patuit, cum nuper pro reparatione Domus sanctæ Crucis in Urbe sex millia florenorum (al. sexcentos florenos) dari commisit et solvi mandavit, fiat unum tricenarium de Spiritu Sancto.... Et pro incolumitate ipsius Domini nostri Papæ et celeri unitate sanctæ Matris Ecclesiæ, post Laudes et Vesperas dicatur Psalmus *Ad te levavi* cum precibus et orationibus assuetis, donec unitate præfata gaudeamus, quam Domino concedente cito speramus habere. » At ne a Benedicto, quem simulate agere apud Principes utriusque obedientiæ Innocentius non sine causa accusabat, aut ab ejus sectatoribus quispiam Nostrum circumveniretur, sapientem hanc edidere inhibitionem : « Quia Dei misericordia speramus sanctam Ecclesiam in brevi uniendam, inhibemus omnibus Domibus et personis Ordinis ne aliquos Visitatores et Priores seu personas Ordinis nostri alterius obedientiæ ad aliquem actum Ordinis exercendum admittant, etiamsi Ecclesiam Dei ante futurum Capitulum uniri contingat; donec per R. P. nostrum D. Stephanum, Priorem Cartusiæ, vel per Capitulum nostrum generale de unione Ecclesiæ, et etiam de unione Ordinis nostri sancti fuerint plenius informati. » Sed hæc omnia incassum tunc reciderunt, Innocentio et Benedicto dignitatem Papalem sibi asserere percupidis.

et preces indicit pro pace Ecclesiæ.

IN PAUPERES ET PECCATORES STEPH. MACONI CHARITAS.

Vita Stephan. Maconi, Lib. V, cap. 3.

III. Stephanus vero noster seraphicæ virginis Catharinæ, suæ quondam spiritualis matris exemplo, unionis Ecclesiæ et Ordinis promovendæ studio ardens, suis continuis pietatis et pœnitentiæ exercitiis in id totus incumbebat, ut Deum hominibus iratum placare posset. « Inter alia humilitatis opera

ANNUS 1405

consueverat, cum ad cœnobium suum sub vesperam pauperes adventarent ut hospitio exciperentur, illorum nonnunquam abluere pedes, ne quibus præerat, exemplo minus quam dignitate præesset ; quod pium munus tam diu vel maxime exercere placuit, quoad in Germania generalis fuit Ordinis Præses. Eo igitur cum die quodam manipulus pauperum appulisset, unus in eis erat adolescens bonæ sane indolis. Is jam inde a puero cartusiam Trevirensem, ut alii scribunt, alii vero aliam tradunt, ingressus, in eaque pie educatus monasticam vitam procedenti exin die professus fuerat. Quam paucis post annis pertæso, elanguente maxime primævo animi robore, constantia defuit in proposito : prorsus ut in dies magis sibimet aliisque inquietior factus, cœperit respectare mortalia, ac tandem malo sollicitante dæmone, castra nostra deseruerit. Cum igitur transfuga factus, huc illuc corpore et animo varius diu errasset, eo demum devenit, religione maxime perurgente, ut fastidire primum cœperit quæ vagæ pietatis studia sibi antea depinxerat in animo; et egestate dein premente, sordidus stipem ostiatim corrogare inter pannosorum greges compelleretur. Ergo ad Seizense cœnobium cum pervenisset, squalore obsitus ac macie luridus, admittitur cum reliquo miserorum cœtu. Quibus hospitaliter exceptis dominicum mandatum pius Pater linteatus de more impendit, Conversis Fratribus aliisque in tam pio officio ei famulantibus. Ad desertorem ubi cernuus proxime Stephanus accedit, idem illi atque reliquis persoluturus officium, infremuit spiritu divinitus actus. Ille lenissimum Patrem suos ante pedes accidentem intuitus interna consternatus verecundia rediit ad se ; atque continuo ab exordio lotionis ad finem usque, sine ullo singultu ac strepitu labentibus perpetuo rivo per genas lacrymis, sua flere cœpit errata. Lotione peracta ac strata mensa, negavit miser quidquam se cibi sumpturum, sed incœnatus cubitum discessit. Noctem totam transegit somni et quietis oblitus. Vix se dies aperuerat, cum aditum sibi ad Stephanum aperiri postulat gemebundus. Hoc ut obtinuit, extemplo

Mendicantium pedes lavat.

Quidam apostata Ordinis nostri,

sic inter egenos susceptus,

ANNUS
1405

ad Deum, ope Stephani, plene convertitur,

ad beati viri pedes provolvitur ore exsanguis, luctu pæne consumptus. Quem Pater conspicatus lugentem, illuvieque deformem, quis et cujas esset, et uberis ejus fletus causam blande rogitat. Ipse vero, verbis ex Evangelio desumptis : Pater, inquit, peccavi in cœlum et coram te, jam non sum dignus vocari amplius filius tuus. Quæ sane verba magis magisque in Stephano desiderium exacuere expiscandi scilicet qualis esset tanti mœroris causa. At ubi primum intellexit perditum filium, ad sanitatem mentis officiumque reversum, non potuit tenerum ac pium Patris pectus in illum totis præcordiis non commoveri, ætatis florem indolemque miseratus, adeo præclara in eo erat humilitatis charitatisque societas. In filii igitur Stephanus ruens amplexus monet et hortatur, ut bono sit animo; haud dubius quin Patris viscera apud se reperturus sit. Itaque probe recognitum, monachalique denuo vestitum amictu, ac rite expiatum restituit Ordini. Verum ne perniciosum illius exemplum cæteris facilem ansam præberet similia perpetrandi, jussit secretum a reliquorum Monachorum consuetudine per aliquot dierum spatium seponi, quem dein constantem in proposito, sibique per omnia probatum ad suum monasterium ablegavit ; in quo vitam vivens ad religiosæ disciplinæ severitatem apprime compositam, præclara vivendi ratione cæteris monstrabat non mediocriter sibi profuisse egregiam Stephani virtutem; ut rejecta mentis vecordia, ad constantiam rediret, luce divina confirmatus. »

Ordinique restituitur.

UNIO CALESII CUM DOMO CARTUSIÆ REVOCATUR.

IV. Eodem tempore, « Bonifacius, Prior Cartusiæ, spiritu compassionis ductus (ut habetur in Instrumento), Domum Calesii a multis debitis liberavit; grangias, vineas, prata et alias possessiones incultas et ruinosas non modicis sumptibus melioravit (ad quod facilius præstandum, facta fuerat qualiscumque unio dictæ Domus Calesii cum Domo Majoris Cartusiæ). Tamen postmodum majori experientia gravis oppressionis ejusdem Domus Calesii efficacius habita; attentisque variis aliis oneribus dictæ Domus Cartusiæ, quæ sine sui læsione notabili revera non potest dictam Domum

ANNUS 1405

sustentare, nec etiam a tanta ruina et oppressione relevare : igitur, Nos Diffinitores Capituli, R. Patris nostri et Conventus Domus Cartusiæ maturiori præhabito consilio, Domum Calesii suæ pristinæ spirituali et temporali restituimus libertati. » Sed his postea iterum revocatis, Domus Calesii directioni Majoris Cartusiæ restituta est.

MARTINUS SICILIÆ REX VALLEM CHRISTI INVISIT.

V. Hoc anno Martinus, Siciliæ rex, Barcinonem venit et inde a patre suo, Martino, Arragonum rege, ad cartusiam Vallis Christi deductus, ibidem per aliquot dies cum eo commoratus est. Eodem tempore ecclesiam claustrumque spatiosius ædificare Martinus senior rex et fundator statuit. Quapropter, indicta die, Tarraconensis Archiepiscopus divinum missæ officium magno cum apparatu executus est, adstantibus cum utroque Rege plurimis tum e Sicilia, tum ex Arragonia Præsulibus et Magnatibus. Sacro peracto, voluit pater primum a filio collocari lapidem in quem, crucis ad instar affabre incisum, marmoream crucem Sanctorum reliquiis refertam deposuit. Totum opus eodem ardore eademque magnificentia quibus incœptum fuerat paulo tempore, juxta fundatoris mentem absolutum est.

OBITUS D. G. DE VANDENOCQ PRIORIS ANTVERPIÆ.

VI. Obiit hoc anno Guillelmus de Vandenocq, professus quondam Domus Parisiensis, Prior vero cartusiæ Antverpianæ et provinciæ Picardiæ, sub obedientia Majoris Cartusiæ, Visitator. Hic neutralitatem per aliquod tempus cum Wenceslao Brabantiæ duce sectatus est, sed tandem Gallos gentiles suos imitatus, Clementi adhæsit, Domumque suam et quasdam alias Belgii suo exemplo suisque verbis (erat enim vir facundus) ad partes ejus allexit. Spretis etiam minis Urbanistarum, a quibus velut schismaticus publice aliquando damnatus est, ad Majorem Cartusiam, ut comitiis adesset sæpe ascendit. Post obitum qui designatur in Charta hujus anni, habuit plenum monachatum, tanquam de Ordine bene meritus. Dies ibi habetur 27 Martii, sed in Calendario ejusdem cartusiæ Antverpianæ, dicitur mortuus ipsa die Annunciationis B. Mariæ cum brevi elogio : « Obiit D. Willelmus de Vandenocq, monachus Vallis viridis, Prior hujus Domus ;

Ex Chartis 1388 et seqq.

ANNUS 1405

nihilominus et in die obitus sui (S. Virginis Annunciationis) curæ ipsi fuit ut citra lectionem, collatio in Capitulo haberetur. Vivat mens et manus illa quæ ultima monita posuit in verbo Domini, et exhortatione pusilli gregis sui. Et quia fecit et docuit, magnus merito vocatur in regno cœlorum. »

Circa eadem tempora vivere desiit Petrus Joannis de Viva, ad quem tunc in claustro Domus Maggiani morantem scripsit sancta Catharina Senensis epistolam in qua agitur de amore suiipsius, qui directe augmento virtutum Christiani viri opponitur. Postea factus Prior ejusdem Domus Maggianæ, Stephanum Maconum, mortua S. Catharina, inter Nos recipi petentem, in sancto proposito confirmavit. Præfuit et Domui Pisanæ ac toti Provinciæ ad annum usque 1404, quo se utroque munere abdicans, in solitudine paulo post mortuus est.

Epistol. 68.

RELIGIOSI SEPTEM IN DOMO MONTELLI PESTE SUBLATI.

Capitul. 19.

VII. Eodem tempore, in cartusia Montellana septem tum Monachi, tum Conversi cum duobus famulis peste crudeli extincti sunt. Tantæ necis seriem autor Chronici Montellani tunc præsens sigillatim enarrat, cujus verba ad Nostrorum ædificationem subjicio : « Anno quo pestis immanissima invasit Tarvisinam diœcesim, Frater quidam deceptus, haud dubium incaute, relicto duce salutis, sequebatur clam autorem perditionis locumque Dominicum indigne occupabat, ut clare comperi relatione condigna. Nec illi, ut spero, in æternum iratus est Dominus, sed cum nunquam sit sera pœnitentia, juxta dictum B. Hieronymi, fons totius bonitatis ex abundanti clementia finem ponere voluit peccatis illius, errantemque oviculam vel in extremis jam positam de faucibus lupinis eripere. Adveniente igitur mortis tempore, quadam nocte, torpenti in suo stratulo, matutinali tempore quo cæteri sinceras solent laudes Altissimo concinnare, ecce repente vigilanti sublatum apparuit suæ cellæ omne tectum : viditque duos Angelos terribiles nimis, sibique terribilius inquientes : Ad judicium, ad judicium, sic geminando. Demum eos vidit signum ponere cellulis in quibus habitabant mox obituri de peste sequenti. Quo peracto, ad jussa Domini peragenda,

Visio quædam terrifica.

versus Nervesiam Angeli abierunt. Nec hoc vidit, ut assolet, imaginatione aliqua aut somno delusorio, ut rei exitus probavit. Qui mox de lecto exiliens, tremebundus ad ecclesiam tunc perrexit. Hæc quidem non ab ipso, sed ab alio, cui secrete ille communicaverat, qui tunc postea decessit cum aliis, referente audivi. Inde statim insolita pestis locum istum petiit septemque Fratres ab hac vita sustulit et duos famulos habitantes in Domo. Tunc enim cœlum ignitis æstibus inardebat, et crassus aer nebulosis vaporibus caligabat, subductisque imbribus nebula refrænata pendedat et fœtida. Mortuis igitur duobus primis Conversis, quidam Monachus, Gratiosus nomine, nobilis de Venetiis, percussus est peste. Hic cum haberet quemdam Novitium Parmensem recommissum a Priore, et ille cerneret se acerbe privari Magistri sui præsentia corporali, cœpit magnis cum singultibus et rivulis lacrymarum eidem pio Magistro fari : Heu ! inquiens, Magister dulcissime, quam mœstum et desolatum relinquis discipulum ! sublatus ipse crudeli nimis et acerbissima nece ! Sperabam enim tecum diutius in sancto Dei servitio permanere, tuoque dulcissimo in tentationibus occurrentibus famine sublevari, et ecce nunc, ut cerno, feralis mors intempestivo ictu nos separat, me relicto. Et ille : Non te, frater amantissime, desero, sed paululum antecedo. Ego enim mox ut defunctus fuero, tu indilate sequeris. His auditis, juvenis territus, propriæ necis percussus famine finem querelis posuit cum ipso. Mane facto hora prima cum premeretur præfatus monachus morbo ferali, accersiri me fecit de cella.... Et ecce post horam tertiam, cœpit ad egressum arctari anima premique languore. Unde congregato Conventu, ut moris est, in conspectu psallentium Deo, in pace spiritum reddidit circa sextam. Defuncto igitur isto, memoratus Novitius alteri monacho vitæ bonæ, qui erat Sacrista, est a Præsidente commissus. Sed promissio defuncti Magistri non distulit evenire. Ipsa namque die percussus est ipse Novitius graviter inguinaria peste, decidentique in lecto præ languore, occurrit novus Magister cum lacrymis de percussione Novitii plurimum con-

ANNUS 1405

Moriens Magister Novitio se eum brevi secuturum prænuntiat.

ANNUS
1405

Idemque Novitius novo quem receperat Magistro prædicit.

tristatus : Eia, inquiens, fili, quid cerno in te cordis mei non mediocrem tristitiam ? Putabam te superstitem in Ordine sacro relinquere, et tu, e converso, me relicto tam acerbe discedis ? Et ille subridens : Nequaquam, Magister dulcissime, te relinquo, licet paululum antecedam, quia mox ut defunctus fuero, sequeris. Hac insperata promissione et ipse territus tacuit adhuc sospes, sed defuncto Novitio percussus est et Magister peste, ut cæteri, gravique languore oppressus. Interea frater quidam Baptista, Conversus, Procuratoris adjutor sollicitus et bonæ vitæ, percussus est graviter, absente Priore. Ad ultimum igitur veniens morbi oppressione, sacrum Viaticum petiit et accepit. Quem cum sacra Unctione muniissem, exiliens de lectulo quo jacebat, crucem quam ante ipsum posueram devote bajulans, in pavimento forestariæ (in qua tunc erat) resedit ; et sæpius osculata cruce ex cordis contritione, nimia infirmitatis vehementia et phrenesi concitatus exurgens, ibat versus parietem, nesciens quo properaret ; cumque ipsum interrogassem quo pergeret, ipsumque tenerem ne in parietem caput allideret : Ad cellam, inquit, nostram propero (cœmeterium significans). Et viribus jam amissis cecidit super me, quem supinum super pavimentum cum reclinassem, in momento feliciter migravit ad Christum. Post hunc et Sacrista memoratus sacro Viatico præassumpto, cum sanctam Unctionem devotissime recepisset, anima ejus de carnis ergastulo egressa, feliciter, ut spero, migravit ad cœlum.

Qui visionem viderat, et ipse pie moritur.

« Postremo Monachus ille ad judicium vocatus, ut supra, graviter percussus est, et Dei misericordia eidem non defuit, adjutus orationibus Fratrum. Nam cum cæteri vix per hebdomadam infirmitate laborantes hinc abierint, hic fere per quindenam duravit, nec unquam intellectus ejus fuit alienatus languore ; in quo spatio lavare potuit delicta sua, et offensionum maculas per gratiam Altissimi abolere. Hinc illo donante qui sanguinem proprium pro Redemptione multorum effudit, cum magna contritione Sacramenta suscepit Ecclesiæ, et exutus pondere carnis, et ipse feliciter, ut spero, migravit ad Christum.

« Post hujus obitum nonnulli percussi fuimus peste, non quidem ad mortem, sed ad purgationem peccatorum. Ultimo autem percussi sunt duo laici habitantes in Domo ; et hinc ablati, cum ducti fuissent ad propria, et ipsi mortis debitum persolverunt. Et ut præfata visio non delusoria sed certissima probaretur, cum Dominus finem nostræ tribulationi imposuisset, mox pestis ipsa immanissima circumstantes villas invasit incipiens a Nervesia in qua multas familias de terra delevit. Similiter et in Glavera in qua quidem infra mensem, ut nobis relatum est, centum triginta quinque personas extinxit utriusque sexus. » ANNUS 1405

VIII. Paulo post, videlicet exeunte hoc anno vel ineunte altero, duo alii Monachi in eadem Domo obierunt. Petrus Vicarius, et Augustinus senior, olim ibidem Prior et Domus Belrigardi. Quamobrem per Chartam sequentis Capituli Patres « hortantur Priorem ut ad honorem Dei et consolationem benefactorum, studeat Domum, pro posse, in personis reformare, concedentes quod Domnus Joannes de Ast possit ibidem profiteri, et similiter quod possit recipere duos Donatos. » Et ut facilius huic reformationi incumberet, per eamdem Chartam tres alii Monachi e Domibus Maggiani et Capri ad eum missi sunt. Pisanos quoque Cartusienses eadem lue infectos fuisse conjicimus ex eadem Charta, ubi tres Monachi sacerdotes ejusdem Domus inter mortuos recensentur. DUO ITERUM IN EADEM DOMO MONACHI MORIUNTUR.

In eadem Charta denunciati sunt ex amicis Stephani, « Joannes Sandaroni miles, rector hospitalis S. Mariæ della Scala Senensis, et Sanus Bartholomæi », civis ejusdem urbis.

Inter Clementinos recensetur mortuus R. P. D. Aymo, Patriarcha Hierosolymitanus, administrator Ecclesiæ Tarantasiensis, cujus obitus hactenus latuerat. Sammarthani dicunt eum fuisse Præpositum Montisjovis, sed Aymo ejusdem ecclesiæ Montisjovis præpositus adhuc vivebat hoc anno, die decima Julii, ut legitur apud Guichenonum. Hic vero Patriarcha jam obierat ante comitiorum nostrorum celebrationem. In eadem Charta denunciatur « D. Petrus Ferrerii laicus, civis Barcinonensis » qui videtur esse frater Prioris

ANNUS 1405

Cartusiæ. Et Antonius de Loverio episcopus Magalonensis, patria delphinus, de quo in Charta anni 1392 hæc legimus : « Pro D. Episcopo Magalonensi, qui misit quinque florenos Capitulo generali, dicat quælibet persona Ordinis litterata 7 Psalmos cum litaniis, et non litterata 10 *Pater* et *Ave.* »

FESTA SANCTÆ ANNÆ,

IX. Denique in his comitiis, suggestu, ut verisimile est, nostri Bonifacii, duo festa sub ritu trium lectionum instituta sunt. Primum sanctæ Annæ, cujus institutionis tale est decretum. « De sancta Anna matre beatissimæ semper Virginis Mariæ fiat amodo festum trium lectionum, sicut de una Virgine, cum propria oratione et Missa quam infra annotavimus, scribaturque ipsum festum in Calendariis in crastino SS. Jacobi et Christophori, 26 Julii. Sequitur : Missa *Gaudeamus, etc., sub honore beatæ Annæ de cujus solemnitate, etc.* Oratio : *Deus qui...* (est ea quæ habetur nunc in Missali e Muliere sancta, de Complenda). Epistola : *Mulierem fortem etc.* (quære in festo Magdalenæ). Evangelium et cætera Missæ sicut in Nativitate beatæ Mariæ, excepto quod non dicitur *Gloria in excelsis,* nec *Credo* nec Præfatio nisi communis. »

et B. Thomæ de Aquino instituuntur.

Alterum festum videtur institutum gratia sancti Vincentii Ferrerii, ad cujus forsan petitionem Indulgentiæ a Benedicto XIII concessæ sunt, ut in sequenti decreto legitur : « Festum etiam B. Thomæ de Aquino, Ordinis Prædicatorum, fiat cum tribus lectionibus die tertia Martii, per omnia sicut sancti Dominici. Et Dominus noster Papa concessit omnibus personis Ordinis omnes illas Indulgentias quas Prædicatores habent in ecclesiis suis in dicto festo et per ejus octavas. » Notandum quod R. P. Bonifacius erat frater S. Vincentii Ferrerii, Ordinis Prædicatorum : unde forte ea fuit aliqua occasio hujus festi celebrandi et Indulgentias obtinendi, quia S. Vincentius multum etiam apud Benedictum XIII poterat. Eadem festa post reconciliationem Ordinis per reliquas provincias ordinata sunt, ut suo loco dicemus.

Per Chartam anni 1568.

S. Annam postea sub ritu solemni celebrandam Patres decreverunt ad obtinendam hæresum profligationem. S. vero Thomas, *Capitulum,* ut dicimus, obtinuit. Sed de his alibi fusius.

JESU CHRISTI

ANNUS 1406.

Innocentii PP. VII.	Ordin. Cartus.	Bonifacii Pr. Cart.
Ann. 2.	Ann. 323.	Ann. 5.

CELLA VICARII IN DOMO CARTUSIÆ FUNDATUR.

I. INEUNTE anno a Nativitate Christi millesimo quadringentesimo sexto, Indictione XIV, mense scilicet Januario, Leonardus Caille et Francisca ejus uxor, cives Lugdunenses, in gratiam maxime Rodulphi Caille Cartusiæ professi, tunc vero Sellionis Prioris et Burgundiæ Visitatoris, qui erat præfati Leonardi frater, unam cellam apud matrem Cartusiam suis sumptibus ædificatam pro uno Monacho dotarunt, ut habemus ex quodam Instrumento, die 22 Januarii inde confecto sub sequenti forma : « Cunctis pateat evidenter quod F. Bonifacius humilis Prior, totusque Conventus Domus Majoris Cartusiæ Gratianopolitanæ diœcesis, congregati in loco consueto, habito inter nos tractatu et deliberatione, unanimiter et concorditer, nemine discrepante, considerantes vos Leonardum Caille et Francesiam (sic) uxorem vestram, honorabiles cives Lugdunenses, pro salute animarum vestrarum et vestrorum, ductos devotione erga dictam Domum nostram Cartusiæ, in testamento vestro, ut asseritis, disposuisse in claustro dictæ Domus fundare et dotare unam cellam ad habitandum, sustentationem, usum, victum et vestitum unius monachi ejusdem Ordinis sacerdotis, ultra numerum aliorum ibidem institutorum seu ordinatorum, qui perpetuis temporibus Deum pro salute animarum vestrarum et vestrorum orare teneatur; et nobis et Domui nostræ pro sustentatione dicti Cartusiensis monachi

ANNUS 1406

sacerdotis relinquere seu donare ex et de bonis vestris unde dictus monachus sustentari valeat : considerantes etiam quod tractante et interveniente venerabili fratre nostro in Christo, Domno Rodulpho, Priore Domus Sellionis, nostri Ordinis, vestri dicti Leonardi fratre carnali, dudum concesserimus vobis quamdam cellam, de bonis dictæ Domus nostræ non ex diu constructam et ædificatam in claustro prædicto ejusdem Domus, in cujus ostio (juxta morem aliarum) magna litera A est descripta, in qua nunc habitat Vicarius dictæ Domus, contiguam cellæ Priorali; pro cujus constructione, libris et aliis necessariis utensilibus dictæ cellæ et ejus incolæ, obtulistis vos dare ducenta scuta aurea cugni Regis Franciæ, super quibus tunc nostras literas in forma consueta vobis concessimus opportunas. Nunc autem, vos dicti conjuges et uterque in solidum, considerantes quod ea quæ in vita pro Dei cultu et servitio donantur, efficaciora sunt quam in morte (beata Lucia hoc suæ genitrici plenius contestante), pensionem, videlicet triginta septem libras decem solidos Turonenses monetæ regiæ valentes quinquaginta florenos auri, pro sustentatione dicti Monachi effectualiter assignaveritis super quibusdam bonis immobilibus vestris in Instrumento super hoc confecto specialiter designatis et limitatis, etc. Quapropter, nos prædicti Prior et Conventus prædictum Instrumentum et omnia in eo contenta de certa scientia, ut supra, acceptamus, laudamus et ratificamus. Volentes etiam et ordinantes quod Monachus incola dictæ cellæ sacerdos Cartusiæ, qui nunc est et pro tempore fuerit ultra numerum aliorum, debeat specialiter et expresse pro vobis dictis conjugibus et animarum vestrarum et vestrorum salute perpetuo orare, etc. Confitemur insuper et in veritate recognoscimus nos habuisse et recepisse a vobis dictis conjugibus realiter numerando dicta ducenta scuta auri, pro constructione seu ædificatione et aliis utensilibus dictæ cellæ per vos promissa, etc. Datum et actum in Domo prædicta Majoris Cartusiæ, in nostro Conventu, ut prædictum est, die 22 Januarii, anno a Nativitate Domini 1406, sub robore

Cellæ literis designatæ.

Modus fundationis.

et firmitate sigilli autentici dictæ Domus et subscriptione manus meæ supradicti Prioris. Et erat subscriptum : Ego Frater Bonifacius, Prior prædictus, autoritate nostri Capituli generalis, cujus vices gero super annum, laudo, approbo et confirmo omnia supradicta, et hic propria manu me subscribo die, anno et loco prædictis. »

ANNUS 1406

Leonardi obitus designatur in Charta anni 1428, in qua dicitur magnus amicus Ordinis et benefactor specialis Cartusiæ. Frater illius, scilicet Domnus Rodulphus, fuit primum Prior Vallis-profundæ, unde ad regimen Domus Sellionis translatus, factusque Visitator in utroque munere hoc præsenti anno defunctus est die 6 Septembris, et per Chartam anni sequentis habuit plenum Monachatum.

CARTUSIANI GENUENSES INNOCENTIO VII FIDEM SERVANT.

II. Interim Benedictus XIII quem pestis Genuam invadens Massiliam regredi coegerat, Parisios, ubi sciebat iterum agi de subtrahenda sibi obedientia, novum legatum misit ; et per eum, qui forsan per Majorem Cartusiam iter habuit, orationes Ordinis consuetas expostulavit, quas eisdem ferme verbis ac superiori anno Patres in comitiis per totum Ordinem imperaverunt. Idem quoque præstiterunt nostri Urbanistæ Innocentio VII, cujus protectionem et favorem erga nostram Religionem, ut anno superiori, multum celebrarunt. Genuenses vero Cartusienses quos sui cives ad obediendum Benedicto magis ac magis licet frustra lacessebant, ad perseverandum in obsequio Innocentii sic adhortantur : « Prioris Januæ et filiorum suorum laudabilem constantiam ac prudentiam valde commendamus ; exhortantes eos in Domino ut virtuose sicut cœperunt, in bono proposito perseverent. » Tantum valuit apud quorumdam animos hujusmodi hortatio, ut plures ex eis patria et Domo ejici maluisse quam Benedictum agnoscere postea videbimus. Casularum quoque, Vallis Pisii ac Montis S. Petri monachi, Comitis Sabaudiæ Benedicti partes tuentis subditi sed Pontifici Romano fideles, non parvam unde sustinuere vexationem ; quorum Prioribus Patres « ex intimo cordis compatientes, hortantur, ut intuitu felicitatis æternæ et ad sui coronam, habeant patientiam in

ANNUS 1406

laboribus et in adversitatibus suis viriliter perseverent ; quos etiam admonent ut recursum habeant ad Priorem Januæ cui circa ejusdem Domus negotia plenariam Capituli generalis potestatem committunt. » Hos tamen biennio post Clementinis nostris adhærere videbimus.

INNOCENS PAPA MORITUR.

III. Tandem e vita sub finem anni Innocentius excessit, cujus obitus anno sequenti his verbis a Nostris denunciatus fuit : « Sanctissimus in Christo Pater Dominus Innocentius Papa VII obiit die sexta Novembris ; cui prout bene meruit per totum Ordinem plenum concedimus cum psalteriis monachatum. » De ejus successore hæc habet autor coævus Chronici cartusiæ Montellanæ. Anno 1406 « Reverendissimus Pater et Dominus Angelus Corario, cum esset Cardinalis factus per Dominum Innocentium, decedente ipso Innocentio, creatus est Papa et vocatus est Gregorius XII. Qui post duodecimam diem assumptionis suæ scripsit epistolam antipapæ vocato Benedicto pro reformatione Ecclesiæ et unione fienda. Cui Antipapa ipse apologeticam de Marsilia destinavit epistolam in qua videbatur assentire, sed ut exitus rei probavit, dolose totum exterius ostendebat. » Hæc cum aliis Scriptoribus conveniunt.

Cap. 20.

PH. DE MAZERIIS MONTELLI BENEFACTOR.

IV. In Charta Majoris Cartusiæ, inter mortuos legitur « dominus Philippus de Mazeriis miles, cancellarius Regni Cipri, habens tricenarium. » De eo laudabilis mentio habetur in Chronico Montelli sub his verbis : « Hujus Prioris tempore (nempe Hieronymi de Cusignano qui præfuit ab anno 1369 ad annum 1373), magnificus miles dominus Philippus de Masseriis, Picardus genere, honorabilis Cancellarius illustris domini Regis Cypri fecit fieri Graduale Conventus, et unum volumen Antiphonarii magni. Item fecit solemnem donationem de sex mansis positis in villa Lansagi et castri Carbonariæ, Banchonii et S. Floriani. De quibus possessionibus extant inventarium et Instrumenta plenissima. Hic, ut mihi a fide dignis relatum est, in tanta veneratione Patrem monasterii habebat, quod sæpius cum gratia visitationis ad monasterium deveniret, ob reverentiam Prioris quam corde

Cap. 14.

fideli conceperat, de equo exiliens a longe, oblitus sui secundum carnem, nequaquam ad locum accedere præsumebat eques : Non est æquum, inquiens, vel consonum honestati, ut pergens ad talem tamque venerabilem virum atque amicum Altissimi, superbe ferar gressibus alienis. Hic etiam multas pecuniales porrexit eleemosynas dum hic stetit. At postmodum, ut nobis relatum extitit, assumens habitum Ordinis Cœlestini in partibus Franciæ, laudabiliter vivens, in pace quievit. » Hæc chronicon. Magnus etiam extitit Patrum Cœlestinorum Parisiensium benefactor, inter quos velut unus eorum, vitam plane religiosam sub habitu tamen seculari per viginti quinque annos duxit. Tandemque morte appropinquante, induta veste monachali, in ea mortuus est anno superiori die 29 Maii, apud eosdem Religiosos Parisiis sepultus. In tabulario dictorum Patrum Cœlestinorum asservatur ejusdem Philippi epistola ad Episcopum Tarvisinum in gratiam monachorum Montelli circa annum 1370 scripta, ut nos aliquando monuit R. P. Bonaventura Bauduy ejusdem Ordinis, sed tot lacunis referta ut legi non potuerit. Hic Cancellarius vir fuisse piissimus ulterius probatur ex festo Præsentationis B. Mariæ quod in Occidente celebrari a Gregorio XI, anno 1372, obtinuit. Quandonam vero hæc solemnitas inter Nos instituta fuerit suo dicemus loco.

ANNUS 1406

Jac. Brol. Antiquit. Parisiens. Lib. III.

Spond. ad ann. 1372, n. 9.

In eadem Charta denunciatur etiam mortuus « dominus Guillelmus Poncii, secretarius Regis Aragoniæ, » qui erat ex amicis nostri Bonifacii, Cartusiæ Prioris.

CARTUSIA POMERANIÆ ITERUM SUSCITATUR.

V. Hoc anno cartusia Pomeraniæ quam Patres ante biennium penitus dereliquerant, iterum suscitatur. Bugslaus enim dux, ex fundatorum stirpe genus ducens, iteratis precibus et promissis Patrum animos ita movit, ut Rectorem novosque incolas ad desertam Domum remitti impetrarit per Chartam hujus anni; cujus autoritate Joannes Walckoff de Hogia, cartusiæ Erfordiensis professus, a Lubecensi Prioratu absolutus novæ plantationi præficitur ut sequitur : « Priori Domus de Lubeck, ad sui magnam instantiam, fit misericordia : et injungimus ei, quod indilate, receptis præsentibus, illustrem

ANNUS 1406

D. Principem D. Ducem Pomeraniæ adeat, qui Priori Cartusiæ jam iterato rescripsit se Domum Ordinis ædificare velle, cum instantia magna licentiam postulando : et ea quæ circa novas plantationes ædificandas exigantur juxta formam expressam in novis Statutis exponat aperte, prudenter et seriose ; post quæ, si noverit ipsam plantationem ad effectum laudabilem fore perducendam, eum ex nunc præficimus in Rectorem eidem, autoritatem ei concedentes ut personas Ordinis ibidem necessarias ad eamdem convocare possit, etiam cum beneficio tricenarii, de consensu tamen vocandorum et etiam Priorum suorum. »

Incorporatur Ordini.

Ex Charta 1407.

Anno sequenti, idem Rector « commendatur de bona sollicitudine sua circa hanc plantationem. » Sed quia dux Bugslaus tum in Domus ædificiis perficiendis, tum in illius dote assignanda, satis lente se gerebat, incorporationem quam singulis annis per suas literas fieri enixe postulabat, obtinere non potuit, nisi sexennio post ; tunc enim Patres per Rectorem et Visitatores de bono statu Domus edocti,

Ex Charta 1412.

« Propter bonum testimonium, inquiunt, quod percepimus, in bona spe plantationem Domus Pomeraniæ ad laudem Dei et Virginis gloriosæ Ordini nostro sancto incorporamus, et Coronam B. Virginis Mariæ volumus nuncupari, Rectoremque præficimus in Priorem. » Vixit adhuc posthac aliquot annis Bugslaus, cujus obitus habetur in Charta anni 1419. Unicum filium habuit ejusdem nominis qui denunciatus mortuus in Charta anni 1447, dicitur Dux Pomeraniæ et Princeps Rugiæ. In Charta anni 1452, inter obitus leguntur : Sophia, quondam ducissa Pomeraniæ ; quæ videtur esse mater ejusdem ; et Alexandra, ducissa Pomeraniæ, quam illius uxorem crederem, cujus nomen Scriptores quos legi latuit. Anno denique 1456, Maria ducissa Pomeraniæ et Stetinensis habuit Anniversarium per totum Ordinem sub die 18 Februarii.

Benefactores.

Ex Ch. 1443.

Ex amicis et benefactoribus hujus Domus, hi in nostris Chartis inveniuntur : « Wernerus Hachemester, consul in Gripswalde. » Hæc est civitas Pomeraniæ ubi est Academia

cujus autor recensetur etiam mortuus in nostris Chartis sic : « Honorabilis vir dominus Henricus Rubenoro[a], utriusque juris Doctor, fundator Universitatis Gripswaldensis. » Honesta domina Elisabetha[b], uxor domini Henrici Selon, proconsulis ejusdem civitatis. Nobilis vir Paulus Santhezere[c] magni benefactoris titulum habet, sicut et qui sequuntur : Ghesar Widermanthe, vidua[d]. Nicolaus Strader[e]. Thomas Wouse[f]. Hemmingus Slater[g], proconsul in Rugenwalde. Joannes Cusselini[h] et Margareta uxor ejus, cives ejusdem urbis ; et Nicolaus Dancardi curatus ibidem, et hic fuit ultimus benefactor, cujus nomen habetur in Charta 1509. Nam post quindecim circiter annos, Pomeranis Lutheranos doctores recipientibus, vera religio e locis illis cum monachis expulsa est ; tandemque nostra hæc Domus eversa in arcem ducalem transmutata est, ex cujus bonis tredecim Monachos alitos fuisse discimus ex chartis Visitatorum.

ANNUS 1406

[a] Ex Ch. 1463.
[b] Ex Ch. 1460.
[c] Ex Ch. 1447.
[d] Ex Ch. 1461.
[e] Ex Ch. 1472.
[f] Ex Ch. 1488.
[g] Ex Ch. 1432.
[h] Ex Ch. 1459.

AD PAUPERTATEM OBSTRINGUNTUR DONATI.

VI. Hoc anno Bonifacius Generalis, Donatos Ordinis ad statum majoris perfectionis evexit, dum eos ad paupertatem strictius servandam cogit. Hactenus enim quidam eorum, velut rerum suarum domini, « proprio, » ut vulgo dicimus, uti poterant absque ullo « proprietatis » vitio, dummodo sicut alii qui se suaque donabant, et ipsi « de his quæ habebant Priori et Procuratori redderent rationem quoties super hoc fuerint requisiti. » Verum ad omnem confusionem vitandam, et ut omnes non ex propria voluntate, sed ex rationis disciplina vitam agerent, sapientissime prohibitum est per Chartam ne ullus Donatus cum proprietate deinceps reciperetur. Sic autem se habet decretum hujusmodi : « Quoniam, experientia docente didicimus per proprietatem hactenus Donatis Ordinis nostri permissam, et periculum animarum ipsorum et dispendium Domibus Ordinis inferri.... idcirco periculis animarum et indemnitatibus Domorum cupientes occurrere, duximus ordinandum ut Donati qui pro nunc sunt, omnia et singula quæ habent suis Præsidentibus revelent integraliter et remittant, sub pœna amissionis eorum quæ non revelaverint et expulsionis ab Ordine. Qui vero in

Nov. Statut. P. III, cap. 3. n. 4.

ANNUS 1406

posterum recipientur, nullatenus admittantur nisi proprietati abrenuntient sicut nostri Conversi, alias eorum receptio nullius sit momenti : quibus tam receptis quam recipiendis volumus per Domos provideri in victualibus et vestimentis, tam laneis quam lineis, secundum exigentiam sui status et pro viribus Domorum ; quorum vestimenta sint de panno albo vel griseo, semota omni superfluitate et curiositate sæculari. Et qui contra fecerint, tam ministrantes quam ipsa vestimenta portantes, per Visitatores graviter puniantur. » Porro ad istud paupertatis jugum jucundius portandum, aliquot post annis ordinant Patres, « quod Donati viventes sine proprio habeant beneficium *Brevis* sicut Conversi. » Sicque qui deinceps hujus mutationem libenti susceperunt animo, velut personæ religiosæ nostri Ordinis habiti sunt, eisdem bonis spiritualibus et temporalibus gaudentes.

Ex Charta 1430.

Præter hanc circa Donatorum statum ordinationem, aliam quoque hoc anno circa personas Ordinis in via positas ediderunt sub his verbis : « Ordinamus quod personæ Ordinis viatores possent Præsidentibus Domorum per quas transibunt confiteri peccata sua, et alia Sacramenta ecclesiastica, quando voluerint recipere : dum tamen de mortali certo ad Domum propriam reversi suis Prælatis iterum confiteantur. »

Onera spiritualia Domus extinctæ Correriæ,

Denique beneficia spiritualia Domus Correriæ (nuper Cartusiæ unitæ), quolibet die reddenda, ordinavit R. P. Bonifacius, ut sequenti patet Instrumento, ex quo plura disces ad suffragia mortuorum spectantia, juxta Cartusianam liturgiam, antiquitus observata : de quibus reticere non expedit : « Notum sit omnibus præsentibus et futuris, quod cum temporibus retroactis quidem Priores et Conventus Domus Coreriæ, Ordinis Cartusiensis, minus discrete obligaverint se et suos successores ad quædam onera spiritualia pro certis personis benefactoribus dictæ Domus perpetuo exolvenda : maxime pro Humberto Vetone et uxore sua et aliis de quibus intendebat, ad dicendum quotidie in missa B. Mariæ Collectam *Inclina....* et quod unus monachus esset quotidianus intercessor pro ipsis ad Dominum ; et quod his beneficiis

associaretur quidam monachus prædicti Ordinis de Domo Sanctæ Crucis *. Item pro domino Petro de Cordone sacerdote, omni die quolibet celebrare de mortuis, ad dicendam unam Missam defunctorum pro ipso et pro quibus intendebat. Item pro Helyano, Francisco et Joanne fratribus, civibus Astensibus, concesserunt quod decimus monachus dictæ Domus Coreriæ intercederet pro ipsis continue et Missam celebraret; et si decimus non esset, unus alius facere teneretur. Item pro Guioneto de Marchis, quod Vicarius hujus Domus esset perpetuo monachus dicti Guioneti, ad quotidie intercedendum et missas celebrandum pro eo in capella ipsius Guioneti. Item quod in Missa Benefactorum diceretur oratio *Deus cui proprium*, pro Guillelmo de Sancto-Andrea in singulari, videlicet in qualibet hebdomada. Ex quibus beneficiis dicta Domus nimium onerata, tum propter paucitatem monachorum quam alias causas, a multis annis præteritis beneficia prædicta distulit exsolvere; quod vergere videretur in eorum periculum non modicum qui ad ea sunt obligati, et in damnum animarum prædictorum Benefactorum. Hinc est quod Reverendus Pater D. Bonifacius Prior majoris Domus Cartusiæ et dictæ Domus Correriæ eidem unitæ, præmissis omnibus pensatis diligenter, cupiens onera dictæ Domus reddere portabilia, Capituli generalis autoritate sibi concessa, ordinavit de et pro prædictis omnibus orationibus quod amodo quilibet sacerdos dictæ Domus in omni Missa quam celebrabit in privato, teneatur dicere pro omnibus superius nominatis defunctis et pro suis orationem *Inclina* in plurali. Item quod in Missis mortuorum quæ dicentur in conventu, dicatur oratio prædicta pro eisdem ; quod si dicta oratio *Inclina* esset dicenda in dicta Missa conventuali, tunc dicatur pro prædictis oratio *Deus cui proprium* in plurali ; quod si ambæ dicendæ essent in dicta Missa ex alia causa, tunc tertio loco repeteretur oratio quæ prior dicta fuerat, sive *Deus cui proprium,* sive *Inclina,* pro prædictis defunctis. Item quod secundum Ordinis instituta, missa de beata Maria quotidie dicatur pro prædictis defunctis extra conventum, in qua dicatur oratio prædicta,

* in Jarezio.

Visis circumstantiis, moderantur.

scilicet *Deus cui proprium* in singulari, et in plurali pro domino Jacobo Barrucherii et pro suis. Et insuper in eadem Missa in penultimo loco dicatur oratio *Inclina* in plurali pro omnibus defunctis superius nominatis. Quando vero missa beatæ Mariæ dicetur in conventu, injungantur a Sacrista alicui alteri sacerdoti prædictæ orationes, scilicet *Deus cui proprium* pro prædictis domino Jacobo et suis, et *Inclina* pro omnibus aliis superius nominatis. Et ut numerus septenarius Collectarum in ipsa missa beatæ Mariæ quotidiana non excedatur, declaravit Reverendus Pater quod possint dimitti tres istæ collectæ, sive duæ aut una ex illis, scilicet *Deus a quo, Deus largitor,* et *Omnipotens Deus christiani*... Insuper statuit idem Reverendus Pater quod in omnibus Agendis, sive conventualibus sive privatis, de cætero dicendis ex debito Ordinis per monachos et Clericos Redditos hujus Domus, dicatur oratio *Inclina* pro omnibus defunctis superius nominatis. Quod si alias ipsa oratio *Inclina* esset dicenda, tunc dicetur pro prædictis oratio *Deus cui proprium ;* quod si ambæ essent dicendæ ex alia causa, tunc in tertio loco repetatur illa quæ prior dicta fuerat. Acta sunt hæc per præfatum Reverendum Patrem in mense Julii, anno Domini 1406. »

De numero Collectarum septenario in Missis.

VII. Patres vero Urbanistæ in suis comitiis quædam circa divinum Officium disposuerunt :

ORDINATIONES.

1. « Quod in die undecim millium Virginum dicendum sit evangelium sicut in die sanctæ Agnetis, quia in quibusdam Domibus dicitur evangelium sicut in die sanctæ Agathæ ; et homilia sicut de sancta Agnete.

2. « Ut vitetur dissonantia quæ in quampluribus libris reperitur, et divinum Officium uniformiter in Ordine celebretur, declaramus quod circa finem capituli XXIX primæ partis Statutorum novorum, videlicet de festis 12 Lectionum, ita se debet habere textus : « In festis SS. Augustini, Gregorii et Ambrosii legitur sermo B. Fulgentii qui sic incipit : *Dominicus sermo, etc.* Et homilia B. Hieronymi : *Homo quidam peregre proficiscens.* » Itaque Domus homiliam illam non habentes, habere omnino procurent. »

JESU CHRISTI

ANNUS 1407.

Gregorii PP. XII	Ordin. Cartus.	Bonifacii Pr. Cart.
Ann. 1.	Ann. 324.	Ann. 6.

I. ANNUS Christi quadringentesimus septimus supra millesimum, Indictione quinta decima, totus abiit in variis vanisque de restituenda pace Ecclesiæ colloquiis inter Gregorium XII et ejus rivalem Benedictum per frequentes nunciorum itus ac reditus habitis, de quibus omnes agunt Historici. Quod vero ad Cartusienses attinet, scribit autor Historiæ Portæ Cœli nostrum Franciscum de Aranda, ejusdem cartusiæ Donatum, hisce colloquiis adfuisse, citatque Zuritam cujus verba sic transfert : « Interfuerunt etiam Dominus Franciscus Sagarriga episcopus Illerdensis et Franciscus Aranda qui illis temporibus prævaluit plurimum in regali concilio status regum Petri et Joannis, et deinde seculo renuntians, factus fuit Donatus cartusiæ in monasterio Portæ Cœli : et hoc tempore (videlicet præsenti anno) jam habitum induerat et fuit eximius servus Dei. »

PRECES PRO BENEDICTO XIII INDICTÆ.

Capit. 7.

Annal. Arragon. ad hunc ann.

Cæteros Cartusienses Benedictus, pro more suo scriptis ad nostrum, imo et suum Bonifacium Cartusiæ Priorem et ad Capitulum generale literis, profusisque in totum Ordinem Indulgentiarum thesauris, in suo obsequio sub speciosa accelerandæ unionis expectatione continuit. Id patet ex consueta illius in Charta hujus anni facta commendatione sub his verbis : « Pro Domino nostro summo Pontifice Benedicto XIII, qui unitatem Ecclesiæ Dei tam affectuose prose-

Indulgentias Nostris elargitur.

ANNUS 1407

quitur et pro qua oranda humiliter generali Capitulo scripsit; quique Indulgentias in Hebdomada Sancta per eum dari consuetas, omnibus præsenti Capitulo interessentibus vel justo impedimento detentis misericorditer indulsit; necnon per bullam Reverendo Patri nostro Domno Cartusiæ emissam, cunctis Christi fidelibus literatis qui psalmum *Miserere mei Deus* cum collecta *Ecclesiæ tuæ,* cæteris vero qui quinquies *Pater noster* et septies *Ave Maria* pro dicta et sperata unione, genibus flexis, pœnitentibus et confessis dixerint, annum et quadraginta dies Indulgentiarum pœnitentiæ pie concessit, fiat in qualibet Domo tricenarium Spiritus Sancti; et quilibet celebrans dicat unam missam de B. Maria, non celebrantes septem Psalmos cum Litaniis, Laici centies *Pater noster* et *Ave Maria.* Et nihilominus fiant suffragia alias ordinata pro pace et unione sanctæ Matris Ecclesiæ, et unusquisque secundum gratiam a Deo sibi datam fundat preces assidue pro præmissis, etc. » Sic pios homines pia sed vana spe Benedictus ludificabat.

ITEM, ORATIONES PRO GREGOR. XII PRÆCIPIUNT URBANISTÆ.

II. Simili illecebra Patres Urbanistæ delusi, primum easdem pro Gregorio quas pro antecessoribus illius injungi solebant orationes, præceperunt per totam suam obedientiam persolvendas, non solum quod eum pro legitimo summo Pontifice haberent, « sed quia jam diu antequam Papa eligeretur, Ordini nostro sancto devotissimus fuit et gratiosus, » adduntque Deum ab omnibus exorandum, « ut ab omnibus adversis eum protegat, et sub manibus ejus optabilem unitatem Ecclesiæ suæ sanctæ indilate concedat. » Cumque ex publico rumore audissent utrumque Pontificem intra festum sancti Michaelis, vel ut quam tardissime sub initium Novembris dignitatem suam communi consensu abdicaturum, relicta utrique Cardinalium collegio novi Papæ electione, decernunt ut suus Generalis Stephanus, ubi primum audierit novum Papam electum, ejus auxilium imploret, consilium sequatur ad unionem pariter Ordinis citius conciliandam; alioquin si pax intra præfinitum tempus Ecclesiæ non redderetur, volunt res Ordinis eodem in statu

quo se tunc habebant perseverare. Decretum tale est, horum Patrum pietatem et prudentiam præ se ferens :

ANNUS 1407

Unio Ecclesiæ tunc firmiter sperabatur.

« Quia speramus per gratiam et misericordiam Jesu Christi, quod Ecclesia sua sancta diu desideratam unionem cito sit habitura, cum etiam uniri sanctum Ordinem nostrum affectuosissimo desiderio peroptemus : volumus et ordinamus in casu quando unitas Ecclesiæ cum certo effectu fuerit publicata, omni dilatione postposita, R. Pater noster Domnus Stephanus, Prior Cartusiæ, quam cito potuerit ad consilium futuri summi Pontificis habeat recursum : de cujus consilio dictus Prior Cartusiæ omnia ordinet et disponat. Si vero unio præfata ante festum omnium Sanctorum non esset facta et publicata, quod nobis esset valide molestum, ordinamus quod futurum generale Capitulum in hac eadem Domo S. Joannis Baptistæ in Seiz more solito celebretur, obedientia Sedis apostolicæ semper salva. Quapropter, in virtute sanctæ obedientiæ, præcipimus omnibus Domibus et personis Ordinis ne interim aliquos Visitatores vel alias personas alterius obedientiæ recipiant vel admittant ad aliquem actum Ordinis exercendum, etiamsi Ecclesiam ante futurum Capitulum uniri contingat. Et quia erit annus bissextilis, omnes Priores et Rectores venire teneantur, etc. »

Nostri Genuenses iterum vexantur.

Deinde Petrinum de Agazariis quem Cartusienses Genuenses post mortem Cosmæ de Bonavia in Priorem sibi elegerant, in officio confirmant, « cujus, inquiunt, ex intimo cordis compatimur et filiorum suorum anxietatibus et laboribus ; sed in Domino confidant cujus est bellum, quia beati prædicantur qui persecutionem patiuntur propter justitiam. » Neque enim solum ex militum malitia, propter bellum inter Genuenses, Florentinos ac Pisanos motum multa mala patiebantur ; sed quod intolerabilius censebant, a Gallis qui Genua tunc potiebantur, ad Benedicti partes sequendas adeo violenter instigabantur, ut Petrinus eorum Prior Domum deserere cum pluribus monachis sub finem anni coactus fuerit.

DECIMAS GREGORIO SOLVUNT URBANISTÆ.

III. Interim Gregorius pecunias sibi necessarias ad complendum iter versus Savonam, quo ipse et Benedictus mutuo

ANNUS
1407

congressuri erant ad colloquium, comparare volens, clero sibi subdito decimas indixit, scriptis XII Calendas Maii ad omnes ecclesiastici status encyclicis literis, per quas declarat « intentionem suam esse, quod in hujuscemodi solutione subsidii totus clerus exemptus et non exemptus, etiam Ordinum quorumcumque, pro tangente quemlibet rata, contribuat. » Mandato Apostolico sponte ac propensiori animo Nostri statim obtemperarunt. At Stephanus Minister generalis, ut cæteris præberet exemplum, indictam suo monasterio tributi partem, per Priorem Pontinianum, et Willelmum suum Procuratorem, Senas quo advenerat Gregorius illico misit, cujus promptam obedientiam et sincerum erga Sedem apostolicam affectum ut ille compensaret, decimam triennalem suæ cameræ debitam condonavit, ut constat ex apocha ab Episcopo Bononiensi suo camerario scripta.

Raynaldus, Annal. ad ann. 1407. n. 6.

EXEMPTIONEM A DIŒCESANO CONFIRMAT GREGORIUS,

IV. Jam antea aliam gratiam toti Ordini Gregorius contulerat, de qua in Charta hujus anni sic Patres Urbanistæ meminerunt : « Pro domino Comite Ciliæ, cui satis obligamur, quia nobis est valde favorabilis et devotus in tantum quod monasterium pulchrum ædificari sollicite facit, ac etiam ab apostolica Sede suis precibus et expensis exemptionem plenissimam Ordinis a Diœcesanis universis impetravit, et nunc in præsenti Capitulo de bonis piscibus abundantissime juxta magnificentiam suam providit, fiat pro sua et suorum incolumitate tricenarium, etc. » Non extat modo hujusmodi privilegium quod forsan fuit tantum alterius confirmativum, de quo diximus ante sexdecim annos.

impetrante Domus Pletriac. fundatore.

Quod spectat cartusiam Pletriacensem a præfato Comite fundatam, ut suo loco diximus *, hanc præsenti anno pingui dote fundator instruxit; quam donationem ejus filii postea confirmarunt, scripto sequenti diplomate : « Nos Fredericus et Ulricus, Dei gratia comites Cilienses, Ortenburgenses, Segorvienses et in terris Mindicensibus bani, testamur, nostri et hæredum posterorumque nostrorum gratia, atque notum facimus patentibus his literis omnibus has visuris, quod dilectus dominus et pater noster Hermannus comes Ciliensis,

Filii fundatoris donationem confirmant,

* Vid. ann. 1403.

etc...., piæ memoriæ, ad laudem sanctissimæ, incomprehensibilis individuæque Trinitatis, ad honorem superlaudabilis Dei matris virginisque Mariæ totiusque curiæ cœlestis ; præcipue ad solatium et salutem universorum majorum suorum nostrorumque posterorum, monasterium Pletriacense Cartusiani Ordinis, Thronus SS. Trinitatis dictum, ad fines Mindicensium terrarum situm, in S. Bartholomæi parœcia et in Aquileiæ patriarchatu, a fundamentis exstruxit, fundavit, auxit et ut aperte et speciatim docent et ostendunt fundationis diplomata, variis locupletavit gratiis. Quæ vero diplomata, privilegia, gratias ut nostris quoque diplomatibus approbare et confirmare, necnon omnia prædia, fundos, possessiones terrenas cum appendiciis suis a dilecto domino et patre Hermanno comite, etc....., et a nobis in proprium data, nominatim speciatimque nostro in diplomate transcribendo inserere dignaremur, dilectus noster, fidelis ac devotus Domnus Andreas ad tempus Prior, coram nobis cum toto Pletriacensi Conventu supplex petiit, ut tandem haberent quid magis fixum quod sequerentur. Nobis hoc tam laudabile majorum nostrorum opus bene considerantibus justeque judicantibus, onus officiumque incumbit non solum non diminuere vel abolere quod fundarunt, sed quantum in nobis est augere et extendere ; præcipue quia ex piis laudati Conventus precibus devotisque supplicationibus ad Deum misericordiæ plurimum solatii in nostras, majorum, posterorum omniumque fidelium animas provenit. Proinde mature deliberantes, nos Domno Andreæ Pletriacensi Priori totique Conventui præsenti et futuro atque ecclesiæ, diplomata, exemptiones, gratias a memorato dilecto domino et patre nostro Hermanno comite, etc..... acceptas, eodem tenore eisdemque cum articulis confirmavimus et ratas habuimus, insuper hisce nostris diplomatibus confirmamus ac ratas habemus ; nec nobis nec heredibus posterisque nostris unquam licere supradictum Priorem Conventumque præsentem et futurum hisce in gratiis et exemptionibus molestare aut præpedire. Prædia autem, fundi, possessiones cum appendiciis sunt : (sequitur enumeratio....)

ANNUS 1407

ut quid magis fixum Conventus habeat.

ANNUS 1407

Enumerata illa bona omnia et singula cum appendiciis tradidimus dicto monasterio, ut in illis ac in suis propriis plenum et perfectum dominium exercerent perpetuo et quiete, minime impediti a nobis, heredibus posterisque nostris. Insuper fide nostra spondemus nos Conventum cum bonis suis velle fortiter et firmiter defendere, protegere ac tueri, ut præsentibus diplomatibus eum eaque fideliter defendimus, protegimus ac tuemur si opus erit contra omnem vim omnemque injustitiam, in quantum possumus et omnibus fundationibus nostris debemus. Singulari vero munificentia et benevolentia erga fundationem nostram in Pletriach et Dominos ibidem Deo servientes moti, declaramus nos omnesque nostros posteros Comites Cilienses, etc....., paratos esse omnes gratias, exemptiones, privilegia in diplomatibus, quibus ab Altitudine sua Principe et Duce Austriæ muniti et honorati sunt, consignata observare, conservare et patrocinari juxta tenorem omnium in dictis diplomatibus Principis contentorum articulorum; maxime vero juxta tenorem diplomatum iisdem Dominis Conventuique ab optimo domino nostro Romanorum Imperatore, Friderico rege, sub sigillo datorum, in quibus diplomatibus specialis viget articulus secundum quem fundatio nostra Conventusque judiciariam exercet potestatem per omnes fundos in dicti Principis terris sitos, de quibuscumque negotiis criminalibus, rebus injustis, transgressionibus, ita ut procurator et judex ad hoc ab eis electus et institutus, atque a Principibus Austriæ, heredibus successoribusque ratus habitus, plena gaudeat potestate sententiam mortis dicendi. Præterea eligant in pago suo Oberfeld cives et juratos quibuscum componant rurale tribunal; salva tamen villa Schleinitz cum appendiciis, quæ in rebus criminalibus ut antea tribunali rurali in Manweis subjecta remaneat. Jubemus et præcipimus omnibus centurionibus, heris, equitibus, armigeris, castellanis, judicibus, civibus, omnibusque aliis subditis ac fidelibus nostris præsentibus et futuris ejusdem vel cujuscumque aliæ conditionis hæc diplomata inspecturis, ne fundationem nostram in Pletriach, Priorem Con-

Domum tueri promittunt.

Judiciaria potestate gaudet Conventus.

ventumque præsentem et futurum, unquam in fruendis hisce gratiis et exemptionibus impediant vel molestent, sed nostri gratia strenue protegant et perpetuo tueantur. At vero si quis nostrum velit temerario ausu contrafacere, sive parum sive multum, sive clam sive palam, sciat se graviter incurrisse indignationem nostram, amisisse omnes in scriptis suis diplomatibus contentas gratias, et ad 10 aureos plene solvendos teneri : et quidem v cameræ nostræ, et v ecclesiæ. Hisce præsentibus diplomatibus duobus sigillis nostris subsignatis declaramus, statuimus ac volumus, ut sæpe laudatæ gratiæ et exemptiones intactæ integræque apud supradictam nostram fundationem, Priorem, Conventum præsentem et futurum in perpetuum permaneant. » ANNUS 1407

Sed ad Dominum fundatorem redeamus. Anno igitur 1410, absolutis magis necessariis ædificiis, cæterisque ad tredecim Monachorum victum requisitis a munifico comite Hermanno suppeditatis, per Capitulum generale in Majori Cartusia post factam Ordinis unionem celebratum, hæc Domus inter conventuales annumerata est hoc decreto : « Ad bonam relationem R. Patris Domni Stephani et Venerabilis Prioris Domus in Gyrio, ad laudem Summæ Trinitatis, Domum Throni Sanctæ Trinitatis, omni via, jure et modo quibus melius possumus et debemus, nostro sancto Ordini in Dei nomine incorporamus; intitulantes eam nomine quo supra. Præficimusque in Priorem D. Hartmannum, Rectorem ejusdem. » *Domus incorporatur.*

Post biennium ecclesia consecrata est, ut colligimus ex Charta capitulari qua conceditur præfato Priori Hartmanno « ut pro dedicatione ecclesiæ possit vocare Priores quos voluerit. » Deinde Comes fundator primam suam liberalitatem volens ampliare, novas fundationis literas jussit exscribi amplioribus privilegiis et donariis refertas. Posthac diu vixit amplissimus fundator, qui tandem a Sigismundo Imperatore, socero suo, in Ordinem Sac. Rom. Imp. Principum adlectus, paulo post decessit, denunciatus in Charta anni 1436, sub his verbis : « Illustrissimus ac magnificus dominus Hermannus, *Fundatoris obitus denunciatur.*

ANNUS 1407

comes Ciliæ Segoriæque, etc., fundator Domus Sanctæ Trinitatis in Pletriach, habens plenum monachatum tertio Idus Octobris, » anno videlicet superiori quo, contra eos qui obitum illius citius referunt, eum adhuc vixisse probamus ex decreto Sigismundi Imperatoris dato octavo Idus Martii, anno 1435, quod sic incipit : « Spectabili et magnifico Hermanno, Ciliæ et Segoriæ comite, socero nostro charissimo, totius regni nostri Sclavoniæ Bano, etc. » Ex quibus præterea verbis, Rerum Polonicarum scriptores arguuntur qui Barbaram Sigismundi Imperatoris conjugem dicunt habuisse patrem Willelmum, patruum vero Hermannum Ciliæ comites, sed verius scribit Bonfinius eam fuisse filiam nostri Hermanni. Porro Ciliæ Comites genus duxisse a liberis Baronibus a Saaneck discimus ex tabulario cartusiæ Seizensis, ubi asservantur literæ datæ, germanico idiomate, circa annum 1380, quibus Hermannus comes Ciliæ donationem Ulrici de Saaneck avi sui et Catharinæ aviæ, ac Gebhardi, Ulrici et Leopoldi cognatorum suorum in Draming, etc., cartusiæ Seizensi factam, confirmat. Quam etiam confirmationem Hermannus filius ejus renovavit. Baronum vero a Saaneck antiquitas ex eodem tabulario detegitur ubi ad annum 1173 Gerardus de Saaneck cum pluribus aliis Nobilibus testis nominatur, cujusdam commutationis inter Ulricum Aquileiensem Patriarcham et nostros Seizenses factæ. In Charta Capituli generalis Florentiæ habiti, inter mortuos legitur « Hermannus comes Ciliæ magnus benefactor Ordinis, » quem facile crederem eum esse qui a Carolo IV Imperatore inter quatuor Comites Sacri Imperii Romani anno 1361 connumeratus est, cujus tamen obitus perperam ab Henninge (nisi sit error typographi) ad annum 1395 rejicitur.

Cromer. Lib. XVI., Jodoc. Dec. de Jagell. familia, Lib. II., Matth. Miechov. Chron. Polon. Lib. IV. cap. 41.

Bonfin. Rer. Hungar. Lib. IV.

Geneal. Comit. Ciliæ.

Domus fautores,

Ex eadem familia procul dubio fuit Willelmus, comes Ciliæ, qui etiam magnus nostri Ordinis benefactor appellatur in Charta anni 1393, ubi mortuus dicitur. Et hic videtur esse quem citati Rerum Polonicarum autores patrem faciunt Annæ Jagellonis regis Poloniæ et Barbaræ Sigismundi Imperatoris uxorum. Constat ex Literis fundationis Domus in

Pletriach nostrum fundatorem tres habuisse filios, Fredericum videlicet, Hermannum et Ludovicum. Duo juniores ante patrem obierunt; Ludovici obitus denunciatur in Charta anni 1417, in qua et additur « illustrissimus comes dominus Petrus de Carbacia, avunculus præfati Comitis Ciliæ. » Anno sequenti habetur etiam inter mortuos « Elizabetha, comitissa fundatrix » Domus in Pletriach. Et decennio post ponitur « illustrissimus dominus Hermannus comes Ciliæ, » fundator etiam dictus, juxta morem Ordinis quo fundatorum posteri fundatores nominantur. De Frederico primogenito et aliis ejusdem familiæ nostri Ordinis fautoribus, dicemus suis locis.

et Benefactores.

Ludovicus, Aquileiensis Patriarcha, primum inter benefactores hujus Domus locum merito occupat, qui « ob grata, ut loquitur, indefessa, proficua et fidelia obsequia, aliaque commendabilia auxilia, favores, assistentias et consilia quæ illustris et magnificus dominus comes Hermannus, Ciliæ Segorviæque comes, Regni Sclavoniæ Banus, suique progenitores, nobis et Ecclesiæ nostræ Aquileiensi affectuosissime fidelissimeque et promptissime impenderunt, ipseque incessanter impendit, » decimas quasdam Domus Pletriacensis ab omni onere et jure Ecclesiæ suæ debitis absolvit, dato diplomate anno 1426, 9 Januarii. Et duobus post annis totam fundationem ad ejusdem Hermanni petitionem confirmavit.

Virgo religiosa Dorothea Plankenstein, Priorissa Monialium in Studeniz, anno 1424 quærelas inter se et Domum nostram motas sedavit.

Ernestus episcopus Gurcensis, anno 1428, officium Sleiniz ab onere feudi liberat; idemque circa alia bona præstitit anno 1421 Nicodemus episcopus Frisingensis.

Floruit hæc Domus per centum et viginti annos usque ad irruptionem Turcarum in Austriam, quibus et succedentibus Hæreticis, cum Cartusiensibus incolis destitueretur, Patres Societatis Jesu admisit, ut fusius, Deo dante, opportuno tempore narrabimus.

PRECES CONTRA TURCAS.

V. Hoc pariter anno, nostræ Domus in Hungaria sitæ multa timuerunt ab ipsis Turcis; contra quos jam regni fines

ANNUS 1407

invadentes, Sigismundum regem copias duxisse discimus ex Charta Urbanistarum, qui preces imperant « pro Domino Rege Ungariæ et ejus regno, et præsertim ut Deus omnipotens victoriam sibi cedat contra inimicos Christi, qui in brevi populum Christianum in confinibus regni sui crudelissime invaserunt. »

ITEM CONTRA MAUROS.

VI. Castellani quoque in Mauros bellum hoc anno gesserunt, unde per Chartam Clementinorum « commendatur Joannes rex Castellæ qui pro fide Christiana defendenda, se, regnum et bona contra Saracenos fideliter et strenue exponit; necnon Regina et liberi eorum; et pro bono statu eorum fiat tricenarium, etc. » Eadem prorsus verba tribus annis consequentibus repetuntur, quæ certe non tam Regem spectant qui superiori anno patri Henrico vix bimulus successerat, quam ipsam Reginam matrem Catharinam et Ferdinandum defuncti Regis fratrem, ac Joannis et regni illius tutores, qui per tres annos continuos fortiter contra Mauros Granatenses contenderunt.

BEATUS NICOLAUS ALBERGATI PRIOR BONONIENSIS ELIGITUR.

VII. Absoluto in comitiis Seizensibus Thoma de Monte Odorisii, cartusiæ Romanæ Priore et totius Ordinis generali Procuratore, per eamdem Chartam utrumque munus demandatur Nicolao de Padula, qui jam ab annis septem Domui Bononiæ et toti provinciæ præerat. « Priori Domus Bononiæ (sunt verba Chartæ) ad suam instantiam, ad Ordinis voluntatem et honorem, fit misericordia; et præficimus eum in Priorem Domus sanctæ Crucis in Jerusalem in Roma, cui etiam injungimus officium Procuratoris Ordinis. » Et superius, inter ordinationes et admonitiones ejusdem Chartæ hæc de eo habentur : « Si quis indiget scribere ad Romanam curiam licite scribere potest Domno Nicolao, quondam Priori Bononiæ, sed nunc Priori S. Crucis in Roma, quem etiam præficimus in Procuratorem Ordinis. » Anno sequenti, ut ibidem fusius dicemus, idem Nicolaus Padulensis, Rector novæ Domus Mantuanæ institutus est. Eo vero a Bononiensi regimine ad Romanum translato, nullus ei per Chartam suffectus est, sed Conventuales, juxta potestatem Statutorum

et Capituli generalis autoritate sibi factam, Pastorem elegerunt, Nicolaum Albergatum suum professum, vix trigesimum secundum suæ ætatis annum excedentem.

ANNUS 1407

B. NICOLAUS VISITATOR LOMBARDIÆ INSTITUITUR.

VIII. Hic, anno sui regiminis quinto, cum comitiis Ordinis apud Matrem Cartusiam celebrandis adesset, a Patribus de illius pietate et prudentia apprime edoctis in Diffinitorem assumptus, utriusque Lombardiæ curam, qua B. Stephanus Maconus exonerari petierat, subire cogitur. Diximus eum e Florentinæ cartusiæ clavo a suis Bononiensibus in Priorem electum; nam revera, Jacobus Zenus, Vitæ illius scriptor coævus scribit eum pluribus præfuisse monasteriis quorum tacet nomina : at Sigonius ea distincte designat dicens, quod « post annos aliquot a sua professione, ea prudentiæ documenta simul ac diligentiæ dedit, ut Florentino primum, deinde Bononiensi monasterio præfectus sit. » Nec obstat quod Poggius Florentinus in ejus oratione funebri solius meminerit Bononiensis regiminis, cum de Florentino silere potuerit sive ex oblivione, sive de industria, ob brevissimum tempus in eo transactum. An vero cartusias quoque Romanam ac Mantuanam usquam rexerit dicemus anno sequenti. Porro, quam sapienter, quam sancte cuncta sibi ab Ordine demandata officia gesserit, accipe ex probatæ fidei autoribus : « Magistratus illos, inquit citatus Zenus, eum in modum administravit, ut in Religione et in populo nihil divinius prædicari posset Nicolai nomine. Erat enim ipse sanctissimorum operum patrator et prædicator, plurimosque ad religiosam sanctam vitam et divina mysteria, suasione sua et exemplo pertrahebat; humilitatem summam et abstinentiam asperrimam præ se ferebat, et omnino a sæcularibus terrenisque rebus abdicatus, ad sola cœlestia et divina volabat. Venerabantur illum simul et mirabantur cives omnes, felixque esse ille videbatur, qui hujus perfrui consortio aut doctrina refici potuisset. Quo in regimine, ait Poggius, ea fuit modestia, prudentia, temperantia, ut ab omnibus ipsius virtus celebraretur. Et quamvis in monasterio sedulus atque abditus viveret, cultui divino et gubernandi curæ intentus,

Cap. II.

Cap. II.

pag. 3.

ANNUS 1407

virtus tamen et sanctitas claudi minime poterat; sed Bononiam usque horum certa vestigia perlata, omnes cives in admirationem stuporemque perduxerant. Ipsi quibus præerat absque ulla invidia, quam vitare difficile his qui præsident cæteris, virtutes ejus admirantes efferebant. Neque vero mirum, facile est ejus laudem consequi illis qui non præesse cupiunt sed prodesse. » Hac tanti viri fama permotus Bononiensis populus, in suum Pastorem eum postularunt, ut postea dicturi sumus.

HERMANNUS DOMUS PRAGENSIS PRIOR MORITUR.

IX. Hoc anno, paulo ante comitiorum celebrationem, obiit Hermannus professus cartusiæ Pragensis, quam per quindecim annos cum omni laude et utilitate rexerat, ex Vicario in Priorem, ad petitionem, sive « ad supplicationem Conventus, » ut loquitur Charta, per Capitulum generale institutus. Ejus industria sæpe Patres usi sunt in lustrandis Domibus remotioribus, Stetinensem nempe, Dantiscanam, Pomeraneinsem et Francofordiensem non semel visitavit, et in ipsis Visitatorum Domibus eodem functus est munere. Huic sancto viro alter non inferioris meriti suffectus est per Chartam hujus anni. « Quia novimus, inquiunt Patres, Domum Pragæ pastore orbatam, de voluntate Conventus, et ad instantiam ipsius, præficimus in Priorem dictæ Domus D. Marquardum, dictæ Domus professum, dispensantes cum eo, autoritate plenaria, quia non stetit in Ordine per tres annos juxta formam Statutorum. » Hic erat Marquardus de Wartemberg, ex illustrissima stirpe progenitus, qui perlustratis Europæ regionibus, cum omnia summa ab eo mundus expectaret jamque honoris cumulo invehi cœpisset, restitit in speculis fati, ut cecinit poeta. Reduxque in patriam post confecta longinqua itinera, tandem quieturus stetit et se in cartusiam Pragensem recipiens, humilem Cartusiensis habitum induit (non vero in Majori Cartusia ut habet Balbinus). Non diu lucernam latere Patres permiserunt, quandoquidem triennio nondum in solitudine expleto, ut vidimus, eum aliis lucere coegerunt, Provinciam quoque Alemaniæ superioris post extinctum schisma regendam suscepit. « Dif-

Ex Charta 1392.

Ex Chartis 1396 ad 1405.

Marquardus succedit.

Ex Charta 1410.

ficile dictu est (inquit Balbinus) quanta in veneratione ob sanctimoniæ odorem, consiliorum felicitatem, doctrinæ præstantiam, tam a suis fratribus quam a sæcularibus sit habitus ; sed præcipue Pragensem Universitatem theologicis studiis illustravit. Consulebatur eo tempore, et velut ad oraculum adibatur cartusia Pragensis, et Cartusianorum opera in sacris causis potissimum laudabatur. »

ANNUS 1407

Circa idem tempus, quemdam virum spectabilem Institutum nostrum professum colligimus ex Charta Urbanistarum hujus anni in qua præcipitur ut « pro quadam devota et multum notabili persona Ordinis nostri, quæ valde magni status erat in sæculo, et pro quibus desiderat, dicat quælibet persona Ordinis unum *Pater noster* et *Ave Maria*. » Forte ipse est præfatus Marquardus de Wartemberg, quem alibi videbimus suum zelum in Hussitas inflammantem.

GOBERTUS SCRIPTOR FLORET.

Ex Chartis 1405 et seqq.

X. Eodem tempore in Domo Vallis S. Petri florebat Gobertus monachus professus ejusdem, vir pius et doctus, ut liquet ex quodam tractatulo ab eo edito, quem inscripsit *Speculum Infirmorum* et dicavit cuidam monacho Montis Dei, cui nomen Reginaldus. Hic multis morbis lacessitus, multoties pro transmigratione ad aliam Domum ad Capitulum generale institerat, quem ille gravi etiam detentus infirmitate ad patientiam hortatur, misso præfato opusculo, cujus initium tale est : « Dilectissimo in Christo Domno Reginaldo graviter infirmanti, frater Gobertus Cartusiensis Ordinis ac ejusdem professionis commonachus, morboque paralytico vehementer afflictus, in Domino delectari libenter, etc., » quæ suum autorem in Sanctorum scientia et in patientiæ schola eruditum fuisse manifestant. Alium quoque tractatum priori copiosiorem Gobertus edidit inscriptum : *De quinque statibus Fidelium*.

UTRIUSQUE CAPITULI DECRETA.

XI. Hoc anno, in comitiis Majoris Cartusiæ « prohibetur ne ulla Domus Ordinis bona Novitiorum ante professionem eorum alienet etiam de consensu eorum, aut per eos post receptionem alienari permittat, ne mutato proposito recedentes et retro aspicientes, impugnent quod ante conces-

ANNUS 1407

serunt, lites et quæstiones excitando.... alias talium nulla sit receptio, et Præsidentes ad integram restitutionem cum damnis et expensis eis teneantur. Itemque prohibetur ne ullus Præsidens vel Domus Ordinis alienet quoscumque libros earum, nisi prius obtenta licentia Visitatorum. Et ne ullus etiam Præsidens veniat Cartusiam super annum pro absolutione petenda, nisi in casu urgentis necessitatis et consensu suorum Conventuum et ordinatione Visitatorum. Vicariis aut monachis in Domo Monialium comedentibus cum sæcularibus infra septa Domorum, injungitur ut dicant pro qualibet vice unum psalterium, ultra pœnam Statutorum. »

De libris non alienandis.

Quorundam Benefactorum obitus recitantur.

In eadem Charta, leguntur inter mortuos « Dominus Joannes de Molari miles, qui fecit generali Capitulo legatum, habens tricenarium Defunctorum ; et nihilominus dicant celebrantes pro eo unam missam de Defunctis, non celebrantes dicant 50 psalmos cum *Requiem* et veniis, Laici vero 30 *Pater noster*. » Ex eadem forsan familia sunt qui denunciantur anno 1415 : « Joannes de Molari miles, alias dictus Frilo, magnus benefactor Ordinis, habens Anniversarium sub die 5 Februarii ; et anno 1428, Joannes de Molari de Sapeto ; » et quidam alii Benefactores Ordinis.

In Charta Urbanistarum, inter mortuos recensetur « Yvo de Senis, germanus Domni Cartusiæ (nempe Stephani) et generosus domicellus, filius domini Willelmi de Abcoude, » alterius fundatoris Domus Trajectensis ; qui paulo post filium, hoc etiam anno defunctus est, ut diximus cum de fundatione prædictæ cartusiæ egimus. Eo mortuo, amplissimæ illius facultates devolvebantur ad Jacobum Principem de Gaesbeek, Swederi primi fundatoris filium. Verum Joannes Brederodius *, cartusiæ Diestensis Conversus, qui quondam uxorem duxerat Joannam præfati Willelmi filiam (sed quæ tunc sicut maritus sacris initiata, ad successionem inepta erat) pœnitentia ductus, amicorum carnalium instigatione, obtenta sive potius fraudulenter extorta a summo Pontifice licentia nostrum Ordinem et habitum deseruit, ut et uxorem et cum ea extinctorum parentum hæreditatem repeteret.

* Vid. ann. 1402.

Sed quo tandem fructu ordinatim a variis scriptoribus audiamus. ANNUS 1407

XII. « Altera die sancti Urbani, inquit Gerbrandus, obiit Wilhelmus de Apcouda et Wick Dorestado, non relinquens post se proles nisi Joannam, quondam uxorem Joannis domini de Brederode, nunc professam in monasterio Sanctimonialium in prædicto oppido Wick Dorestado, in quo et idem Wilhelmus sepultus est : quare Jacobus domicellus de Gaesbeek, filius Zuvederi domini de Gaesbeek, fratris pronominati Wilhelmi, acceptavit dominia de Apcouda et Wick Dorestado. Quod cernens Joannes, quondam dominus de Brederode, nunc monachus Conversus ad Cartusienses prope Trajectum, exuit religionem, persuasione iniquorum, et ut fertur, obtinuit a Sede apostolica licentiam retrahendi suam uxorem ex monasterio prædicto, ut cum ea obtineret dominia de Apcouda et Wick Dorestado. Cumque sibi repetitis vicibus magna resistentia in dicta causa facta fuisset, non solum ad hæredibus et Episcopo Trajectensi, ut supremo loci illius domino, sed a Patribus Ordinis, qui hominem votifragum et apostatam, juxta Statutorum et canonum præscripta aliquando persecuti sunt. » Hoc discimus ex Charta Capituli Seizensis quæ Priorem Diestensem serio sic admonet ut eum requirat : « Miramur multum quod Prior Diestensis et Conventus suus non requisierint fratrem Joannem de Brederode, Conversum suum; unde districte illis injungimus, quatenus eumdem pro posse et nosse, etiam per censuram ecclesiasticam, si necesse fuerit, requirere non omittant ; committentes similiter Prioribus et personis Ordinis ut in hoc ipso, si opus fuerit, eisdem assistant. Ad quod etiam seriosius monemur ex scriptis Reverendi Patris, ac Domini Episcopi Trajectensis qui de hoc pluries scripsit seriose. »

APOSTASIA J. BREDERODE NARRATUR.

J. Gerbr. a Leydis, Chronicon Belg. L. XXXII, cap. 7.

Ex Charta Seizens. 1409.

At ille, ut disciplinam Ordinis vitaret, suamque a nobis defectionem aliqua tegeret æquitatis specie, licentiam quam Joannes Franciscus Parvus asserit eum a Sede apostolica obtinuisse « habitum Ordinis dimittendi et uxorem rehabendi, » cum callidis fraudulentisque ratiunculis, ad Universi-

Fraudulenter approbationem quorumdam Doctorum Univers. Parisiens. captat.

ANNUS 1407

tatem Parisiensem per certos amicos ad eam rem compositos mittit. Quidam Doctores, fraudibus non patentibus, simpliciter juxta falso allegata respondent « illum Militem posse repetere conjugem suam, nec in aliquo teneri ad Religionis observationem in toto vel parte. » Quos tamen non ita locutos fuisse asserit celeberrimus Gerson, « si casus, inquit, fuisset eis taliter qualiter mihi præsentatus. » Alii, re diligentius examinata, contrarium quidem pronuntiarunt, sed quia « eorum scripta (ait idem Gerson) sonabant aliter quam inquirens affectabat, ideo prætermissa sunt et suppressa. »

Oper. II. P., titul. 39. litt. T et seqq.

Causam armis tuetur.

Priorum Doctorum conclusiones velut debiliores, armis tuendas Brederodius censuit; coactis igitur tumultuariis copiis, vicum Dorestadum invadit, uxoremque a cœnobio licet invitam contra fas extrahit. Rei seriem sic refert citatus Gerbrandus : « Anno 1410, nona die mensis Aprilis, oppidum Wick Dorestadum idem Joannes armata manu intravit, plerisque oppidanis occisis, uxorem suam de monasterio acquisivit et perduxit ad suum hospitium. Quod cum percepisset Fredericus de Blanckenhem episcopus Trajectensis, qui tunc temporis apud Horst extitit, statim armavit perpulchrum exercitum, et subito irruit super oppidum Wick prædictum atque manibus armatis intravit, accipiensque uxorem Joannis, reclusit in monasterio et ipsum Joannem tradidit captivum Domicello de Gaesbeek qui locavit eumdem captivum in castro Wick. »

Quid ad casum publice dixerit Gersonius.

Interim Joannes Gerson, visis et examinatis tum Joannis Brederodii interrogationibus et ad eas Doctorum responsis, tum præsertim sibi oblata a Cartusiensibus schedula consultatoria, plures propositiones de hac re scribit ac publice docuit apud Sanctum Victorem eodem anno, die crastino Annunciationis beatæ Mariæ, quas postea suis conclusionibus Universitati Parisiensi oblatas Rector illius et duodecim Doctores approbaverunt, ut videre est inter opera Gersonis. Sed lubet hic schedulam consultatoriam subjicere, quod rationes omnes quibus Joannes ad desertionem impulsusfuit distincte prosequitur :

« Quidam olim miles secularis multis obligatus debitis, post cessionem omnium bonorum suorum, quam fecit in præsentia Domini sui ac Principis terræ, ea resignando in manus fratris sui germani ad opus et usus creditorum suorum, ipsis licet ignorantibus : sic quod accepta a præfato fratre suo cautione promissi, sub sigillo præfati principis et sui, quod de præfatis bonis solvere deberet et satisfacere creditoribus ejus, videlicet Militis quondam præfati. Ipse et uxor ejus abstractioris (ut asseruit) vitæ desiderio, pari se voto licentiantes, Religionem petierunt : hæc in monasterio Sanctimonialium, ubi recepta et solemniter professa per novem fere annos hactenus mansit; ipse quoque in monasterio Cartusiensi, ubi secundum formam Statutorum Ordinis Cartusiensis in hæc verba interrogatus : Si liber es, si absolutus, si absque incurabili morbo, si denique de quærelis satisfecisti ? respondit ad singula singillatim, quod sic ; sed adjuncto ad ultimam interrogationem modo satisfactionis (ut præmissum est supra), videlicet via cessionis præfatæ. Ad quod Prior monasterii respondit in hæc verba : Scias quod si aliquid horum de quibus interrogatus es celaveris, poteris etiam post professionem expelli. Post hæc secundum formam Ordinis et Statutorum præfatorum tamquam nudus et pauper susceptus et solemniter professus est ; minime reclamantibus creditoribus suis, quibus pro tunc vel interim non fuerat satisfactum. Et hinc per septem fere annos in monasterio perseveravit.

ANNUS 1407

Ejusdem schedula consultatoria.

Apud Bohic. Annal. Cartusiens. ad ann. 1410. n. 9 et 10

Præfatus J. Brederod. debitis solvendis impar,

Antiq. Statut. II P. cap. 23. n. 3, 4.

bonis cedit et Religionem ingreditur.

Interea contigit fratrem præfati quondam Militis in quoddam infortunium incidere, ut videlicet ab hostibus suis caperetur ; unde impotens videbatur factus ad exequendum quod promiserat de satisfactione pro fratre suo Milite prædicto. Post hæc autem mortuus est socer ipsius quondam Militis, pater videlicet olim uxoris suæ. Unde persuadentibus quibusdam consanguineis ejus ac propinquis, occasione (ut eis videbatur) aliquali jam habita, tamquam jure propinquitatis ac legitimæ successionis ex parte uxoris suæ quondam præfatæ, monasterium suum contra prohibitionem Prioris sui

Mortuo autem socero,

ut hereditatem adeat, habitum Ordinis exuit.

ad petendum bona quondam soceri sui defuncti, ut inde solveret debita sua, exivit; et ad sæculum reversus habitum suum dimisit, carnes comedit et vota professionis suæ multipliciter violavit. Et notandum quod in patria illa, scilicet in terra Hollandiæ, Gelriæ et Brabantiæ, Religiosi tales succedant parentibus vel monasteria pro eis.»

quod ei, teste Gersonio, minime licebat.

His omnibus rite a Gersone discussis, concludit hunc Militem nec potuisse monasterium nec habitum relinquere nec uxorem repetere, imo nec post suum egressum carnes edere: quibus conclusionibus omnes Doctores subscribunt. In quorum testimonium Joannes de Bellomonte, Rector Universitatis, sigillum rectoriæ apposuit anno præfato 1410, die 28 Maii. Denique anno hujus sæculi undecimo, die decima mensis Januarii, pie decessit in suo monasterio Ordinis Prædicatorum sæpedicta Joanna Brederodii uxor, cui per Chartam anni sequentis concessum fuit tricenarium defunctorum per totum Ordinem. « Post cujus mortem, ut habet sæpe citatus Gerbrandus, Joannes laxatur a captivitate, qui proh dolor! non rediit ad suum monasterium, » sed ad Gallorum Regem se recipiens, quadriennio post in prælio Azincurtio ab Anglis occisus est; sicque in delicto contumax misere periit, nullum fructum reportans, tum ex purgatorio sancti Patritii ad quod olim perrexerat ut alibi diximus, tum ex Ordinis nostri austeritatibus per septem annos satis fideliter toleratis.

DUX AURELIANENSIS OCCIDITUR.

XIII. Denique sub finem hujus anni, Ludovicus, dux Aurelianensis, Caroli VI regis Francorum frater, de quo jam alibi diximus, Parisiis misere periit jussu ducis Burgundiæ perfidiose occisus; cujus tanquam singularis protectoris et benefactoris Ordinis, obitus habetur in Charta anni sequentis. Dum vero vivebat, sæpius missam de B. Maria per totum Ordinem celebrari obtinuit, et quod mirum est, hoc anno simul cum suo parricida commendatus fuerat his verbis: « Pro dominis Ducibus Aurelianensi et Burgundiæ specialissimis devotis nostri Ordinis, dicatur in qualibet Domo missa de B. Maria in Conventu »; quod forsan Patres ita sanxerunt ut a Deo eorum reconciliationem impetrarent.

JESU CHRISTI

ANNUS 1408.

Gregorii PP. XII	Ordin. Cartus.	Bonifacii Pr. Cart.
Ann. 2.	Ann. 325.	Ann. 7.

STEPH. MACON. AD SE VOCAT GREGORIUS XII.

I. INEUNTE anno salutis millesimo quadringentesimo octavo, Indictione prima, Gregorius summus Pontifex, adhuc Senis hærens, a Primoribus civitatis rogatus seraphicam vírginem Catharinam, eorum civem, in Cœlitum numerum asserere, nostrum Stephanum velut de illius meritis optime edoctum ad se accersendum prius censuit, ad quem propterea sequentes dedit literas : « Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Stephano de Senis, Priori generali Cartusiensis Ordinis, salutem et apostolicam benedictionem. Attendentes civitatis Senarum, in qua nunc commoramur, devotionis affectum et constantiam quam erga sanctam romanam Sedem exhibet, libenter preces admisimus, quas honesti aliquot cives et nobiles viri nobis porrexerunt, humiliter postulantes totius civitatis nomine, ut de benignitate Apostolica concederemus facultatem tractandi, et in Consistorio fratrum nostrorum sanctæ romanæ Ecclesiæ Cardinalium promovendi, canonizationem beatæ quondam virginis Catharinæ ex hac civitate oriundæ, in cujus te disciplina novimus in Domino olim educatum ; et libentiori animo cupimus quantum cum Domino poterimus huic populo in tam laudabili petitione gratificari, tum ad divinam gloriam in Sanctis ejus amplificandam, tum etiam quia in minoribus constituti, ejusdem virginis sanctam conversationem a summis Pontificibus

Vita Steph. Maconi Lib. III. c. 7.

ANNUS 1408

prædecessoribus nostris, Gregorio XI et Urbano VI, probari percepimus, nosque pariter ejus notitiam habuimus. Sed tali operi inchoando et prosequendo solito Ecclesiæ ritu, te duximus inter alios nobis adesse, qui instar multorum huic tam sancto negotio prodesse poteris. Nos ergo, motu proprio et nonnullorum etiam civium permoti precibus, tibi mandamus ut quamprimum ad nos te conferas, nosque convenias ubicumque fuerimus. Te enim, fili, videre et alloqui cupimus, quem plurimum in Domino amamus, una cum tota familia Cartusiana tuo regimini commissa, tanquam tutrice et non oppugnatrice hujus apostolicæ Sedis. Vale et veni. Datum Senis, 7 Idus Januarii, Pontificatus nostri anno secundo. »

Plures e Nostris Genuensibus vi expelluntur.

Paulo post, relictis Senis, Lucam Gregorius petiit, quem secutus Antonius de Macis, Prior tunc Montellanæ cartusiæ et ejus Chronici jam sæpe a nobis citati scriptor; cum per duos menses et ultra, ut ipse scribit, stetisset, assumptis secum tribus monachis et uno Converso cartusiæ Genuensis a Bucicaldo ejusdem civitatis pro Gallis gubernatore expulsis, iisque apud Montellum relictis, ad instantia Patrum Urbanistarum comitia perrexit. « Citatus, inquit ille de se in tertia persona loquens, ad curiam adiit, quæ tunc erat in civitate Lucana, tempore Domini Gregorii Papæ, ubi quidem paulo ante venerat pro unione tractanda Ecclesiæ, sed nihil factum est. Cum igitur ipse Prior stetisset per bimestrem et ultra, inde rediens, duxit secum tres Monachos et unum Conversum Januensis monasterii, qui fuerant a Rectore Januæ propter Papam expulsi, quibus dominus Franciscus Sandei expensas tribuit, et in adventu ipsorum nimium lætus effectus, induit eos peroptime. Et Prior ivit ad Capitulum generale » comitatus Petrino de Agazariis, dictæ Domus Genuensis Priore, etiam a Gallis ob suam in fide Gregorii servanda constantiam expulso, quem ideo Patres ad regimen Pontinianum in hoc Capitulo transtulerunt.

Capit. 20.

Urbanistarum comitia.

Ibi primum Stephanus, literis pontificis Patribus exhibitis, quid de his Diffinitores sentirent humiliter expetiit, cui

per Chartam tale datum est responsum : « Quia vidimus Apostolicam bullam in qua sanctissimus in Christo Pater ac Dominus noster Papa valde gratiose vocat ad se R. Patrem nostrum Domnum Cartusiæ; cum bona et matura deliberatione præhabita, congruum videtur quod si R. Pater noster hanc vocationem cum gratia Sedis apostolicæ non possit declinare, velut sanctæ obedientiæ filius ad eumdem se transferat tempore opportuno, auditurus et juxta possibilitatem impleturus ea quæ sibi fuerint injuncta, quod totum sanctæ ejus discretioni committimus adimplendum. » ANNUS 1408

Dubitat autor Vitæ Stephani an se ad Gregorium contulerit; at ex certa autoritate discimus eum tunc minime ad Curiam accessisse, Pontifice urgentioribus detento negotiis. Legimus enim in processu canonizationis S. Catharinæ, fratrem Thomam Antonium, Ordinis Prædicatorum nostro Stephano æqualem, inter cæteras testificationes hanc dedisse de eo loquens : « Quoniam supradictus Generalis Cartusiæ fuerat præcipuus in Domino filius virginis, et de ejusdem virtutibus facta esset relatio apud D. Papam Gregorium XII, ipse Dominus Papa misit pro Generali præfato, ut ad suam Sanctitatem deberet accedere, quod tamen iter non est aggressus, Pontifice supervenientibus occupationibus maximis distento. »

Ubi supra, cap. 8.

Process. Canonization. S. Catharinæ, c. 10.

Deinde, congregatis Patribus, obtulit Stephanus encyclicam bullam, quam exeunte anno superiori ad omnes Prælatos Ecclesiæ Gregorius miserat, qua omnibus sacerdotibus qui in Missis suis orationem pro pace vel pro Papa aut pro Ecclesia sancta Dei, juxta ipsius Ecclesiæ visum devote dixerint; et præterea universis Christi fidelibus vere pœnitentibus et confessis, qui antiphonam *Da Pacem, Domine,* cum suo versiculo et oratione *Deus a quo sancta,* vel psalmum *Exaudiat te Dominus in die tribulationis,* seu *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi,* aut *Ecce quam bonum et quam jucundum,* aut quoties septies *Pater noster* et *Ave Maria,* similiter dixerint, vel toties quoties devote jejunaverint.... singulis diebus tres annos et totidem quadragenas de injunctis eis

Orari pro bono Ecclesiæ petit S. Pontifex,

et Indulgentias orantibus concedit.

ANNUS
1408

pœnitentiis misericorditer relaxabat, usque ad reconciliatam Ecclesiam et extinctum schisma et non ulterius. »

Inde, Nostri speciales orationes instituunt pro pace.

His lectis, orationes consuetæ instituuntur pro Gregorio cujus benevolentiam erga Ordinem, ut anno superiori, Patres celebrant; et circa præfatæ bullæ promulgationem et executionem sic pronunciant : « Et propter apostolicam Indulgentiam assequendam, post Laudes et Vesperas more solito dicatur psalmus *Lætatus sum,* cum precibus assuetis et orationibus *Ecclesiæ tuæ, Deus omnium Fidelium,* et *Deus a quo,* donec unitate præfata gaudeamus. Et volumus et injungimus, ut apostolica bulla de Indulgentiis a præfato Domino nostro Papa Gregorio promulgatis, in Domo qualibet Ordinis exempletur et transcribatur, ut omnes illam attente considerare valeant, et ad orationes devotas avidius assurgant. » Statimque confirmatur ac renovatur præclara illa ordinatio, anno superiori edita, qua Stephano Generali præcipitur, ut facta unione Ecclesiæ, ad electum novum Papam se conferat; « si vero præfata unio ante festum Nativitatis B. Mariæ virginis non esset facta et publicata, » volunt ut ipse Stephanus in Domo Seizensi remaneat, futurum Capitulum ibidem more solito celebraturus. Interea ut aliquis Nostrum vir bene peritus semper apud Pontificem Romanum degeret, Antonius de Macis jam supra laudatus, e prioratu Montellano ad Lucanum transfertur, ut constat ex dispositione ejusdem Chartæ, et ex chronico Montelli, ubi ipse de hac mutatione sic loquitur : « Cum ipse Prior Domus Montelli esset in Capitulo, conventus Lucæ instantissime petivit absolutionem Prioris sui. Et quia necesse erat ut conventus exaudiretur, Prior Cartusiæ et cæteri Diffinitores decreverunt facere permutationem propter bonam causam. Unde fecerunt Priorem Domus Lucæ præfatum D. Antonium, et hujus Domus Montelli Domnum Nicolaum de Petra-Sancta quem absolverunt de præfata Domo Lucæ. »

Cap. 21.

MANTUANÆ DOMUS INITIA.

II. Idem præterea literas Domini Mantuani Capitulo reddiderat, quibus pius Princeps monachos ad novam, quam juxta suam civitatem ædificare decreverat, cartusiam incolen-

ANNUS 1408

dam sibi mitti petebat ; cujus voluntati statim Patres obtemperantes, Nicolaum Padularum Romanæ Domus Priorem et totius Ordinis anno superiori institutum Procuratorem generalem, ab utroque munere absolutum, novæ plantationi simulque Provinciæ Lombardiæ propinquioris præfecerunt per Chartam cujus hæc sunt verba : « Priori Romæ ad suam instantiam fit misericordia ab officio Prioratus et Procurationis Ordinis. Et quia magnificus Dominus Mantuanus valde seriose scripsit Capitulo generali pro construendo monasterio Ordinis, ordinamus ut sine notabili dilatione se transferat ad præsentiam ejusdem, et si viderit, singulis consideratis, quod velit manum cum effectu operi admovere, præficimus eum ibidem in Rectorem. Conceditur quod possit vocare personas Ordinis necessarias cum pace vocandorum et consensu Priorum suorum ; et ad vitandum expensas et labores, præficimus in Priorem ipsius Domus Romæ D. Stephanum, Procuratorem Domus ejusdem, quem et constituimus Procuratorem Ordinis generalem. » Et in ordine Visitatorum : « Provinciam Lombardiæ propinquioris visitabit Rector novæ plantationis Domini Mantuani cum socio Priore quem duxerit eligendum. » Hujus quoque fundationis et translationis meminit jam sæpe citatum Chronicon his verbis : « Prior (scilicet Montelli) ivit ad Capitulum generale, præcipue ad instantiam Domini Mantuani, quia per literas rogaverat eum ut instaret apud Patres Diffinitores pro receptione novæ fundationis. Nam in ipso Capitulo decretum est ut ipsa fundatio reciperetur ; factusque est D. Nicolaus de Padula venerabilis Pater Rector illius Domus fundandæ. » Ex his tum Chartæ capitularis tum Chronici verbis, quibus et adde quæ anno superiori de Nicolao Padulano et Nicolao Albergato retulimus, luce clarius liquet Garnefeltium, sive potius Bartholomæum Scalam cartusiæ Florentinæ Priorem qui ei Chartarum dispositiones quas citat suppeditavit anno 1618, perperam earumdem Chartarum verba de Albergato intellexisse, quæ solum de Nicolao Padulano loquuntur ; ac proinde Albergatum nunquam Domibus Romanæ

Procurator generalis Ordinis instituitur Rector novæ hujus plantationis.

Cap. 21.

In notis ad Vitam B. Nicolai, pag. 48.

ANNUS 1408

ac Mantuanæ præfuisse, licet id dicant omnes recentiores qui post Garnefeltium Vitam ejusdem Albergati conscripserunt.

Franciscus Gonzaga fundator,

Primus cartusiæ Mantuanæ autor fuit Franciscus Gonzaga qui, anno superiori, consilium suum per literas nostro Stephano Senensi aperuerat, sed cum responso nondum accepto mortuus esset, res tunc effectu caruit, cujus tamen bonam voluntatem remunerandam Patres censuerunt tali elogio et beneficio : « Obiit Dominus Mantuanus, qui erat Ordini valde favorabilis et devotus, et pro monasterio construendo Priori Cartusiæ cum instantia multa scripserat, habens tricenarium defunctorum, etc. » Verum quod ille vivens monasterium inchoare non potuerat, moriens scriptis testamenti tabulis, jussit quam citius construeretur. Quamobrem Joannes Franciscus, filius ejus et hæres, non tam ut paternæ morem gereret jussioni, quam sponte sua, utpote erga Cartusienses propensissimus, hoc præsenti anno opus aggressus, templum sub invocatione Sanctæ Trinitatis ædificare cœpit, quod spatio unius anni, cum majori cæterorum ædificiorum parte absolvit. Unde per Chartam anni sequentis defuncto patri amplius beneficium concessum est, ejus obitu iterum sub his verbis denuntiato. « Obiit magnificus Dominus Mantuensis, Ordini devotissimus, qui monasterium Ordinis juxta eamdem civitatem construi ordinavit, habens plenum monachatum, etc. » Vir fuerat præclarus atque magnanimus et sapiens, qui sua prudentia et generoso animo suum statum periclitantem ingenti virtute ex maximis eripuit periculis, tandemque post innumera præclarissima facinora a se gesta, senio confectus e vita concessit, die nona Martis ut habetur in ista Charta, vel præcedenti ut legitur apud scriptores *Historiæ Gonzagarum*. Sita est hæc Domus extra Mantuam, ad tertium lapidem sub oram lacus Mincii. Ejus dos et ædificia septennii spatio perfecta sunt munificentia Joannis Francisci Mantuæ domini, ad cujus petitionem propterea nostro Ordini penitus adscripta est his verbis : « Ad honorem Sanctissimæ Trinitatis, et ad instantiam magnifici Domini Man-

ejusque filius Joannes Franciscus.

Ant. Possev. Hist. Gonzag. Lib. V.

Domus Ordini adscribitur.

tuani qui omnia quæ promisit abundanter adimplevit, plantationem prope Mantuam in nomine Domini Ordini nostro incorporamus, volumusque ut Domus sanctæ Trinitatis nuncupetur. Et præficimus in Priorem D. Ludovicum nuper absolutum a Domo Mediolani, ad consolationem et ad ædificationem ejusdem magnifici Domini. » Vir fuit ille præstantissimus suosque antecessores felicitate, prudentia et divitiis præcelluit. A Sigismundo Cæsare, Mantuæ existente, marchionalem dignitatem, additis Imperii signis, obtinuit ; multis tandem pugnis et victoriis clarus, moritur anno 1444. Et sequenti anno ejus obitus sic per totum Ordinem promulgatur : « Obiit illustrissimus Princeps et dominus singularis, dominus Joannes Franciscus, marchio Mantuæ, fundator Domus SS. Trinitatis prope Mantuam, qui habet plenum monachatum, etc., sub die 24 Septembris. » Paulam Malatestam duxerat uxorem, quæ etiam nomen fundatricis meruit in Charta capitulari anni 1455 cum beneficio tricenarii defunctorum. Eam tamen tribus ante annis obiisse vult Rittershusius. Omnes nostri fundatoris successores Cartusienses dilexerunt, ut colligimus ex beneficiis quibus singulis annis donabantur, ut suis locis videbimus.

Naucler. ad ann. 1431.

Benefactores.

Ex benefactoribus et amicis hujus Domus hos in Chartis reperimus : Joannem de Lemago [a] sacerdotem, Elizabeth de Torculis, et alteram Elizabeth de Ypolitis, qui tres eodem anno denunciantur ; Bernardinum [b] episcopum Lamacensem, suffraganeum civitatis Mantuæ ; et Antonium de Mantellis [c].

[a] Ex Charta 1472.
[b] Ex Charta 1514.
[c] Ex Charta 1610.

AD CLEMENTINOS GENUENSES CARTUSIANI DEFLECTUNT.

III. Narratis fuse quæ nostri Urbanistæ in suis hujus anni comitiis egerunt, ad Clementinos nunc præstat orationem convertere. Ad eos exeunte anno superiori, ab Urbanistis deflexerant conventuales, aut saltem pars aliqua conventualium Domorum Casularum et Genuæ, devicti suasionibus suorum Priorum, videlicet Antonii Zerbini a Casulanis anno superiori electi, et Dominici Bonæfidei, a Bonifacio Cartusiæ Majoris Priore, post Petrini de Agazariis expulsionem, Genuensibus præfecti. Hos secuti sunt præsenti anno con-

ANNUS 1408

ventus Vallis Pisii et Montis S. Petri, ad hanc mutationem moti præcipue exemplo Cardinalium Romanorum, qui a Gregorio deficientes, Pisas circa id temporis se receperunt. Neque meliori modo res Benedicti se habebant. Sensim enim, sui etiam Cardinales dilabebantur; Rexque Galliæ se suumque regnum ab utriusque Pontificis obedientia, ni intra Ascensionem Domini reconciliarentur, subtrahere decreverat. At Benedictus, timens ne Cartusienses tandem veritate detecta, ab eo sicut cæteri deficerent, eorum simplicem pietatem inanibus promissis adhuc producere tentavit, scriptis iterum ad instantia comitia literis plenis dolo et simulatione, ut facile ex Charta capitulari percipere est, quæ illarum epitomen videtur referre dum imperat : « Pro Domino nostro summo Pontifice Benedicto XIII, qui multipliciter attritus et afflictus de dilatione et impedimentis unionis Ecclesiæ Dei, quam affectuosissime non sine grandi labore et periculo prosequitur, et pro qua per bullam in qua devote deplorat statum Ecclesiæ Dei, humiliter Capitulo generali orandum scripsit; quique Indulgentias in Hebdomada sancta per eum dari consuetas Capitulo misericorditer indulsit, seque toti Ordini benignum et benevolum offert, et ulterius misit eleemosynam consuetam, fiat, etc., » ut annis superioribus. Deinde Bucicaldus Genuæ gubernator, Benedicti amicus, ad ejus forte petitionem, commendatur his verbis : « Pro domino Bouciquaudo gubernatore Genuæ, Ordini devoto, fautore et defensore domini nostri Papæ et ejus Collegii in periculis tractatus unionis instantis, et qui in eadem ferventer ad honorem Dei laboravit, fiat in qualibet Domo Ordinis unum tricenarium Spiritus Sancti. » Et inter mortuos ejusdem Chartæ denunciatur : « Illustris domina Constantia, uxor domini Gaufredi Bouciquaudi, domini de Borbonio, » fratris scilicet ejusdem Gubernatoris.

Ad Capitulum generale scribit Benedictus XIII.

Bucicaldus precibus Ordinis commendatur.

Plenus monachatus Rev. Patri Cartusiæ conceditur

In his comitiis Diffinitores, quasi præsentientes suum Generalem Bonifacium brevi eis auferendum, plenum ei monachatum, post obitum ejus persolvendum concesserunt, in gratiam laborum quos in regimine Ordinis hactenus susti-

nuerat; idemque beneficium deinceps ad omnes illius successores extendendum sanxerunt tali decreto : « Ordinamus Reverendum Patrem nostrum Domnum Cartusiæ, qui nunc est et qui pro tempore fuerit, ad consolationem sarcinæ et laborum quos pro universo gerit Ordine, habere præsenti ordinatione, absque alia speciali concessione, monachatum plenum cum psalteriis per totum Ordinem. Ideo audito ejus obitu persolvatur debitum absque alia monitione vel denuntiatione. »

ANNUS 1408

Ordinationes Capitulares Clementinorum.

Ipse vero antequam abiret, forsan enim jam a Benedicto mandatum ad eum se conferendi acceperat, majora quam hactenus præbuerat sui circa observantias studii indicia volens relinquere, sequentes ordinationes Statutis præcedentibus addendas suggessit :

1. « In Domibus Monachorum non sit Vicarius, Correrius vel Sacrista, nisi sit ipsius Domus professus.

2. « Nulla Domus faciat vel permittat promoveri ad aliquos Ordines sacros vel non sacros aliquem non professum suum ; qui contra fecerit graviter puniatur, et ordinatus ipso facto pro professo illius Domus in qua Ordines receperit, habeatur.

3. « Ad reprimendum inanes favores et adulationes multorum qui impetrant et offerunt participationes Ordinis eis qui non requirunt, cum ex hoc sequatur contemptus hujusmodi spiritualis beneficii quod cum humili debet devotione requiri ; ordinamus ut quæcumque persona Ordinis quæ non requisita, vel etiam requisita, causam dans hujusmodi participationes impetrandi, faciat : Monachi, tres abstinentias præter ab Ordine constitutas ; Priores vero dicant quinquaginta psalmos ; et super hoc nullus possit, præter Domnum Cartusiæ vel Capitulum generale, dispensare.

4. « Quando feria tertia, quinta vel sabbato evenit abstinentia, declaramus quod die præcedenti ex debito non debetur pitantia, et si detur, hoc sit de gratia.

Statutum pro Tricenario et Officiis mortuorum.

5. « Statutum novum loquens quod ubi non sunt sex sacerdotes, pro tricenario quilibet sacerdos dicat duas Mis-

ANNUS 1408

sas, si bene consideretur nimis est onerosum nec æqualiter dividens onera; nam in magnis Domibus sacerdotes non dicunt, excepta Missa currenti, nisi quod dicitur in Conventu: ideo sufficit quod in prædictis Domibus ubi non sunt sex sacerdotes, dicantur pro quolibet tricenario in conventu vel extra, cum cantu (si consueverunt) vel sine cantu, duæ Missæ, nec ad amplius nolentes teneantur; quod etiam intelligitur de tricenariis pro vivis, in quibus, si necessarium fuerit, residuum volumus suppleri de aliis bonis spiritualibus illarum Domorum vel Ordinis. » Hanc ordinationem et quæ circa modum persolvendi defunctorum Officia sequuntur, sapientissime edita fuisse omnes intelligent, qui norunt quantum ex continua hujusmodi Officiorum recitatione juniores Monachi fatigantur.

De modo solvendi quædam Officia Defunct. mitigato.

6. « Ubicumque non celebrantibus Novitiis vel aliis injungitur psalterium dicendum, ne nimium gravati totum ex fatigatione dimittant (sicut sæpe repertum est), sufficiant, si amplius noluerint dicere, viginti psalmi. Et pro omnibus tricenariis defunctorum Capituli generalis, quolibet anno dicant unum psalterium, nec ad aliud teneantur, cum in omnibus tricenariis serviant in Conventu, sicut alii monachi, excepta Missæ celebratione; et hoc extendimus ad præterita omissa, excepto monachatu vel alia prece pro persona Ordinis : nam tunc, quia vicem æqualem recipere possunt, integre dicant illa.

7. « Conversi autem pro quolibet tricenario vel alio Officio vivorum vel defunctorum Capituli generalis sint contenti quinquaginta *Pater noster*, a quo excipiuntur eadem ratione monachatus, tricenarium et suffragia personarum Ordinis.

Circa Anniversariorum inscriptionem.

8. « Quandocumque per Capitulum generale intimabitur scribendum aliquod Anniversarium, vel aliud beneficium perpetuum in Calendariis Domorum, vel aliis locis similibus, nisi expresse dicantur hæc verba, « scribantur in die suo proprio, » possent eum scribere vel annotare cum primo associato ; paucos enim dies vacantes habent Domus antiquæ, et multa talia beneficia sunt hactenus concessa forsitan

per importunitatem, nec ex hoc ipsorum defunctorum suffragia defraudantur.

ANNUS
1408

9. « Concedimus quod qui voluerint, possint duo tricenaria personarum quæ non sunt de nostro Ordine simul celebrare, dicendo in Agenda et Missa primam orationem in plurali, quæ secundum nostra Statuta talium convenit statui personarum. Ex hac enim Domus multitudine tricenariorum (quorum concessio quandoque sine scandalo vitari non potest) gravatæ in aliquo relevantur, et defunctorum animæ Ordinis suffragiis ex abundantia Divinæ misericordiæ non fraudantur.

De faciliori tricenariorum solutione.

10. « Quia diversitas in libris Ordinis reperitur in scribendo Ezechiel et Iezechiel, Esaias et Isaias, emendetur in libris, ac scribatur ubique Ezechiel et Isaias, et secundum hoc etiam pronuntietur; et ulterius in omni lectura quæ fit per elevatum et circumflexum, fiat ante versum elevatio et non circumflexus.

De modo cantandi quædam puncta.

11. « Cum status Ordinis nostri primævis temporibus magis eremiticus exstiterit, ideo juxta Statuta Guigonis raro Missa erat, et rasura tantum sexies fiebat in anno; succedentibusque temporibus, Ordine pro majori parte in statum monasticum dilatato, fuerit rasura in singulis Kalendis mensium ampliata, de qua ampliatione non contenti qui circa civitates ac majores villas suas habent Domos situatas, maxime Priores et Procuratores negotia tractantes coram Prælatis et Principibus, sibi particulares licentias impetrant radendi ultra rasuram ab Ordine taxatam, ex quo deformitas, quam Ordo abhorret, sequitur in choro et sæpius inter personas non consimiliter licentiatas in foro : ideo tam pro uniformitate conservanda quam pro decentia habitus clericalis, quæ ita consistit in tonsura sicut in habitu secundum canonica jura, quam pro vitando horrore et irreverentia, ut pili barbæ interveniantur in pretiosissimo Christi Sanguine cum sumitur in calice, quod vitari barba crescente est impossibile : volumus et ordinamus quod rasura amodo possit fieri bis in mense, expectando vel anticipando pro reverentia occurrentis festivitatis. »

Ut rasura fiat bis in mense,

et quare.

ANNUS 1408

Denique per eamdem Chartam, Prioribus Domorum Astensis et Genuensis quem diximus Benedicti partes ab anno tantum superiori secutum fuisse, « plena conceditur potestas dispensandi cum personis Ordinis in casibus Sedi apostolicæ reservatis, et pariter reconciliandi personas alterius obedientiæ. »

TRIA CELEBRANTUR CONCILIA,

Vita ms. Bonif. Ferrer. §. 12.

IV. « Per id tempus, inquit autor Vitæ nostri Bonifacii, quidam Cardinales de obedientia Benedicti et alii ex obedientia Gregorii, videntes (ut ipsi judicabant) ambos Papas negligentes esse in procuranda unitate Ecclesiæ, decreverunt congregare unum Concilium ut si opus esset absolverentur ambo a papatu, et deinde unum novum eligerent. Sicut cogitaverunt, ita et opere perfecerunt ; nam profecti in civitatem Pisanam, ibi Concilium fecerunt. Sed uterque Papa illud contempsit atque derisit, quandoquidem sine autoritate Papæ nemo habet potestatem Concilium congregandi, alioquin conciliabulum potius quam concilium vocandum erit. Nihilominus ut viderent quid agendum erat ad pacem consequendam, quilibet eorum designavit locum aptum in sua obedientia pro Concilio celebrando. Benedictus scilicet in villa Perpiniani principatus Cataloniæ, ubi convenerunt novem Cardinales et centum et viginti Episcopi ex Francia, Hispania, Comitatibus Almenachi, Foxi, Sabaudiæ et Lorenæ (Prælati vero regni Escotiæ jam tarde pervenerunt) ; Gregorius vero nominavit locum idoneum in civitate Capodistriæ provinciæ Venetanæ, tametsi perpauci prælati eo venerunt. Et ita factum est rarum quid et inusitatum, ut uno tempore tria Concilia celebrarentur, videlicet Pisii, Perpiniani et Capodistriæ. »

Pisii, Perpiniani, et Capodistriæ.

Bonifacius noster ad Concilium Perpinianense vocatur.

Mense Junio, e Portu-Veneris, repentina fuga, in Galliam Provinciam Benedictus, cui semper adhærebat noster Franciscus Aranda, celerem reditum direxerat; sed paulo post cum nec ibi tuto posset demorari timens a Gallis detineri, ad præfatam urbem Perpinianum ineunte Augusto se transtulit, Concilium suum, ut dictum est, ibidem Calendis Novembris aperturus. Inter hæc, per nuncium specialem nostro

Bonifacio jusserat ad se quantocius venire. « Non modicam tristitiam, pergit citatus autor, et afflictionem attulit devoto Patri hujusmodi mandatum Papæ. » Quas enim Patrum traditiones et Statuta, vir Instituti Cartusiensis tenacissimus observator, ab aliis rigide salva et intacta præstari curaverat, nolens ipse violare, tantum quantum potuit per suas literas apud Benedictum nisus est ut e Cartusia non egrederetur. Sed quas protulit suæ stabilitatis excusationes, nihil apud eum valuere, ut candide narrat autor Chronici Cartusiæ his verbis : « Dominus Benedictus vocavit ad se Domnum Bonifacium Priorem Cartusiæ : intendebat enim eum mittere ad comparendum pro se in dicto Concilio (Pisano). Et cum dictus Prior Cartusiæ se excusaret, super hoc allegans Statutum Ordinis quo non licebat sibi eremi suæ terminos egredi, et quod ex hac transgressione inferret scandalum Domui suæ ac toti Ordini ; dictus Dominus Papa ejus excusationem non admittens, per bullam suam et sub præcepto iterum ei mandavit expresse quatenus, cessantibus excusationibus quibuscumque omnibusque dimissis, quam citius ad ipsum properaret. Et insuper misit ei equitaturam et alia necessaria pro expensis in via, ne pro defectu hujusmodi aliam sibi formaret excusationem. Videns autem dictus Prior sic se arctari, tanquam compulsus dictum Dominum Benedictum adiit. » His prorsus similia ipse Bonifacius narrat in suo quem de schismate scripsit Tractatu, sic dicens : « Dominus Benedictus convocavit Concilium generale in villa Perpiniani, ad quod vocavit per bullam specialem in virtute sanctæ obedientiæ Priorem Cartusiæ nomine totius Ordinis, qui tam propter imminentia pericula et viarum discrimina, quam propter observantiam Ordinis et alias causas, excusavit se, rescribens per famulum specialem, multis rationibus allegatis ; quibus et dicta excusatione repulsis, iterum habuit in mandatis de eundo, cui obtemperavit videns quod sine Dei offenso non poterat excusari. »

ANNUS 1408

Zurita. Lib. III. ad ann. 1408.

Chronicon ms. Cartus. cap. 25.

Frustra se excusare tentat.

Inter alias causas quas Benedicto tacuit noster Bonifacius, impedientes eum quominus relicta grege Perpinianum se

Decretis Pisanis stare decreverat.

ANNUS 1408

transferret, hanc fuisse præcipuam censeo, quod cum Primariis tum suæ obedientiæ tum Urbanistarum Patribus, statuerat penitus standum decretis futuri Concilii Pisani, ad quod nomine Ordinis jam legati erant Joannes de Griffomonte Parisiensis, et Joannes Tirellus Fontis B. Mariæ Priores ac provinciæ Franciæ Visitatores. Verum Pontifici absolute imperanti obediendum fuit. « Ivit igitur egressus e Cartusia sub finem mensis Septembris (sunt verba Vitæ illius) et venit Perpinianum : de ejus adventu lætatus est non solum Papa, sed et cæteri Prælati, propter experimentum magnum quod de ejus prudentia et dexteritate in negotiis tractandis habebant ; et non solum qui Perpiniani residebant, sed et multi qui Pisis erant congregati, magnam spem conceperant, quod per ejus ac fratris sui Magistri Vincentii interventionem, ita res disponendas esse ut optata pax Ecclesiæ consequeretur. » Sed de his anno sequenti.

HENRICUS CALKAR PIE MORITUR.

V. Obiit hoc anno in Domo Coloniæ venerandus senex Henricus Egher de Calkar, ætate octogenarius, de quo multa alibi diximus, quibus patet eum fuisse virum doctum ac pium. Ejus obitus signatur in Charta anni sequentis his verbis : « Obiit Domnus Henricus Calkar monachus et sacerdos Domus Coloniæ, habens monachatum, et tricenarium sibi specialiter reservatum, in vigilia B. Thomæ scribatur cum sequenti Anniversario. » Hunc Wernerus Laerius sanctum Patrem appellat, « quem, inquit, nunc habemus in cœlis pium advocatum et patronum singularem. » Illud sane accidit ad hujus piissimi Patris laudes, quod ipsius natalem sive obitus diem Petrus Canisius Germanico suo martyrologio inserere non dubitarit, utpote eximiæ sanctitatis viri ac monachi absolutissimi. Illius præterea laudes celebrarunt Trithemius, Guillelmus Eisengrein in Catalogo, Bostius, Bzovius et plures alii, præter Ordinis scriptores apud quos magnis laudibus merito effertur. Quidam ejus obitum ad quadragesimum octavum hujus sæculi protrahunt annum, ex errore typographico qui librariorum incuria irrepsit in notas Petrei ad Chronicon Dorlandi. Porro ad catalogum librorum quos

recensuit Petreius adjici poterunt tractatulus ad Ricoldum monachum cartusiæ Leodiensis Ordinis munera recusantem, et Commentariolum in Decretum Gratiani et Decretales. Uterque tractatus asservabatur in bibliotheca Montis Dei, sed alio in dispersione ejusdem bibliothecæ translatus fuit.

ANNUS 1408

Item: Robertus Palmer, Londoniensis,

Eodem etiam tempore, in extrema senectute feliciter decessit Robertus Palmer professus cartusiæ Londoniensis in Anglia, et præcipuus Domus Coventriensis autor, quam per annos viginti septem cum magno status spiritualis proventu gubernavit ; provinciam quoque Anglicanam annis quatuor regendam suscepit. Hoc munus præ solitudinis amore abdicavit. Sed in prioratu a quo etiam sæpius absolvi petierat infirmitates causatus, ad mortem usque perseverare coactus est. Suis adhortationibus conversionem famosi wicleffitæ Nicolai Erfordiæ multum promovit, quem tandem habitu Ordinis induit ; de utroque plura alibi diximus.

Ex Chartis 1396 et seqq.

Marcus Kreutzer Buxiæ monachus,

Hoc pariter anno e vivis excessisse creditur Marcus Kreutzer, cartusiæ Buxianæ in Germania inferiori alumnus, qui scripsisse dicitur *Collationes capitulares,* quales certis quibusdam solemnitatum diebus Ordo Cartusiensis palam in Capitulo concionis loco recitat ; suntque ut fertur in-quarto, nec unquam in lucem prodierunt.

Ægidius, Conversus Capellæ.

His addi potest Ægidius (qui et Raso dictus est) de Florbeke, quondam in sæculo miles potens et dives, qui vivente et consentiente uxore, humilem Conversi statum in Domo Capellæ prope Angiam, cujus magnus extiterat benefactor, complexus, vitam austeram ad mortem usque exegit ; cujus memoria, ne periret, talis inscriptio ejus tumulo affixa est : « Hic jacet F. Raso de Florbeke, olim miles in sæculo et postea Conversus in hac Domo, qui mortuus est anno 1408, die 24 Octobris. » Diu post eum vixit uxor ejus, quæ mariti sequens exemplum, multa bona eidem Domui largita est, factaque Beguina in senectute bona decessit ; cujus obitus in nostris Chartis reperitur sub his verbis : « Obiit domina Margareta de Hovis, uxor quondam domini Rasonis de Florbeke militis, postea Conversi Domus Capellæ. »

Ex Charta 1430.

ANNUS
1408

Item plures amici tum Urbanistarum

Ex amicis Ordinis recensentur in Charta Patrum Urbanistarum : « R. P. D. Simon de Saltarellis, episcopus Tergestinus, habens tricenarium. » Erat Ordinis Prædicatorum et nostri Stephani Maconi amicus. « Dominus Matthæus de Senis, Ordinis semper devotissimus fautor. » Et in margine ejusdem Chartæ, alia manu additum legitur : Hic Matthæus fuit intimus et singularis amicus B. Catharinæ de Senis et Domni Stephani Generalis. De eo fit mentio in Vita ejusdem Stephani, ubi cognominatur Cennis Fatii, et dicitur eques, atque domus Hospitalis Senensis, cui a Misericordia nomen erat, Rector, ac seraphicæ virginis spiritualis alumnus.

Vita Steph. Macon. Lib. II, cap. 7,

Egregia matrona domina Margareta, uxor domini Francisci Sandei de Venetiis nostri magnifici benefactoris, quæ obiit die 19 Novembris (anno videlicet superiori) habens tricenarium, et perpetuum Anniversarium jungendum cum proximo subsequenti. De Francisco jam quædam superioribus annis diximus, de quo et postea non semel dicendum occurret.

tum Clementinorum.

In Charta Clementinorum signantur « Dominus Petrus Gallini, sacerdos Regis Arragoniæ ; et illustris domina Maria de Bolonia, domina de S. Justo. » Hæc fuit Roberti Boloniæ et Arverniæ comitis, cartusiæ prope Monstrolium fundatoris neptis, et Joannis hujus nominis I, eorumdem Comitatuum hæredis, filia ; ipsa Raymundo Turenæ vicecomiti, Gregorii XI Papæ ex fratre nepoti, nupserat. De ea narrat noster Stephanus Maconus, quod Avenione S. Catharinam Senensem in extasi positam videns, « cogitavit quod virgo simularet : ideo post Missam ostendit ex devotione faciem suam superponere pedibus virginis, et eam pluribus vicibus in pedibus acerrime acu perforavit ; ipsa vero stetit immobilis quemadmodum ita stetisset, etiamsi pedes abscidisset. » Sed tunc temporis, ut idem Stephanus ait, erat hæc « uxor nepotis Papæ juvencula et vanitate plena. » Quæ cum ætate facta maturior, peccati haud dubio pœnituit, quod etiam sterilitate luisse non absurde conjiciunt docti Bollandiani.

Epist. Steph. Maconi, de gestis S. Catharin. apud Bolland.

J. HUSS PRÆDICARE CŒPIT,

VI. Cœpit hoc anno Joannes Huss populum Pragensem vesana impii Wicleffi doctrina inficere. In quem Sbineo,

tunc temporis Pragensis Ecclesiæ archiepiscopus, vir doctrina et pietate insignis, ac nostrorum suæ civitatis Cartusiensium amans, sancte commotus, et libros pessimæ doctrinæ accurate conquisitos publice concremari jussit, et ipsum Hussum Praga ejecit. Sed nihilominus invalescente hæresi ob Wenceslai regis socordiam, dum Sbineo promissum a Sigismundo Hungariæ rege auxilium expectat, a servo veneno perfide infectus interiit, vita longiori dignus, nec indignus (ut incaute apud Miræum legitur) qui locum inter Pontifices habeat. Nostri quoque Pragenses, antiquorum anachoretarum exemplo, nascenti malo sese ut murum opposuerunt. « Cum enim, inquit Balbinus, primum Hussus hæresiarcha signum dedisset adversus Catholicam Ecclesiam, ad primum buccinæ illius aut potius anseris clangorem, non Archiepiscopus Pragensis solum et metropolitanæ ecclesiæ Canonici, sed ipsi religiosi Ordines per Bohemiam ex adverso magnis animis pro veteri religione tuenda surrexere. Ex his duorum præcipue Ordinum Cartusienses et Prædicatorii ardentissima pro religione studia commendantur, prædicatque Dubravius Olmucensis episcopus. Cartusienses certe periculo animadverso, ex sacra sua solitudine (ut olim magnus Antonius hæresi Ecclesiam premente) in medium progressi, non modo libris editis et disputationibus susceptis restitere, sed etiam ut indicat idem Dubravius, actionem et accusationem adversus hæresiarcham ordinavere ; quo magis et capitalius in se hæreticorum odium concitaverunt, cum hæresis ultionis et vindictæ avidissima semper, nihil cupiat magis quam eos qui restiterint, perire. Tantumque fuit odium ac verius rabies, ut cum alia cœnobia quæ deleverant, ex acervis saxorum et lapidum saltem conjiciamus stetisse, in Cartusiensium duobus cœnobiis apud nos non lapis ac ne vestigium quidem ullum superest : ablatis cum pulvisculo, ut Plauto dicam, monumentis omnibus. » Duobus his cœnobiis intelligit Balbinus cartusiam Pragensem et Rubi B. Mariæ prope Litosmilium, quam putat stetisse usque ad Orphanorum tempora. Sed de his fusius suis locis dicemus.

ANNUS 1408

Æneas Sylvius, Histor. Bohem. c. 25.

De Rebus Bohem. c. 7.

cui resistunt maxime Pragenses Cartusiani.

JESU CHRISTI

ANNUS 1409.

Gregorii PP. XII Ann. 3.	Ordin. Cartus. Ann. 326.	Bonifacii Pr. Cart. Ann. 8.

CARDINALIS ALBANENS. AD NOSTRUM BONIFACIUM SCRIBIT,

I. ANNUS sequitur millesimus quadringentesimus nonus, secunda Indictione, quo dum Pisas ad Concilium die 25 mensis Martii inchoandum, ex omnibus regnis et provinciis confluunt Præsules et Doctores ac omnium statuum legati, Nicolaus Brancasius, cardinalis episcopus Albanensis, sciens nostrum Bonifacium a Benedicto Perpinianum evocatum fuisse, ad eum velut quem noverat et apud Benedicti animum aliquid ponderis habere ac magno pacis Ecclesiæ promovendæ studio ardere, sequentem dedit epistolam, qua eum hortatur ad desideratam unitatem et suis ac fratris sui Vincentii orationibus et industria procurandam, monetque cæteros Cardinales, Pisis tunc degentes, ad tam bonum opus celerius perficiendum, etiam capitis sui periculo paratos esse. Extat hujus epistolæ exemplum in ejus Vita, ut sequitur : « Reverendo ac religioso Patri Domino Cartusiæ, amico nostro carissimo. Reverende ac religiose Pater, amiceque carissime. Audivi vos nuper ivisse Perpinianum ad Dominum nostrum Papam, quod cordi meo magnum gaudium attulit, æstimans et confidens in Domino præsentiam vestram ibi fore plurimum fructuosam. Et quia istius tam longæ tribulationis, attenta bona dispositione totius cleri et populi Christiani, sedationis via divinitus videtur aperta ; vos quem experientia probata scio a certo extirpandi schismatis et unitatis Eccle-

Vita ms. Bon. Ferr. §. 12.

unitatis et pacis Ecclesiæ causa.

siæ fervidum zelatorem, ex abundanti cum sciam vos non indigere calcaribus, humiliter requiro et hortor, ut hoc sanctum piumque Dei negotium nullo modo velitis imperfectum dimittere, sed vestra familiari consuetudine apud divinam misericordiam devotis orationibus, et apud Dominum nostrum efficacibus rationibus et persuasionibus, ut vestræ circumspectæ prudentiæ fiendum videbitur, instare velitis, ut tam præparata materia diabolica arte et diversis astuciis non ruat incassum. Certificans vos quod Dominos nostros hic stantes, usque ad mortem invenietis paratos pro tam sancti operis complemento firmos, accensosque in hujusmodi prosecutione negotii. Et licet sciam me vestras literas non mereri, tamen si ultra meritum mihi dignamini scribere, beatum me existimabo. Excusa me si Domino nostro non scribo, quia scio quod aliorsum recipit verba mea. Recommendo me intercessionibus et Deo acceptis suffragiis vestræ benevolæ charitatis. Saluta ex mea parte fratrem Vincentium germanum vestrum, amicum meum carissimum, cum quo utinam possem habere colloquium de præsenti. Conservet vos Altissimus ad ejus sanctum servitium feliciter et longæve. Scriptum Pisis die penultima mensis Januarii 1409. »

LEGATOS PISAS MITTIT BENEDICTUS XIII.

Labbe. Concil. tom. XI. Conciliabul. Arragon.

Inter quos, R. P. Bonifac. Ferrer.

Ughelli, Ital. Sacr. in Episcop. Senens. Ep. 58.

Wadding. Annal. ad ann. 1409.

II. Duobus fere post datam epistolam mensibus, die videlicet 27 Martii, in sessione XIV Concilii Perpinianensis, Benedictus septem legatos Pisas mittit qui perscrutentur quibus conditionibus res ad concordiæ pactionem deduci possint. Ad spem obtinendæ rei, gravissimi viri deliguntur; Petrus Zagarriga, archiepiscopus Tarraconensis; Seguntinus, Mimatensis et Senensis Episcopi; Bonifacius noster, Prior Cæsaraugustanus et Minister provinciæ Galleciæ Ordinis Minorum. Sed Tarraconensi, ut Benedicti nomine ad Francorum Regem legationem obiret in Catalonia remanente, Bonifacius cum reliquis oratoribus Nemausi ab ejusdem Regis Franciæ ministris per aliquod tempus detinetur; dimissus vero, Pisas cum aliis Nunciis perrexit, sed male est ibidem habitus, ut mox inferius dicturi sumus. Interea, die 5 Maii et sequentibus, celebrantur comitia nostri Ordinis

ANNUS 1409

generalia tum apud Cartusiam Majorem licet absente suo Ministro generali, tum apud Domum Seizensem. Cumque literis ultro citroque scriptis, Patres utriusque partis convenissent, statim post electionem novi Papæ in Concilio Pisano factam, totum Ordinem in pristinam concordiam revocare ac recens electo Pontifici subjicere : nec de Gregorio Urbanistæ, nec de Benedicto Clementini ullam fecere mentionem, sed utrinque, omisso in Charta articulo quo solebant preces pro suo Papa indicere, orationes generaliter pro Ecclesiæ reconciliatione præcipiunt.

Utriusque Capituli generalis decretum pro unione Ordinis.

Sic autem habet Charta Majoris Cartusiæ : « Pro statu, unitate ac reformatione universalis Ecclesiæ Dei, quæ præ cladibus indurati schismatis, dissentionibusque et guerris temporalium invicem collidentium Dominorum longævis, fuit et adhuc, proh dolor ! est in sua pace turbata, et gloria conculcata ac spoliata, fiant in qualibet Domo Ordinis duo tricenaria de Spiritu Sancto : et omnes celebrantes dicant singuli duas Missas, unam de Spiritu Sancto et alteram de gloriosissima Virgine Maria ; non celebrantes bis septem psalmos cum Litania, Laici 150 *Pater noster* et *Ave Maria* ultra illa ad quæ tenentur singuli pro tricenario de Spiritu Sancto. Et nihilominus fiant suffragia alias ordinata. Et quilibet secundum gratiam sibi datam jugiter, devote et attentius fundat preces et gemitus pro præmissis. » At Patres Urbanistæ, quibus merito præcipua laus conciliati citius Ordinis debetur, sui Generalis Stephani (quem zelus Domus Domini comedebat) exemplo animati, præclaram ordinationem, pietate, humilitate ac prudentia plenam edidere qua non solum preces imperant pro Ecclesiæ et Ordinis nostri utilitate, sed modum saluberrimum ac promovendæ huic Nostrorum reconciliationi aptissimum suggerunt in hæc verba plane consolationem stillantia : « Quia, proh dolor ! nostris peccatis exigentibus, magna in Ecclesia Dei surrexit tribulatio, de cujus sedatione necdum quicquam certi nos percepisse multum dolemus ; et licet multum speremus in proximo fore consolationem nostram, timemus tamen, nisi amicorum

De modo Ordinem in unum coadunandi.

Dei interveniat oratio, majorem nobis scissuram, necnon tribulationem super tribulationem imminere. Obsecramus igitur in visceribus Jesu Christi omnes personas Ordinis nostri, quatenus Patrem misericordiarum et Deum totius consolationis fideliter exorent, ut is cujus Spiritu totum corpus Ecclesiæ sanctificatur et regitur, omnes Prælatos ecclesiasticos, necnon Principes sæculares, quorum interest laborare pro Ecclesiæ Sanctæ unitate et pace, per Spiritum Sanctum quem cordibus Fidelium infudit, regat et dirigat, ut et nos in brevi de ejusdem Sancti Spiritus mereamur consolatione et de S. Ecclesiæ unitate gaudere. Et ob hoc, in qualibet Domo Ordinis duo tricenaria de Spiritu Sancto imponantur. Cum autem non solum S. Ecclesiæ, sed etiam sancti Ordinis nostri affectuosissime desideremus unionem, ordinamus, quod audita et promulgata unione Ecclesiæ, Reverendus Pater noster Domnus Cartusiæ, sine notabili mora se disponat, et ad Domum Montis B. Mariæ prope Argentinam nostri Ordinis accedat; convocatis ibidem Prioribus Ordinis nostri, quos idem Reverendus Pater noster duxerit advocandos, cum quibus celebrare possit secundum Statuta nostra Capitulum privatum. Ad quem locum etiam, si videbitur, aliqui de Patribus alterius obedientiæ, qui ad hoc sicut et nos affectuose videntur inclinati, convocentur. Ibique Spiritu Sancto invocato, tractetur de sancti Ordinis nostri pacifica unione. Et quidquid ibi Reverendissimus Pater noster cum cæteris Patribus de hac materia concluserit, per totam obedientiam nostram roboris volumus habere firmitatem. Quod si supradictum Capitulum privatum, et Domnus Cartusiæ remaneret in loco ubi nunc est (nempe in Domo Seizensi), tunc eligimus Priores Domorum in Gyrio, Vallis-jocosæ, Vallis Omnium Sanctorum et Montelli, qui si et quando necessitas requireret, possint cum Priore Cartusiæ Capitulum privatum celebrare..., » et cætera quæ singulis annis solebant in Charta apponi, ut alibi monuimus.

Capitulum privatum indicitur in Domo de Argentina, ad unionem promovendam

Quam bene quamque feliciter juxta Patrum desiderium hujusmodi ordinatio successerit, videbimus anno sequenti.

ANNUS 1409

LEGATI ORDINIS PISAS MISSI.

videlicet : J. de Griffomonte, et J. Tirelli,

III. Dum hæc ita sapienter in utroque Capitulo generali disponebantur, Concilium Pisanum utriusque Pontificis abdicationem et unici ac veri sancti Petri Vicarii electionem viis omnibus accelerabat. Huic aderant nomine Ordinis, ut jam anno superiori diximus, Joannes de Griffomonte, Vallis Viridis, et Joannes Tirellus, Fontis B. Mariæ, Priores ac provinciæ Franciæ Visitatores; idque præterea constat ex Charta Majoris Cartusiæ, per quam quidam Monachi admonentur ut « remaneant ubi sunt usque ad regressum Visitatorum Franciæ qui iverunt Pisas, quique sciunt merita eorum, et quorum consilio sibi providebitur. » Absentia quoque Bonifacii Generalis ab his comitiis probatur tum ex supradictis, tum etiam ex ejusdem Chartæ verbis, quibus « committitur Visitatoribus provinciæ Gebennensis, ut quemdam monachum carceri mancipent, si ita viderint expedire, usque ad adventum Domni nostri Cartusiæ, si ulterius medicinam exercere præsumpserit. » Denique, quia solus Prior Cartusiæ potestatem concedere poterat absolvendi de casibus reservatis, quam communiter Visitatoribus dare solebat, quo pacto absentibus Franciæ Visitatoribus, eorum subditi se gererent, sic per eamdem Chartam declaratum fuit : « Visitatores provinciarum hoc anno non mutantur, nec revocantur Priores ordinati ad dispensandum cum personis Ordinis in casibus Sedi apostolicæ reservatis, sed omnes manent sub modo et potestate eis præcedenti anno concessa ; » hoc addito in provincia Franciæ, quod « vices Visitatorum ipsius qui ad Pisanum Concilium iverunt, in eorum absentia gerent per omnia Priores Montis S. Ludovici et Vallis S. Petri ; excepta potestate dispensandi in casibus Sedi apostolicæ reservatis, quæ per solum Priorem Cartusiæ, non per Capitulum generale committi potest; et ideo recurratur in dictorum Visitatorum absentia, casu occurrente, ad propinquos Visitatores sive Picardiæ, sive Burgundiæ, qui prædictam habent potestatem. » Absolutis his comitiis, Dominicus de Bonafide, Prior tunc Genuensis, et qui unus fuerat ex Diffinitoribus ejusdem Capituli generalis, ad Concilium quoque Pisanum, nomine

et Dominicus de Bonafide.

Patrum Francorum abiit, ut discimus ex nomenclatura omnium qui interfuerunt eidem Concilio, ubi inter Priores prioratuum tam Conventualium quam aliorum annumerantur : « Reverendus vir Fr. Joannes de Griffomonte, Prior Vallis Viridis prope Parisios; R. vir F. Joannes Caelli (Tirelli), Prior Fontis Nostræ Dominæ, Ordinis Cartusiensis, Suessionensis diœcesis ; R. vir frater Dominicus Prior prioratus S. Bartholomæi prope Januam. Omnes tres eorum propriis nominibus et pro toto Ordine Cartusiensium in regno Franciæ existentium. »

ANNUS 1409

Ital. Sacr. Tom. III, in Archiep. Pisan. 65 Archiep.

BENEDICTI XIII NUNTII PISAS PERVENIUNT.

IV. Interea, noster Bonifacius cum cæteris a Benedicto et a Rege Arragoniæ legatis, post multas ac graves molestias in itinere perpessas, die undecima Junii Pisas pervenit; cumque per quemdam legatum Regis Aragoniæ Concilio significatum fuisset, « quod nuncii Domini Benedicti Papæ XIII, erant in villa, fuit ille legatus tunc sibilatus et illusus quia dixit et vocavit eum Papam, et petiit audientiam pro eis. Ad quod fuit responsum.... Quoad nuncios Petri de Luna, quod tarde venerant, et quod ad præsens audiri non poterant. » Sed præstat nostrum Bonifacium audire totius rei seriem in suo tractatu de schismate simpliciter ac candide narrantem : « Dominus noster Papa (videlicet Benedictus XIII) celebravit Concilium rite et juridice in villa Perpiniani, et multis illic decisis et expeditis, deliberatum fuit quod mitterentur solemnes ambaxiatores Pisas, non ut astricti vel ligati, sed ut saltem tractando si posset inveniri hic vel ibi aliquis modus unitatis Ecclesiæ; et ostenderent illis qualiter aliter ipsi facientes producerent novum errorem in Ecclesia; habentes plenissimam potestatem pro exequendo et complendo effectualiter quidquid esset necessarium pro vera unitate Ecclesiæ. Et, cum dicitur, non fuerunt tempore assignato ; istud erat impossibile quia tam in dominio Franciæ quam Provinciæ, Januæ, de Luca et de Pisa imminebat eis periculum evidens personarum et bonorum. Ideo oportuit laborare pro salvis-conductis obtinendis a tot Dominis. Nec in Francia potuerunt haberi nisi per medium Regis Aragonum qui misit

Acta Concil. Pisani, Sessio XVIII.

Vita B. Ferr. §. 13.

ANNUS 1409

Tardius adveniunt propter itineris impedimenta plurima.

Eis audientia publica denegatur, et etiam ad partem.

nuntios suos; et data omni diligentia et habitis salvis-conductis ambaxiatores arripuerunt statim viam suam gradiendo celeriter et dietis continuatis. Et hæc notificaverant illis de Pisis cum literis suis et nuntiis specialibus, jam antequam procederent ad aliquem actum. Ergo non stetit per eos sed per impedimenta adversariorum; et tamen cum toto hoc fuerunt Pisis per quatuor aut quinque dies ante ingressum illorum conclavis. Et quamvis tam per se quam per medium solemnium ambaxiatorum Regis Aragonum, requirerent illos cum magna diligentia et instantiis geminatis quod audirent illos in publico, nunquam tamen potuerunt obtinere. Sed loco audientiæ dandæ succedebant terribiles minæ, terrores, impressiones, injuriæ et opprobria tam contra eos quam eorum familiam, detrucidando eos, et tradendo igni et similia, quæ essent longissima et tædiosa si hic singulariter exprimerentur. Ideo tam propter eorum notorietatem quam quia super iis extant publica Instrumenta, hic latius explicari omittuntur. In tantum ut in una congregatione ubi fuimus et ubi credebamus audiri saltem ad partem (sicut fuerat data spes), ubi erant decem vel duodecim Cardinales, loco pacificæ audientiæ fuit tanta commotio et seditio contra nos, nulla causa in nobis præcedente, quod illi Cardinales et quidam dictus Marescalus curiæ dixerunt nobis patenter : Non possumus nos vos defendere ab istis periculis, vos videtis. Addentes subsequenter : Non recedatis hinc quousque omnes recesserint, propter evidens periculum personarum vestrarum. Et sic aliquantulum dispersis illis seditiosis, oportuit quod Potestas, et capitaneus vel ejus filius loco sui, et aliqui nobiles cives cum suis apparitoribus et servientibus sociarent nos usque ad hospitia nostra peditando tamen, quia non fuimus ausi equitare sicut veneramus, ne lapidaremur sicut videbamus paratum. Nec aliquis de Dominis Cardinalibus antiquis amicis nostris et Prælatis audebat nobiscum loqui, nec recipere aliquem de nobis in suis domibus ad colloquium quodcumque, nisi semel unus, sed caute in tenebris et occulte. Inierant enim, conspiraverant et conjuraverant quædam

captiosa capitula, pacta et colligationes cum Domino Florentinorum, plena et respersa tot insidiis et machinationibus, quod quidquid diceremus et ad quamcumque partem nos verteremur, eramus in periculo personarum et bonorum, non obstantibus salvis-conductis quibuscumque. Et nisi quia fuimus per quemdam civem florentinum de societate *De Libardi**, qui creditur quod moveretur ex hoc ne societas sua perderet bona quæ habebat in magna quantitate in terra Regis Aragonum, avisati et incautati, procul dubio in eorum insidias et per eos excogitata capitula et pericula (cum nostra plena innocentia) evidentissime cadebamus. Dederant enim Florentini consensum et locum in illis pactis et captionibus capitalibus. Et sic illis ingressis conclavem, oportuit nos dictos ambaxiatores secrete et cautelose civitatem Pisanam exire, quia tunc imminebat vehementia periculi et timoris. Commiserant enim custodiam portarum civitatis cuidam Simoni qui dicebatur Patriarcha Alexandrinus, ita ut nulla maxime ecclesiastica persona exiret civitatem sine illius voluntate et bulleta*. Vide igitur tu nunc et considera qualem intentionem et propositum habebant ad veram unitatem Ecclesiæ! quia nos ambaxiatores Domini Papæ et ejus generalis Concilii et omnium Regum et Principum nostræ obedientiæ, qui habebamus firmum propositum numquam redire ad propria quousque unitas vera et cum effectu obtenta fuisset, et ire ad Gregorium et ad omnes illos qui in iis opem, favorem, auxilium et consilium poterant dare ; habentes super his agendis, tractandis et perficiendis plenissimam potestatem et copiosissimas instructiones tam patentes quam secretas : parati nihilominus erant obligare et ponere nos in vinculis....

« Et cum nos ambaxiatores disponentes ire de Pisis ad Gregorium pro tractatu unitatis Ecclesiæ, requirere fecimus Cardinalem * qui terram Bononiensem gubernabat pro securitate habenda, respondit : Dicatis eis quod vel cum securitate vel sine illa, si illic eos possum reperire, ego tradam eos igni vivos concremandos. Contemplare hic ergo tu si in toto

ANNUS 1409

In periculo personarum versantur.

* *al.* dei Lombardi.

Secrete Pisam exire coguntur.

* gallice : *Billet.*

Mortem eis minatur.

* Balthas. Cossa, qui postea Joannes XXIII.

ANNUS 1409

orbe ab origine mundi usque nunc est, vel fuit, nec credo erit, natio, ritus vel secta, universitas, princeps, judex, genus, fideles, infideles, gentiles vel pagani, qui ambaxiatores maxime ad ipsorum instantiam et vocationem, ad eos missos etiam per capitales et publicos inimicos, portantes et volentes referre blasphemias, diffidamenta et bannimenta, vel alia quæcumque injusta et odiosa, quæ non audierint illos ? O Congregatio Pisana ! aut illi ambaxiatores Domini Papæ et ejus generalis Concilii exposuissent et portabant utilia et accommoda pro unitate Ecclesiæ sicut veraciter faciebant, et tunc non deberent respuere eos, sed amplexando extollere et laudare ; aut irrationabilia, et tunc poterant repellere et reprobare : sed non audire eos, istud excedit omnem obstinationem humanam. Et si dicis, jam ipsi sciebant quid portabant ; dico tibi quod istud transit in dementiam, quia illud soli Deo competit, videlicet scire corda hominum et futura et secreta. Et nescis tu quod in similibus negotiis alia est potestas patens, alia secreta ? aliqua sciunt duo vel tres quæ cæteri socii forte ignorant. Et si aliqua alia fuissent necessaria, misissent ad suos Dominos et statim habuissent. Quomodo ergo audiendi sunt illi qui dicunt quod sciebant omnia ?

Et sic cum Gregorii Legatis actum est.

« Et hoc eodem modo vel simili repulerunt ambaxiatores qui venerant ex parte Gregorii, qui obligabant se cum maximis pœnis quod facerent illic venire Dominum suum habita securitate et præparatis quæ erant pro necessariis veræ unitatis præparanda, etc.... » Hactenus noster Bonifacius.

« Consulte volui, inquit autor Vitæ illius, tam prolixos hujus itineris successus fideliter ab ipso Bonifacio relatos recensere, ut appareat quantos labores pro bono Ecclesiæ Catholicæ sustinuerit, quotque pericula tunc incurrerit. » Nec certe ad schisma extrahendum, ut quidam autor ei et ejus sociis exprobrat, sed ad illud tollendum quantum in eo erat, tot nostri Bonifacii labores spectasse ex illius sinceris verbis credimus ; licet ut rei eventus postea patefecit, Benedicti mens erat ipsos suos legatos etiam deludere. Inter hæc Gregorius Concilium pariter convocabat apud civitatem Au-

Raynald, ad hunc ann. n. 82.

Concilium in Austria celebrat Gregorius XII.

striæ, quam eamdem fuisse cum Foro-Julii autor coævus sæpecitati Chronici Montellani nos docet, ubi loquens de quodam Bartholomæo ejusdem cartusiæ Monacho et paulo post Priore, dicit eum fuisse de « Foro-Julii, scilicet de civitate Austriæ. » Ad istud Concilium, vel saltem ad Gregorium ab eodem Benedicto præfatos oratores missos tum fuisse satis indicat idem Bonifacius, cum in supradicta narratione scribit suum et suorum collegarum propositum fuisse « ire ad Gregorium, et ad omnes illos qui in his opem poterant dare; habentes super his agendis plenissimam potestatem. » Et revera apud Raynaldum legimus ipsum Gregorium literas Prattæ, Concordiensis diœcesis, hoc anno Calendis Junii dedisse, « quibus fidei publicæ syngrapham oratoribus Petri de Luna tradidit. » Hosque oratores Raynaldus enumerans, Priorem Cartusiæ lapsu calami Franciscum perperam appellat. Eos tamen ad Gregorium non perrexisse propter minas a Cardinali Bononiensi in eos jactatas, satis colligimus ex eadem Bonifacii narratione.

ANNUS 1409

Chronicon ms. de Montello, cap. 22.

V. Denique altera die, post eorum discessum a Pisis quæ fuit 15 Junii, Cardinales conclave ingressi, interpositis undecim diebus, Petrum de Candia presbyterum cardinalem, unanimi consensu, in summum Pontificem, qui dictus est Alexander V, elegerunt; nec propterea schisma penitus sedatum est, imo majorem inde scissuram Ecclesia Dei pati visa est : cum enim prius duo tantum de Papatu contenderent, tres posthac simul nomen supremæ illius dignitatis præ se tulerunt. Alexandrum major pars orbis christiani cum toto nostro Ordine (si Hispanos excipias) ut verum ac legitimum Christi Vicarium secuta est. Gregorio fidem tantum servavere Robertus Romanorum rex (quo aliquot post menses defuncto tota fere Germania Joanni XXIII Alexandri successori adhæsit) et Ladislaus Neapolitanus rex, cum aliquot Italiæ urbibus. Benedicti partes constanter tuiti sunt Arragoni, Castellani et Scoti; unde non mirum si noster Bonifacius cum suo fratre sancto Vincentio in ejusdem Benedicti obedientia perseveraverit : et eo tenacius quo eum per suos

ALEXANDER V, IN CONCILIO PISANO ELIGITUR.

ANNUS
1409

nuncios ad Concilium Pisanum missos tunc sincere egisse, Patresque Concilii et ejus et Gregorii damnationem nimium præcipitasse, firmius crediderit velut testis oculatus. Nam ex ejus narratione superius relata, quæ videtur prorsus ingenua et ab omni dolo aut simulatione aliena, aperte indicat Concilium non potuisse nunciorum absentiam aut commorationem justo causari, quandoquidem, ut asserit, ipsi nuncii in itinere constituti et detenti, veras suæ retardationis rationes per literas et speciales nuncios « illis de Pisis notificaverant. » Ad hæc addit, publicam audientiam non fuisse eis denegandam, cum satis mature accessissent, novi Papæ electione nondum inchoata; Cardinalibus vero ad eam ineundam paulo post Conclave ingressis clam aufugere majorum metu periculorum coactos fuisse ; « licet, inquit, habebamus firmum propositum nunquam redire ad propria quousque unitas vera et cum effectu obtenta fuisset.... habentes super his plenissimam potestatem...., parati nihilominus obligare et ponere nos in vinculis, quod ea quæ promitteremus opere et efficaciter complerentur. » Certe sine fuco loquitur Bonifacius, sed utrum Benedictus sua ei et aliis nunciis mandata cum eadem sinceritate dederit merito dubitari potest. Porro ex his et ex « terribilibus minis, terroribus, impressionibus, injuriis et opprobriis contra eos, » et ut satis sub finem innuit, contra Gregorii nuncios egestis, facile existimavit Concilium non fuisse liberum, ac proinde Alexandri electionem nullam esse. Præter nostrum Bonifacium, nonnulli alii viri docti ad partes Benedicti contra Concilium tuendas commentarios edidere. Et revera ipse S. Antoninus congregationem Pisanam conciliabulum vocat, licet multi illam verum ac legitimum Concilium censuerint; sed ad nos non pertinet hujus difficultatis enodatio quæ etiam his temporibus valde erat obscura, ut discimus ex autore coævo. Hic est Antonius de Macis, scriptor Chronici Montellanæ cartusiæ, qui de Concilio Pisano sic loquitur : « Cum esset curia apud Lucam pro unione Sanctæ Ecclesiæ, non solum unio, ut sperabatur, minime est facta, sed insuper Cardinales irati propter crea-

Propter multa juri contraria,

hanc electionem nullam reputat Bonifacius.

Raynald. ad ann. 1409. n. 74.

S. Antonin. III. Pars, titul. XXII. cap. 5. §. 2.

Cap. 20.

tionem novam quorumdam Cardinalium, recesserunt a summo Pontifice; et concordantes cum Cardinalibus schismaticis congregaverunt Concilium in civitate Pisarum, habito adjutorio Florentinorum : et hoc, ut ferebatur, ad instantiam domini Baldassar Cossa tunc cardinalis Bononiæ, et hoc absque consensu summi Pontificis et novi electi Imperatoris. Multa quidem in ipso Concilio gesta sunt, sed causa brevitatis pertranseo ; præsertim quia diverso modo sonabant in ore personarum, licet tunc essem in Domo Lucæ : sed veritas celabatur ut plurimum. Convenerunt igitur Cardinales, et deponentes ut potuerunt summum Pontificem, antipapam elegerunt, anno videlicet 1409, die 24 Junii, dominum Petrum de Candia cardinalem tunc Mediolanensem, de Ordine Minorum, quem vocaverunt Alexandrum. Fuitque ille vir satis bonæ famæ magnæque scientiæ, ita ut tempore suo non esset ejus similis juxta communem famam. Sicque præfati Cardinales dum vellent unionem Ecclesiæ facere, ea divisione fecerunt ut *trivisi* essemus. Nam aliqui sequebantur ipsum Alexandrum, alii antipapam, alii vero Gregorium. »

ANNUS 1409

VI. Hoc anno cartusia Astheimensis, vulgo dicta Domus Pontis B. Mariæ in Astheim, in Franconia et diœcesi Herbipolensi, ab ipsa urbe episcopali tribus milliaribus dissita, fundatur a generoso equite Erckingero a Saunsheim, et Anna de Bibra, illius uxore. Quidam tempus fundationis ad annum superiorem referunt ex quadam inscriptione, cui velut nullam antiquitatem redolenti fidem non habemus; instrumentis Domus potius standum credentes, ex quibus liquet fundatorem hoc anno manum operi admovisse, monachosque ad locum incolendum sequenti tantum anno advocasse. Hoc igitur anno Erchingerus et Anna uxor ejus coram Patribus ab Ordine delegatis, Prioribus videlicet Domorum Norimbergæ, Tuckelhausanæ et Herbipolensis, amplissimas suæ fundationis literas confecere in quibus inter cætera sic loquuntur :

DOMUS IN ASTHEIM FUNDATUR.

« In nomine Domini, ego Erckinger a Saunshaim eques auratus, et ego Anna de Bibra in Steffansberg uxor ejus,

Fundationis Literæ.

ANNUS 1409

Molin. Histor. Cartusiana. ms. f. 745.

attestamur et manifestum facimus, tum pro nobis tum pro cunctis et hæredibus et posteris nostris, omnibus præsentes literas visuris, lecturis aut legi audituris, nos maturo ac bene deliberato consilio, unanimiter et conjunctim.... ac singulari quodam affectu et devotione quam ad propagationem divini cultus ac laudis, specialiter ad augendum sacrum Ordinem Cartusiensem gerimus : omnipotentis Dei auxilio, ac piorum quorumdam hominum adjunctis eleemosynis, novum monasterium Pontis B. Mariæ dictum, in oppidulo nostro Astheim, quod a regione oppidi Volckach, Mœno fluvio interlabente situm est, fundare, ædificare et erigere inchoasse : idque in honorem sanctissimæ Trinitatis, ad perpetuam gloriosissimæ cœli reginæ Mariæ laudem, in nostram quoque omniumque hæredum ac progenitorum salutem, omnium denique Christi fidelium animarum perpetuum solatium, ut a pœnis quibus detinentur sanctarum Missarum sacrificiis perpetuo decantandis legendisque, necnon aliis spiritualibus ritibus et exercitiis per Dei gratiam et misericordiam liberari possint : de temporalibus bonis nostris divina nobis benignitate concessis donasse ac dotasse..... Primo donamus prælibatum oppidulum Astheim et domicilium nostrum ibidem cum camera et omnibus suis conclavibus, quocumque tandem nomine nuncupentur. Agriculturam quoque ad ipsum spectantem in oppidulo et in campo, cum sylvis, terris, agris, aquis, pratis, et pascuis, angariis et servitiis omnibusque juribus ad illud pertinentibus, præsertim curtem seu prædium illud cum suis pertinentiis, quod quondam Nlercklinæ fuit. Census etiam nostros ex piscationibus, et feuda quæ olim nobilis dominus comes Leonardus a Castel nobis dedit. Advocatiam quoque nostram ibidem quam debemus ac volumus dicto monasterio transmittere, postquam emancipationi data fuerit, quanto citius id a nobis effici poterit sine dolo. Item jurisdictionem nostram ac gladii potestatem, et omnia hebdomadarii mercatus jura nostra et privilegia ab illustrissimo et clementissimo principe domino Roberto moderno Romanorum imperatore, duce Bavariæ et

Ad solatium maxime animarum in Purgatorio detentarum,

dant fundatores oppidum de Astheim,

gladii potestatem,

comite Palatino Rheni, clementer nobis concessa, sicuti ex literis illius quas desuper habemus, apparet. Donamusque eidem monasterio omnia bona nostra, emolumenta, redditus et pensiones quocunque nomine appellentur, in præfato oppidulo et in campis ad id pertinentibus, nulla re prorsus seu magna seu parva excepta. Item omnes frumentarios redditus nostros : nominatim vero partem nostram decimarum vini, omnesque vineas nostras, vinique proventus in terris ejusdem oppiduli, cum omnibus juribus, consuetudinibus et decimarum libertatibus, prout ea hæreditario nobis hactenus jure obtigerunt. Donamus etiam nostros census nummarios et obolarios, lignorum perceptiones omnesque gallinarum sive pullastrarum pensiones ibidem. Ad hæc, communitas ibidem tenetur dicto novo monasterio in singulos annos perpetuis temporibus præstare et numerare quinquaginta Rhenenses aureos boni valoris, nomine justi et legitimi tributi, more regionis Franconiæ : nempe in festo sanctæ Walburgæ aureos viginti quinque, et in festo sancti Martini totidem. Donamus etiam eidem monasterio molendinum nostrum ibidem, una cum obicibus et aggeribus in Mœno fluvio quaquaversum positos ; necnon piscarias ad ipsa pertinentes, hac conditione quod quilibet piscatorum ibidem habitantium, teneatur singulis septimanis pendere tres nummos tum temporis usuales in Franconia. Donamus etiam trajectum nostrum in eodem fluvio infra molendinum ibidem, quod trajiciendi jus debemus ac volumus eidem monasterio transmittere, quamprimum proprietatem illius adepti fuerimus sine dolo et fraude. Donamus etiam septem pullastros et tres nummos de vineis in pago Northeim quotannis præstandos in perpetuum monetæ tunc currentis sive usualis. Item donamus partem nostram pagi Neuser et omnia nostra bona ibidem quorum proprietas nostra est. Ad hæc et partem nostram jurisdictionis et advocatiæ ibidem, cum omnibus nostris de frumentis et vinis redditibus, nummariisque et obolaribus censibus et pullastris, circa Natalem Domini et Quinquagesimam præstandis, cum locationum quoque pretiis, quantum scilicet

ANNUS 1409

gallinarum pensiones,

trajectum in Mœno fluvio.

ANNUS 1409

ad nos pertinuit. Propterea etiam omnes et singulos subditos nostros ibidem a juramentis suis quibus nobis devincti tenebantur, solutos et liberos esse jussimus, liberos et absolutos eos etiam nunc denuo pronunciamus pro nobis et hæredibus, posterisque nostris omnibus, prorsus ac omnino vigore harum litterarum, nullo periculo. Donamus etiam nostra duo prædia in Brosselsheim, quorum dominium seu proprietas ad nos spectat quæ olim Berchtoldi a Grumbach piæ memoriæ fuerunt et singulis annis pendunt sexaginta mattera omnis generis frumentorum. Acta sunt hæc, in capella sancti Nicolai in Esthaim *, præsentibus Venerabilibus Patribus Henrico Priore Norimbergæ, Domno Henrico Priore in Tuckelhausen, D. Thoma ejus Procuratore et fr. Conrado ejus Converso, et D. Joanne Priore in Wirtzburg, D. Petro ejus Procuratore et fr. Udalrico, ejus Converso. Qui omnes Cartusiensis Ordinis homines, nulla interposita mora, in utriusque nostrum corporali præsentia a subditis ibidem nostris, dicti Ordinis et monasterii nomine, juramentum fidelitatis recipiebant, quod et quilibet Prior et Conventus præfati monasterii exigere et recipere debet perpetuis temporibus ; et a juramento suo, quo nobis antea obstricti erant, eos omnino solvimus, solutos liberosque omnes et singulos esse pronuntiamus.... sed soli Cartusienses dicti monasterii, omnesque eorum successores debent et possunt illis bonis et possessionibus uti, frui, pro suis maxime commodis et arbitrio.... Super his igitur, ego prænominatus Erckinger a Saunshaim eques auratus, primus dicti monasterii fundator et autor, et ego Anna ejus uxor, prima fundatrix et autor, firmiter promisimus et promittimus pro nobis et hæredibus, hanc fundationem, institutionem, dotationem vel donationem perpetuo et irrevocabiliter firmam, ratam et gratam habere, etc. Quapropter etiam in honorem Dei cuilibet Priori vel Conventui prædicti monasterii hanc potestatem et facultatem, id juris et libertatis, perpetuo concessimus et concedimus robore et vigore horum literarum, ut si contingeret quod advocato aliquo et defensore opus haberent,

* Astheim.

Advocatum et defensorem suscipere possunt Cartusiani,

et aliquem suscipere vellent, pro suo erga nos amore et ex libera voluntate possint me prænominatum Erckinger fundatorem suum, vel ex hæredibus virilis sexus aliquem meis, quicumque ipsis ipsorumque monasterio magis profuturus omni tempore videbitur, ad certum aliquod tempus, seu longum seu breve suscipere, eumque exautorare iterum ac dimittere quacumque de causa, vel sine causa quandocumque voluerint. Et hanc advocatiam protectionemque eorum, nec nos nec hæredes successoresve nostri exigere vel ultro nos intromittere debemus, quovis prætextu vel juris vel officii alicujus et consuetudinis, etc. Et in veram indubitatamque fidem, perpetuam assecurationem ac firmitatem totius hujus obligationis, fundationis, dotationis ac donationis cum omnibus ac singulis suis partibus, punctis, articulis et clausulis, ego prænominatus Erckinger a Saunshaim et ego prædicta Anna uxor ejus, tradimus sæpe nominato monasterio et Conventui et eorum successoribus has patentes literas utriusque nostrum sigillis pro nobis et omnibus hæredibus et successoribus nostris sigillatas, necnon infra nominatorum Dominorum, amicorum nostrorum propriis munitas sigillis, quæ ipsi ob singularem ac sedulam petitionem nostram, necnon majoris testificationis gratiam ad nostra sigilla his literis appenderant : quorum nomina sunt : Eitel Hilman canonicus capitularis, Joannes a Rosemberg eques, Weiprecht a Danne, Grafft a Saunshaim in Saunshaim, Andreas a Saunshaim in Westerdorf, Conradus a Saunshaim, Erckinger a Saunshaim et Leonardus a Saunshaim. Et nos prænominati omnes ac singuli palam profitemur his literis quod suprascripta fundatio, dotatio et institutio prædicti monasterii cum omnibus partibus, punctis et articulis, omnino ita ac prorsus eum in modum acta et facta sint quo superius habentur scripta. Ad cujus rei perpetuam memoriam veramque fidem, plenam testificationem et assecurationem, quilibet nostrum a prædictis domino Erckinger a Saunshaim fundatore et domina Anna ejus uxore fundatrice etiam atque etiam rogatus, proprium suum sigillum ad illorum sigilla his literis

ANNUS 1409

et ad nutum amovere.

ANNUS 1409

scienter appendit, quæ datæ sunt in Steffansberg, anno a Christo nato 1409, proxima post festum Pentecostes Dominica. »

Ad novam Domum Monachi mittuntur.

Priores in his literis designati a Stephano Priore Seizensi, ad fundationem recipiendam missi fuerant. Anno vero sequenti cum jam magnificus fundator novi templi structuram pene absolvisset, Ordine tunc in pristinam concordiam revocato, novum Generalem Joannem de Griffomonte enixius rogavit Rectorem cum aliquot monachis ad se mittere, qui cæteris ædificiis promovendis præesset. Precibus fundatoris annuit Prior Cartusiæ, instituto in primum Rectorem nascentis Domus Philippo Herbipolensi Procuratore, quem per Chartam consequentis Capituli Patres admonent « ut habeat patientiam quod plantatio nova in Astheim pro præsenti non incorporatur. » Biennio post, ipso fundatore vehementius hujusmodi incorporationem urgente, « injungitur Rectori ut benigne informet illum venerabilem virum Dominum fundatorem ut habeat patientiam, nec indignetur quod plantatio pro præsenti non est incorporata omnino ; tamen ipse Rector veniat ad Capitulum generale, ut idem Capitulum per eum possit de singulis clarius informari. » At cum Rector ad proxima comitia non ascendisset, « committitur Prioribus Nurembergæ et Horti Christi (qui aderant Capitulo generali) Visitatoribus, ut quantocius potuerint ad novam Domum in Astheim se transferant, et cum diligentia considerent statum et qualitatem ipsius, et utrum juxta traditionem sanctorum Patrum nostrorum eis videatur incorporanda ; et per literas suas informent Reverendum Patrem Priorem Cartusiæ narratione fideli, super quo conscientiæ eorum onerantur. » Igitur juxta informationes a prædictis Visitatoribus missas, « ad laudem Dei omnipotentis et Virginis gloriosæ (inquiunt Patres) novam plantationem in Astheim Ordini nostro in Dei nomine incorporamus, et volumus ut Pons beatæ Mariæ nuncupetur. Et præficimus in Priorem ejusdem D. Fridericum, professum Domus Horti Angelorum, Rectorem ejusdem Domus, sicut unanimiter petiverunt. »

Ex Charta 1411.

Ex Charta 1413.

Ex Charta 1414.

Ex Charta 1415.

Diu posthac vixit generosus fundator in senectute bona, septuagesimum quintum ætatis annum agens, defunctus anno 1437, mense Decembri, cujus obitus his verbis denuntiatur in Charta anni sequentis : « Obiit nobilis ac generosus baro et miles Erckinger de Schwartzenberg de Sainshaim fundator Pontis B. Mariæ in Astheim, pro quo fiat tricenarium per totum Ordinem, et in provincia Alemaniæ Inferioris habeat plenum monachatum. » Patrem habuerat Michaelem a Saunsheim in Stephansberg, equitem magnanimum, anno 1399 defunctum ; matrem vero Margaretam de Rosenberg. Ætate grandior effectus, aulam secutus est; Roberto Imperatori non ingratus, ab eo obtinuit ut hebdomadales nundinæ in suo oppido haberentur. Deinde Sigismundo Roberti successori adhærens, eum sibi suis factis militaribus ita devinxit ut Baro Schwartzenbergius creatus sit, quod nomen et titulum sui successores ad nostra usque tempora retinuerunt, donec Joannes Adolphus non minus potentia quam prudentia rerumque gerendarum dexteritate conspicuus, ob multa officia Imperio præstita mereretur ad Comitis sacrique Imperii Principis dignationem evehi, factus etiam sacræ cæsareæ Majestatis supremus camerarius. Duas uxores habuit noster fundator, Annam a Bibra, superius nominatam, cujus obitus cum beneficio tricenarii signatur in Charta anni 1419, cum superiori anno mortua esset ; alteram Barbaram, comitissam ab Abensperg, quæ marito duodecim annis superstes, fundatricis nomen ac plenum in Alemania inferiori monachatum sub die 2 Novembris meruit. Plures liberos ex utraque conjuge Erckingerus genuit, quos omnes beneficos ac liberales nostri Astheimenses experti sunt. Quorum etiam posteri nostrum Ordinem, officiis, amicitia, protectione, ita sibi obstrinxerunt, ut plerique post suum obitum in gratiam tantæ benevolentiæ preces Ordinis obtinuerint. Horum nomina prout occurrunt in Chartis libenter gratitudinis ergo hic subjicimus.

Tres simul in Charta anni 1450 denunciantur, videlicet « dominus Hermannus de Schwartzenberg et dominus

ANNUS 1409

Fundatoris obitus.

Baro Schwartzenbergius creatus fuerat.

Tota gens Schwartzenbergiorum Ordinis studiosissima.

ANNUS 1409

Judocus de Schwartzenberg, et dominus Sigismundus, filius domini Michaelis de Schwartzenberg. » Duo priores erant filii ipsius fundatoris, videlicet Hermannus natus ex Anna a Bibra, Judocus ex Barbara. Tertius, scilicet Sigismundus, a Rittershusio omissus est ; Michael vero illius pater, erat Erckingeri fundatoris filius, qui et ipse a Nostris semper fundator dictus est. « Generosa domina Margarita, comitissa de Plessen, filia fundatoris Domus in Astheim ; » filia fundatoris non Erckingeri sed Michaelis filii. « Generosa domina Margarita de Schwartzenberg magna benefactrix. » Erat filia Erckingeri primi fundatoris, quam Bucelinus perperam, nisi sit error typographi, defunctam dicit anno 1468 ; nupserat Conrado de Rosenberg.

Ex Charta 1458.

Ex Charta 1459.

Ex Charta 1463.

« Generosus dominus Joannes de Schwartzenberg, baro, et filius primi fundatoris ; » natus ex Barbara. Mortem ejus non bene protrahit Rittershusius ad annum 1464.

Ex Charta 1469.

« Nobilis vir dominus Michael de Saunsheim filius fundatoris, magnus zelator et protector personarum Ordinis. » Unde merito a Nostris etiam fundator dicebatur ; erat filius Erckingeri primogenitus ex Anna a Bibra.

Ex Charta 1484.

« Generosa domina Ursula, uxor fundatoris. » Michaeli de quo supra, alteri fundatori, duos uxores tribuit Bucelinus : priorem Gertrudem de Cronenberg, quam legitimam vocat ; alteram, Ursulam, cui nihil addit ; unde videtur credidisse eam non fuisse justam conjugem, cum Gertrudem solam legitimam dixit ; at contrarium patet ex præfata Charta.

« Generosa domina Dorothea, filia alterius fundatoris, » ex eadem Charta. Fuit filia Hermanni cujus obitum superius excripsimus, qui etiam aliquando dictus est alter fundator.

Ex Charta 1499.

« Generosus dominus Michael de Schwartzenberg, nepos primi fundatoris ; » filius videlicet Michaelis secundi fundatoris. Hic a Bucelino vocatur heros religiosissimus, et Rittershusius scribit eum obiisse die decima Septembris, non ejusdem anni 1499, ut ipse incaute posuit, sed superioris ; alias non potuisset denuntiari in Charta dicti anni.

« Generosa domina Margarita de Schwartzenberg, uxor

domini Michaelis de Schwartzenberg, fundatoris Domus Pontis B. Mariæ, benefactrix ejusdem Domus » ; filia Ludovici ab Hutten, uxor vero Michaelis III de quo supra immediate. ANNUS 1409

« Generosus dominus Sigismundus a Schwartzenberg, filius prioris fundatoris, habens missam de B. Maria per totum Ordinem ; » filius Erckingeri fundatoris et Barbaræ. Hic paulo ante obitum cum Erckingero fratre suo et Joanne filio suo obtinuerat a Laurentio a Bibra episcopo Herbipolensi, tabulas tutelares in gratiam hujus cartusiæ, datas anno 1502, feria quarta post solemnitatem Corporis Christi et confirmatas per Albertum a Bibra præpositum, Martinum a Kehr decanum, et cæteros Canonicos Herbipolenses. Uxor præfati Sigismundi denunciata fuerat in Charta anni 1499 his verbis : « Generosa domina Eva, comitissa ab Herbach, benefactrix Pontis B. Mariæ. » Apud Rittershusium legitur annus mortis Evæ 1489, sed certe errore typographi. Ex Charta 1503.

« Generosa domina Cunegundis, comitissa de Rheineck, uxor domini Joannis de Schwartzenberg, habens missam de B. Maria per totum Ordinem ; » hæc est præfati Sigismundi nurus. Ex Charta 1503.

« Generosus dominus Erckingerus, filius domini de Schwartzenberg primi fundatoris Pontis B. M., et Præbendarius ejusdem Domus ; » obierat anno præcedenti : fuerat filius Erckingeri fundatoris, et Barbaræ juxta Bucelinum, sive Annæ prioris uxoris ut vult Rittershusius. Hic ex Canonico Eischstettensi factus est Præbendarius hujus Domus circa annum 1486, quo Capitulum generale « receptionem ejus cum autoritate Visitatoris et consensu Conventus factam approbat, » cum hac conditione, « ita tamen quod faciat obedientiam ut Præbendarius, juxta ejusdem ordinationis de Præbendariis recipiendis tenorem, » quo ante triginta et duos annos decretum fuerat « ut Præbendarii in manibus Priorum coram Conventu obedientiam promitterent, et se correctioni Ordinis submitterent. » Ex Charta 1504. Ex Charta 1454.

« Magnificus ac generosus dominus Fredericus de Schwartzenberg ex fundatoribus Domus in Astheim, amicus et fautor Ex Charta 1545.

ANNUS 1409

Ordinis ; » fuit pronepos primi fundatoris, nepos Michaelis I, filius Michaelis III, juxta Rittershusium.

Ex Charta 1620.

« Dominus Wolfgangus Jacobus, comes de Schwartzenberg, e familia fundatorum habens Anniversarium perpetuum sub die obitus qui fuit 26 Martii. » Ante biennium obierat, si credimus Rittershusio, qui eum Baronem vocat, non Comitem. Fuit pronepos Joannis mariti Cunegundæ, comitissæ de Rheineck, de qua supra.

Ex Charta 1615.

« Generosi domini Ferdinandus et Carolus, germani fratres, comites ex familia fundatorum. » Erant filii præfati Wolfgangi, qui obierunt sine liberis : Ferdinandus Romæ, Carolus Senis in Italia.

Ex aliis benefactoribus hujus Domus in Chartis reperiuntur inter mortuos : Domicellus Fridericus Mercet[a], et domina Catharina uxor ejus. Magister Joannes Werheri[b] magnus benefactor appellatur. Dominus Joannes Arnoldi[c] prætor, habuit anniversarium per totum Ordinem sub 23 Aprilis. Spectabilis dominus Andreas Schmidt[d] idem beneficium obtinuit sub die 2 Januarii.

[a] Ex Charta 1499.
[b] Ex Charta 1588.
[c] Ex Charta 1620.
[d] Ex Charta 1670.

D. WINANDUS DE TREMONIA PIE DECEDIT.

Chronicon cartus. Basil. cap. 2 et seqq.

VII. Hoc præsenti anno die 6 Junii, in ipsa Corporis Christi solemnitate, in Domo Basileensi pie decessit Winandus de Tremonia, primus ejusdem Domus Prior et promotor, in cujus Chronico dicitur vir prudens, experientia multa doctus, veneratione multa dignus, vita laudabilis et religione sublimis. Professionem primum emiserat in Domo Gandavensi, deinde in Coloniensi ubi inter illustriores monachos recensetur cum sequenti elogio :

Ephemerid. Cartusian. ms. II. 598.

« Domnus Winandus Steinbeck, Tremoniæ in Wesphalia diœcesis Coloniensis, ex familia patritia genitus, cum in primæva ætate ac flore juventutis suæ de ordinatione et voluntate suorum, secularibus negotiis se dare totaliter decrevisset, omnipotentis Dei bonitas sua ineffabili misericordia ipsum nolentem et recalcitrantem, de cænulenta hujus mundi voragine et sempiterna sua damnatione jam proxima eripuit mirabiliter, et pia quadam violentia compulit intrare in Cartusiensem familiam. Ipso namque in mari existente anno 1362,

16 Januarii, tam sæva diraque, imo a temporibus Jonæ prophetæ inaudita tempestas supervenit (Dominus namque ventum magnum illa etiam in nocte satis horrenda miserat in mare), ita ut navis periclitaretur ; quæ autem in ea erant nautæ projecerunt in aquas ut alleviaretur ab eis, non nisi etenim certa mors præ oculis omnium versabatur. Instinctu itaque divino Winandus imminens periculum et instantem mortem expavescens, ingrediendi Ordinem nostrum voto se obstrinxit firmissimo; Deique clementia tempestas tranquillitate subsecuta quievit. Anno eodem in festo Dominicæ Annuntiationis, natus septemdecim annos, in cartusia Gandavensi sese Dei mancipavit obsequio. Ibidem aliquot temporis spatio pervigilem et devotissimum Sacristam agens, a dominis de Tyro amicis suis et cartusiæ Coloniensis benefactoribus allectus Coloniam, in hac Domo juxta priscum morem, secundam emisit professionem. Fuit vir vitæ admodum laudabilis, conversationis honestissimæ ac conspicuæ religionis; ideo mox a professione primo in Procuratorem, postea in Vicarium Coloniensem institutus, tanto cum plausu hæc munia obivit ut Prior datus fuerit Trevirensibus. Hanc dignitatem mira prudentia et religionis zelo diutissime exornavit; verum honoris et oneris impatiens hanc excussit : rediens Coloniam, vicariatum suscipere coactus est. Verum ad majora natus eligitur in Priorem Domus Argentinensis. Cumque anno 1402 cartusia Basileensis inchoata fuisset, hujus novæ plantationis cura Winando tanquam in rebus Ordinis expertissimo concredita est. Ibi dum strenue ageret pro hujus monasterii fundatione, post multos exantlatos labores primus Prior Basileæ moritur anno 1409, die 6 Junii, relicta sanctitatis opinione. »

ANNUS 1409

VIII. In Charta hujus anni defunctus denunciatur Joannes de Ambianis monachus sacerdos Domus Luvignaci, habens tricenarium quod meruerat ex auxilio spirituali quod Monialibus Gosnayensibus contulerat, ad eas aliquando missus a Domo Luvignaci « pro consolatione Priorissæ et Vicarii et in auxilium ejus, quod ut libentius exequeretur eidem in

INTER MORTUOS IN CHARTIS RECENSENTUR :

J. de Ambianis monachus Luvignaci,

Ex Charta 1396.

ANNUS 1409

dicta Domo perseveranti concessum est beneficium præfatum. » Quæ quidem verba brevia et parva satis tamen indicant quanti eum Patres facerent, a quibus postea institutus est Vicarius Monialium Bertaudi, quæ Superiori indigebant vitæ interioris et piarum rerum bene perito. At ille jam annis fractus, post aliquot menses absolutionem adeo enixe petiit ut eam obtinuerit, « attenta sua debili senectute, » ut loquitur Charta; at ne sibi soli tantum proficeret vir ad observantiam Ordinis fulciendam et augendam natus, ad Domum Bellilarici, « pro reparatione divini Officii, » per eamdem Chartam translatus est, ubi paulo post, sub initium præsentis anni vel sub finem superioris devixit.

Ex Charta 1408.

Cardinalis Florentiæ.

In Charta Urbanistarum, primus inter defunctos legitur « Reverendissimus in Christo Pater dominus Angelus cardinalis Florentiæ, magnus promotor Ordinis nostri, habens tricenarium. » Pisis obierat die 12 Junii anno superiori, quo in comitiis Seizensibus die 13 Maii habitis, commendatur tanquam vivens precibus Ordinis; unde corriguntur qui scribunt eum jam obiisse anno septimo hujus sæculi. Hic ex nobilissima Acciajolorum apud Florentinos familia natus, primum fuit episcopus Rapollanus in regno Neapolitano, ex quo anno 1383, cum adhuc vigeret apud omnes Nicolai Acciajoli magni Regni senescalli, cartusiæ Florentinæ fundatoris, memoria gloriosa, facile patriæ episcopatum adeptus est, et anno sequenti purpuram ab Urbano sexto. Statimque in comitiis Ordinis sequentibus, tanquam rerum illius « promotor singularis ac benefactor, » orationes obtinuit, quas ad obitum usque singulis annis Patres renovare consueverant. Eo etiam deprecante Urbanus VI non Ordinem modo benignis decoravit indultis, verum etiam annuum quingentorum florenorum congiarium Patribus Ordinis in generalibus coactis comitiis, ex ærario Pontificio quoquot annis ultro persolvendum mandabat, schismatis dumtaxat insania grassante. Primum sepultus fuit in Cathedrali Pisana, cujus corpus postea Florentiam delatum, in Cartusiensium templo sepulturam accepit. Sepulchrum ejus a posteris ne tanti

Ughelli, in Episc. Florentin.

Ex Chartis 1385 et seqq.

Vita Steph. Maconi, Lib. II, cap. 9.

viri memoria periret, magnificentius restitutum, epitaphio ornatum visitur, quod habes apud Ciaconium.

ANNUS 1409

Alter Cardinalis, 12 Decembris obiit, vocatus Petrus Blacci seu Blani, natione Gallus, e prosapia Urbani V, creatus Cardinalis diaconus S. Angeli a Benedicto XIII quem deseruit, ac suffragium tulit pro Alexandro V. Fuit nostri Ordinis fautor, cui propterea per Chartam anni sequentis concessum est tricenarium defunctorum per totum Ordinem.

Patriarcha Hierosolymitanus,

In Charta Capituli generalis Majoris Cartusiæ mortuus designatur « R. P. dominus Patriarcha Hierosolymitanus. » Eodem tempore erant duo Patriarchæ Hierosolymitani : Hugo de Robertis qui adfuit Concilio Pisano, et Franciscus Simenius Ordinis Minorum, quem ad hanc dignitatem Benedictus promoverat anno superiori in Concilio Perpinianensi.

et Abbas Abundantiæ.

R. P. D. Giraudus, Abbas Abundantiæ, quondam eleemosynarius Papæ, Ordini devotissimus, qui habet plenum monachatum per totum Ordinem, cujus dies obitus ignoratur. Ab anno 1386 ad annum superiorem, septem Psalmi vel missa de B. Maria injungebantur « pro domino Eleemosynario Domini Papæ, Ordini devoto, qui eleemosynam Domini nostri Papæ annis singulis Capitulo portare consuevit, et Indulgentias et aliqua beneficia spiritualia et temporalia ab eodem Domino nostro et aliis Dominis de Curia procuravit, et pro parentibus suis, etc. ; » nec certe videtur esse alius a Gerardo.

JESU CHRISTI

ANNUS 1410.

Joannis PP. XXIII Ann. 1.	Ordin. Cartus. Ann. 327.	Joannis III. Pr. Cart. Ann. 1.

ORDO TANDEM FERE TOTUS UNITUR.

I. ANNUS salutis quadringentesimus decimus supra millesimum, Indictione tertia, insignis fuit ac celeberrimus apud Cartusienses propter novam totius fere Ordinis conjunctionem, et animorum ex schismate jam ab annis triginta disjunctorum reconciliationem, quæ hoc modo et ordine constituta est. Ineunte hoc anno Stephanus Maconus, generalis Urbanistarum Minister, juxta potestatem anno superiori a suis sibi factam, Argentinam se contulit, ibique in Domo nostri Ordinis, congregatis quos vel secum adduxerat vel per literas convocaverat septem aut octo e sua obedientia Prioribus, « Capitulum privatum » ut vulgo dicimus, habuit, exeunte Februario, sub media Quadragesima. Illuc tunc etiam accesserat Joannes de Griffomonte Prior Parisiensis, cum alio Priore (quem suspicor fuisse Andream de Valle viridi, Divionensis cartusiæ Priorem), missus tum Capituli privati in Domo Majoris Cartusiæ super annum celebrati, tum Conventualium ipsius Matris Cartusiæ nomine. Nec diu de pacificationis viis utrinque conversatum est ; Stephanus enim communi suorum consensu, abdicaturum se Generalatu promisit, sub quibusdam æquissimis conditionibus quarum præcipuæ erant : 1. ut et ipse Bonifacius vel cederet vel deponeretur ; 2. ut in futuro Capitulo generali Diffinitores ex utraque parte æquali numero assumerentur ; 3. denique ut futuri Prioris generalis electio

Capitulum privatum propter hoc in Domo de Argentina congregatum.

non per Conventum Cartusiæ sed solummodo per Capitulum generale fieret. Hæc et alia ineundæ concordiæ capita ab ipso Priore Parisiensi ad Cartusiam delata, omnes Monachi uno ore et uno animo approbavere cum hac tamen contestata interposita denunciatione, ne videlicet indulgentia qua facultatem eligendi Generalem ad se solos pertinentem, Capitulo generali desideratæ promptius restituendæ pacis gratia tam facile permittunt, ullum unquam detrimentum possit afferre juri suo, quod in posterum sicut prius integrum eis salvum se conservaturos Diffinitores spondebunt. Cum tali consensu Griffomontius Argentinam rediit, statimque Patres Germani læti cum suo Generali Stephano et cæteris Gallis Patribus qui illuc ad eos convenerant, itineri versus Cartusiam se accingunt. Ex cartusia Argentinensi ad Basileensem eos primum se transtulisse discimus ex chronico ejusdem Domus, ubi autor extollens fundatoris sui munificentiam de tempore quo præfatum Capitulum privatum habitum fuit ac de apparatu quo dictus fundator Patres excepit sic loquitur : « Idem fundator adhuc perfectius suam devotionem ad hanc Domum ostendere volens, quia Prior Cartusiæ Majoris, Pater de Seiz, Stephanus nomine, continuante adhuc, proh dolor! in Christianitate magno schismate, venit una cum decem aliis Prioribus Ordinis Cartusiensis, anno Domini MCCCCX, in medio quasi Quadragesimæ pro Capitulo privato in Domo Argentinæ celebrando ; quo Capitulo privato finito, fundator scriptis suis rogavit dictos Patres ut venire dignarentur ad videndum fundationem suam in Basilea, prout Patres prætacti fecerunt. Tunc fundator hilariter et pie, quia vir prudens erat pro sua zelans fundatione, instituit pro dictis Patribus in loco ubi nunc est refectorium, convivium solemne et pretiosum, mensas jocalibus aureis et argenteis, non tantum propriis sed et amicorum et notorum magnifice ornando. His per Patres visis, fundator ait ad eos: Licet, Venerandi Patres, graviter damnificatus sim, nihilominus tamen, ut videtis, laus Deo, depaupertatus non sum ; igitur nullus debet de mea fundatione desperare. Videntes

ANNUS 1410

Concordiæ capita.

Germani Patres Cartusiam petunt.

Cap. 19.

ANNUS 1410

et audientes Patres talia (quia usque ad illud tempus propter diversas perceptas relationes, communiter magis inclinati erant pro majori parte ad dimittendum quam retinendum plantationem hanc novam), deliberarunt aliter dicentes : Benedictus Deus, quia, ut videmus, fundator Domus Basileæ non est cum sua fundatione contemnendus, nec est plantatio illa resignanda sed tenenda et adjuvanda. »

BONIF. FERR. SUO RENUNTIARE PROMITTIT OFFICIO.

Vit. Bonif. Ferr. §. 14.

II. Inter hæc tum Patres Germani, tum Monachi Cartusiæ Patri Bonifacio scripserunt, inquit autor Vitæ illius, « rogantes eum ut et ipse quoque renuntiaret, ut electo uno novo Generali cessaret divisio Ordinis. Quam petitionem videns Pater Bonifacius, manus in cœlum levavit cum ingenti gaudio, et eam uti specialem gratiam a Deo sibi collatam arbitratus est : a multis enim retro annis cupiebat jugum officii Generalis e collo excutere, ut cellæ exercitiis deditus, solus soli Deo vacare posset; sed cum antea opportunitas non occurrisset, præsentem occasionem tanquam sibi e cœlo missam accepit, sicque renuntiationem suam ad Cartusiam misit per certum nuncium qui comitiis jam inchoatis tantum advenit. » Cum autem, inquit Chronicon Cartusiæ, « instaret tempus Capituli generalis Ordinis nostri, et Domus Cartusiæ esset in magna perplexitate, ignorans quod agere deberet sine suo Priore (cujus literæ cessionis nondum acceptæ fuerant), ecce, Deo disponente, per octo dies ante Capitulum venerunt Cartusiam quinque vel sex Priores nationis Germanicæ, quæ propter schisma adhuc erat a Cartusia separata : inter quos erat Domnus Stephanus Prior Domus Vallis sancti Joannis Baptistæ in Seiz, qui se gerebat pro Priore Cartusiæ in dicta natione, omnes instanter postulantes et requirentes Ordinem universaliter reuniri, cum jam schisma Ecclesiæ esset sedatum atque sopitum (ut arbitrabantur propter electionem novi Pontificis). Placuit omnibus ut ita fieret. » Comitia igitur post preces et cæremonias consuetas, ab electione Diffinitorum die 20 Aprilis auspicati sunt. Eodemque die ipsi Diffinitores conditiones et capita quæ Stephano Macono eique adhærentibus proposita, et a Conventualibus Matris Car-

Cap. 26.

Generale Capitulum, et unicum, in Cartusia celebratur.

ANNUS 1410

tusiæ cum quadam adstrictione approbata superius diximus, primum confirmanda censuere, quæ et ad futuram memoriam et ad jura matris Cartusiæ roboranda, ut petierant Monachi, scriptis mandari præceperunt in hanc quæ sequitur formam :

Diffinitorum Literæ,

« Nos fratres Joannes Vallis sancti Petri, Joannes Vallis viridis, Joannes Montis sancti Michaelis, Leonardus Throni beatæ Mariæ, Henricus B. Mariæ in Hollandia ; Lambertus Vallis benedictionis, Andreas S. Trinitatis prope Divionem, Henricus Cellæ B. Mariæ, Domorum Ordinis Cartusiensis Priores, præsentis Capituli generalis dicti Ordinis Diffinitores, notum facimus universis præsentes literas inspecturis : quod cum propter schisma quod fuit in Ecclesia ab anno Domini 1378 usque ad modernum tempus, prædictus Ordo gravem passus fuerit scissuram diversis capitibus adhærendo ; nuper vero divinitus, ut credimus, inspirati fratres nostri Ordinis prædicti, divisione rejecta convenerunt in unum, Conventumque Domus Majoris Cartusiæ requisierunt fratres illi, qui dudum ante Pisanum Concilium adhærebant Angelo Corrario qui se Gregorium duodecimum faciebat appellari, ut consentirent et admitterent ea quæ continebantur in quadam cedula dicto Conventui ab ipsis fratribus transmissa per venerabilem Patrem Domnum Joannem de Griffemont, Priorem Domus Vallis viridis, cujus quidem cedulæ tenor est talis : Patres venerabilissimi, hæc sunt puncta quæ Patres partis nostræ ex parte totius nostræ obedientiæ pro pacifica et charitativa unione Ordinis nostri sancti cum omni charitate et humilitate desiderant, non propter aliquem typum ambitionis vel superbiæ, sed magis ad pacificandum infirmos et temptabiles, atque pro majori fomento mutuæ benevolentiæ. Primo, quod ex quo Reverendus Pater noster Dominus Stephanus liberrime exhibet se ad resignandum quidquid juris habet in Prioratu Cartusiæ, Reverendus Pater Dominus Bonifacius similiter faciat, vel saltem si super hoc ipsum recusaverit, absolvatur : quatenus videlicet eligatur unicum caput sancti Ordinis nostri, cui omnes personæ utriusque obe-

Ex Cartular. primo Cartusiæ.

pro sedatione schismatis,

ANNUS 1410

dientiæ sine scrupulo conscientiæ obedire possint. Secundo, quod pro vitandis tentationibus ac turbationibus alias (ut timendum est) ab utraque parte verisimiliter orituris, imponatur silentium omnibus personis Ordinis ne unquam in posterum quisquam alium verbis vel factis super materia schismatis, vel super his quæ forte tempore schismatis minus ordinate hinc inde acta videntur, infestare aut molestare præsumat, et hoc sub pœna convenienti quam Capitulum generale proxime futurum dictaverit. Tertio, ex quo ambo Reverendi Patres Dominus noster Stephanus ac Dominus Bonifacius a Capitulo generali debent misericordiam obtinere, quod senioris Domus post Domum Cartusiæ Prior, Capitulo generali, quousque Prior Cartusiæ novus habeatur, præsideat. Quarto, quod hac vice tot sint electores Diffinitorum de parte nostra quod de parte altera, et similiter tot Diffinitores partis unius quod partis alterius. Quinto, quod hac vice Conventus Domus Cartusiæ velit, propter Deum et majorem charitatem fovendam, in hoc habere patientiam quod Prior ab eis non eligatur sed per Capitulum generale constituatur seu Ordini præficiatur; quod revera nobis, rebus se habentibus sicut pro nunc se habent, maxime expedire videtur pro celeriori et proniori obedientia ab omnibus fratribus partis nostræ ad Reverendum Patrem Domnum Cartusiæ, modo quo præmissum est, Ordini præficiendum.

et electione Prioris Cartusiæ,

pro hac vice tantum, non a Conventu Cartusiæ sed a Diffinitoribus eligendi.

« Qua quidem cedula coram dicto Conventu Domus Majoris Cartusiæ lecta, deliberationeque matura inter ipsos habita, responderunt eis per quamdam cedulam suam dicto Patri Priori Domus Vallis viridis traditam, dictisque fratribus per ipsum redditam, cujus cedulæ tenor talis est : Venerandissimi Patres, lectis et consideratis articulis per vos traditis, exprimentibus desideria vestra super his quæ ad pacificam unionem Ordinis nostri facere possunt, placent Conventui Majoris Domus Cartusiæ omnia expressa in dictis articulis usque ad penultimum inclusive. Super autem ultimum articulum, quamvis alias de jure communi, de Statuto Ordinis et consuetudine in dicta Domo specialiter et

Conventus Cartusiæ assentit,

semper observata, ad dictum Conventum electio Prioris pertineat, tamen pro bono pacis et sanctæ desideratæ unionis prædictæ, attentisque causis in eodem articulo contentis, placet dicto Conventui hac vice de gratia speciali condescendere vestræ instanti et humili requisitioni ; facta tamen protestatione quod hoc non præjudicet in posterum Conventui dictæ Domus, cum semper vacante Prioratus officio, electio Prioris solum et in solidum pertineat ad Conventum ipsum juxta formam Statutorum ; et quod de prædictis gratia et protestatione fiat litera sigillis Diffinitorum roborata, quæ in Domo Cartusiæ ad perpetuam rei memoriam remaneat et servetur.

ANNUS 1410

facta tamen quadam protestatione.

« Præmissorum igitur consideratione nos cupientes omnium divisionum, scandalorum et turbationum occasiones auferre, laudamus, ratificamus et approbamus conventiones et tractatus contentos in ambabus cedulis supradictis, suscepimusque hac vice duntaxat, onus et autoritatem electionis Prioris dictæ Domus Majoris Cartusiæ, salvis protestationibus per dictum Conventum factis, prout in dicta cedula sua plenius est expressum. In cujus rei robur et testimonium sigilla cujuslibet nostrum præsentibus duximus apponenda. Datum, sedente dicto Capitulo nostro generali in dicta Domo Majoris Cartusiæ, die 20 Aprilis, anno Domini 1410. Et ego frater Augerius monachus dictæ Domus Majoris Cartusiæ, nunc Diffinitor cum prænominatis Patribus Diffinitoribus præsentis Capituli generalis, quia sigillum non habeo, nomen meum propria manu hic subscripsi in testimonium præmissorum. »

Deinde, non tamen eodem die, absoluto utroque Generali, Joannes de Griffomonte jam sæpe nominatus, una omnium consensione in Priorem Cartusiæ electus est, ut ex promulgato plenis comitiis decreto quod sequitur apparet : « Nos Diffinitores præsentis Capituli generalis, attendentes V V. Patrum Domni Bonifacii Ferrerii et Domni Stephani de Senis humilem, instantem ac perseverantem affectionem quam habent et exhibent : ille per literas manu propria scriptas et per pro-

J. de Griffenberg Generalis eligitur,

Vit. Steph. Mac. Lib III. c. 10.

ANNUS 1410

curatorem ad nos propter hoc specialiter missum, iste per vivæ vocis oraculum, petentes absolvi ab officio Prioratus Cartusiæ sibi imposito, renunciantes expresse omni juri, honori et oneri sibi quomodolibet pertinenti in dicto Cartusiæ Prioratu ; ad ipsorum supplicem requisitionem tam promptam tamque devotam, ipsos Domnos Bonifacium et Stephanum et quemlibet eorum a prædictis officio et onere dicti Prioratus Cartusiæ absolvimus et liberamus, gratias eis agentes de laboribus per ipsos Ordini nostro impensis et de exemplis bonis et ædificatoriis quæ specialiter in hac renuntiatione per eos facta relinquunt filiis suis. Rogantes omnium bonorum Retributorem ut pro istis mercedem quietis perpetuæ ipsis retribuere dignetur. Ut autem erga ipsos aliquid de eo quod in nobis est faciamus, plenum cum psalteriis monachatum cuilibet ipsorum proprio motu concedimus, et confirmamus pro suis animabus post eorum obitum (quem Deum felicem faciat et beatum) per singulas nostri Ordinis personas persolvendum. Et præficimus unanimiter, nullo discrepante, in Priorem Cartusiæ, Reverendum Patrem Domnum Joannem de Griffomonte olim Priorem Domus Vallis viridis ; obsecrantes eum in Domino ut onus hujus officii patienter suscipiat, Deo gratias referendo quod sub ipso unio nostri sancti Ordinis suum sortita sit effectum. Et si opus est, quod absit, sibi in virtute sanctæ obedientiæ injungimus ut præfectioni consentiat memoratæ. Si vero aliquid circa prædictam præfectionem esset prætermissum, autoritate privilegiorum nostrorum omnia supplemus ; injungentes omnibus personis Ordinis nostri ut ipsi tanquam vero Priori Cartusiæ obediant reverenter. Insuper districtiori modo quo possumus, imponimus omnibus personis Ordinis silentium de materia schismatis, ne scilicet quisquam alteri, verbis, scriptis vel factis molestus sit super his quæ hinc inde fortassis minus placentia facta videntur ; qui notabiliter contra fecerint sint in disciplina generali ad Ordinis voluntatem. »

et ejus electio confirmatur.

R. P. Steph. Maconi Prior Pontiniani et Visitator instituitur.

Ipse vero Stephanus, cui *Reverendi Patris* titulus semper

posthac servatus est, Domui Pontinianæ et utriusque Lombardiæ provinciis præficitur his verbis : « Priori Domus sancti Petri de Pontiniano fit misericordia, et præficimus eum in Priorem Domus Januæ, et Reverendum illum Patrem ac venerabilem Domnum Stephanum de Senis, olim Priorem in Seiz, præficimus in Priorem ejusdem Domus Pontiniani ; confirmationem vero novi Prioris Domus in Seiz committimus Prioribus Domorum in Gyrio et in Maurbach. » Et inferius in recentione Provinciarum et Visitatorum sic legitur : « Provinciam Lombardiæ propinquioris et remotioris visitabit Reverendus ille Pater D. Stephanus Prior Pontiniani cum socio Priore vel Monacho quem duxerit eligendum. Cui etiam ex confidentia quam ad ipsum habemus, et ex specialibus causis super easdem Provincias usque ad futurum Capitulum generale nostram generalem concedimus potestatem. Et in casu quo sibi videbitur, possit etiam aliquos Priores ordinare qui unam vel plures Domos visitare possint, et ad se habeant referre, et alia omnia expediat, secundum conscientiæ suæ de qua fidimus puritatem. » In hoc decreto non fit mentio Provinciæ Tusciæ, cujus Domus per aliquot annos, Lombardiæ remotiori sicut ante schisma attributæ sunt.

ANNUS 1410

IV. Posthac ad serenandas anxie Religiosorum conscientias, declarant nullum teneri ad observationem decretorum ab utriusque partis generalibus Conventibus, tempore schismatis editorum : « Cum plures ordinationes factæ sint in Chartis utriusque olim obedientiæ, quæ pro præsenti propter brevitatem temporis concordari non possunt, ordinamus quod eædem ordinationes medio tempore factæ non ligent quemquam, nisi in quantum Præsidentibus, in singulis Domibus, videbitur expedire usque ad sequens proximum Capitulum generale, et tunc declarabitur quid fiendum. » Sed anno sequenti propter molem negotiorum, nihil declaratur nisi quod « eadem ordinatio prorogatur usque ad sequens generale Capitulum, in suo robore duratura ; » ubi quid actum sit referemus. Præterea eadem cum prudentia confirmant

CÆTERA HUJUS CAPITULI GENERALIS DECRETA.

ANNUS 1410

omnia beneficia spiritualia tam personis Ordinis quam aliis concessa per utramque obedientiam Ordinis nostri, nunc divina misericordia in unum redactam : « Omnes provisiones Domorum et personarum habilitationes ad officia per utramque obedientiam hactenus factas, tam per generale Capitulum quam per confirmatores electionum, quam per alium quemcumque modum, præsens Capitulum confirmat et ratificat. Et de novo si et in quantum opus est, facit, instituit et ordinat. »

Alexander V ut verus Papa denunciatur.

Denique cunctis quidem audientibus, sed quibusdam dissimulanter consentientibus, Alexander V denunciatur verus ac legitimus Christi Vicarius, et ut talis precibus Ordinis commendatur. « Notum sit omnibus personis Ordinis nostri quod Capitulum generale unanimiter et concorditer suscepit et suscipit Dominum Alexandrum V in verum et summum Pontificem Ecclesiæ universalis offertque sibi tricenarium Spiritus Sancti in qualibet Domo Ordinis celebrandum, sicut pro aliis summis Pontificibus fieri consuevit. Et pro bono statu, pace et reformatione Ecclesiæ Dei et totius populi Christiani, fiat etiam tricenarium Spiritus Sancti, ut tam pro gratiarum actione pro diu desiderata et ex superna misericordia nunc tandem obtenta Ordinis nostri sub uno Pastore et Domno Cartusiæ unione, quam pro ipsius nostræ Religionis conservatione et reparatione fiat idem. »

Preces pro novo Reverendo Patre ordinantur.

Cumque nimis facile crederent christianos Principes, nullis exceptis, unico adhæsisse Alexandro ; eos omnes, aut certe quotquot in Chartis utriusque obedientiæ singulis annis designari solebant, orationibus Ordinis commendant. Nec novi Generalis obliti, has etiam pro eo preces fieri imperant : « Pro R. Patre nostro Domno Cartusiæ, ut Deus det ei gratiam Ordinem sub ipso unitum regere et ad pascua salutis deducere, et pro consolatione sua super onere assumpto, dicant celebrantes unam missam de B. Maria, non celebrantes septem Psalmos cum Litaniis, Laici vero 3o vicibus *Pater noster* et *Ave Maria.* » Preces vero quas utraque Pars, pro sedando tum Ordinis tum Ecclesiæ schismate, annis quoque

Preces vero pro unione revocantur.

singulis edicebat revocantur ; velut si totus Ordo et universa Ecclesia pace summa gauderent.

ANNUS 1410

Verum cum quidam Priores, ut vetus mos requirebat, ad Capitulum generale non scripsissent, eorum silentio mitiorem in partem prudenter accepto, his verbis excusantur : « Omnes Domos provinciarum Ordinis nostri quæ hoc anno non scripserunt Capitulo generali habemus excusatas, propter temporis brevitatem ; et ordinamus quod si aliquid novi ortum fuerit in eisdem ad Visitatores earumdem habeatur recursus, quibus quoad ea quæ futurum Capitulum commode expectare non possent, autoritate nostra committimus quatenus unicuique succurrant secundum instantem necessitatem. »

OBEDIENTIA ALEXANDRO V PRÆSTITA OMNIBUS HAUD PLACET.

V. Etsi omnes animo uno de restituta Ordinis concordia sibi gratularentur, non cunctis tamen placuit obedientia novo Pontifici præstita. Quosdam enim Gregorio, quosdam Benedicto adhuc firmius adhæsisse constat. Id de Gregorio affirmat autor Chronici Montelli coævus. « In ipso Capitulo generali, inquit, dederunt obedientiam Ordinis præfato Alexandro, quamvis plures in Ordine tenerent in conscientia Dominum Gregorium memoratum Papam. » Quod vero Benedictum XIII spectat Lambertus Prior Avenionensis unus ex Diffinitoribus, Joannes Placentis Prior Petræ-castri et Visitator Burgundiæ, Guillelmus de Mota Cartusiæ Procurator*, et alter Guillelmus de Montepensato monachus ejusdem Matris Cartusiæ, et quidam alii, in Arragoniam post celebrata comitia perrexerunt. Uterque Prior, cum Benedictum de his quæ in comitiis gesta fuerant commonuisset, ad suos rediit. Guillelmus de Mota apud nostrum Bonifacium remansit ; Guillelmus vero de Montepensato ad Domum Vallis Paradisi prope Terraciam missus, ibidem anno sequenti defunctus est die 9 Augusti ; ab eodem Bonifacio, propter servatam Benedicto fidem, tricenarii et anniversarii perpetui beneficiis per totum Ordinem sive potius per Domos illius obedientiæ donatus. Quid interim Benedictus egerit postea dicemus.

Cap. 20.

* pro expeditione quorumdam temporalium venerat.

ANNUS 1410

ALEXANDER V MORITUR.

Vita. Steph. Maconi, Lib. III, c. 10.

VI. Porro, noster Stephanus, etsi præcipuus redditæ pacis autor, solus tamen inter universale aliorum gaudium tristis apparebat; qui a nonnullis ex Patribus interrogatus cur in communi omnium gratulatione de inita sua præsertim opera et assensu Ordinis unione, tanto squalore et lacrymis se conficeret respondit, oris serenitate resumpta, lugere se Ecclesiæ calamitatem, cujus statum precibus vestris apud eum juvari rogo. Nihil præterea in eam sententiam locutus, sed admirabili silentio in præsentia texit quæ illi divinitus observabantur : licet aliquot post generale solutum Cœtum dies, paucis admodum clam aperiret Romanum Pontificem e vita abiisse mortali. Nec abfuit dicto fides. Die enim tertia Maii, Alexander V, Bononiæ decimo post sui Pontificatus mense diem clausit extremum. De cujus morte et illius successoris electione hæc habet citatus autor Chronici Montelli : « Circa principium mensis Maii præfatus Dominus Alexander obiit in civitate Bononiæ, veneno ut fertur necatus. Ubi post ejus obitum facta est alia de Papa electio, in qua omnes Cardinales convenerunt in Dominum Balthazar Cossa, quem Joannem nominaverunt. Quæ quidem electio, qualis fuerit, exitus comprobavit ; licet videatur prædicta fuisse per abbatem Joachim, quem in forma Subdiaconi depinxit cum signo suo et prima litera nominis ejus, scilicet B. » Hujus Joannis partes, relicto Gregorio, Sigismundus rex Ungariæ, et paulo post Imperator amplexus est. Creatus fuerat Cardinalis a Bonifacio anno hujus sæculi secundo, et inter fautores Ordinis, a nostris Urbanistis annumeratus, preces in Chartis anni 1409 per totum Ordinem obtinuit.

Cap. 21.

Balth. Cossa, dictus Joannes XXIII eligitur.

BONIFACIUS FERRER. PRIOR CARTUSIÆ ITERUM INSTITUITUR, A BENEDICTO XIII.

VII. Sed redeamus ad Benedictum, qui cum a Priore Avenionensi et aliis illius itineris sociis, ut diximus, cum dolore accepisset Cartusienses Alexandro adhæsisse, absoluto suo Priore Bonifacio, ad hunc statim, die videlicet 18 Junii, binam scripsit bullam : per priorem, deposito sua autoritate Griffomontio, jubet Bonifacio ut nomen et potestatem Generalis in se recipiat. Hujus bullæ exemplum a Domo Portæ Cœli ad nos nuper transmissum talem habet tenorem : « Be-

nedictus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Bonifacio Ferrerii, Priori Majoris Domus Ordinis Cartusiensis, Gratianopolitanensis diœcesis, salutem et apostolicam benedictionem. Ad sacri Ordinis Cartusiensis statum et utilitatem, præsertim in his quæ ad salutem concernunt animarum, nostræ diligentis considerationis dirigentes intuitum, ipsius Ordinis professores libenter præservamus a noxiis, et ipsorum animarum periculis quantum in Deo possumus obviamus ; nuper siquidem te de mandato nostro pro negotiis arduis, concernentibus ecclesiasticam unitatem in Romana Curia moram trahente, cum sicut accepimus tempus celebrandi generale Capitulum in Majori Domo dicti Ordinis, Gratianopolitanæ diœcesis, instaret de proximo ; tu, celebrationi hujusmodi ex causis legitimis commode non valens personaliter interesse, per certum nuntium tuas ad dictum Capitulum literas destinasti, per quas inter cætera, juxta Constitutiones dicti Ordinis et morem hactenus observatum, humiliter petiisti ut te a dicto Prioratu et ejus onere, ac præsidentia et honore, quibus per hujusmodi literas cessisti, et præfato nuntio cedendi et renunciandi simpliciter facultatem concessisti, absolverent, et sibi ac dictæ Domui de Priore alio providerent ; præsentatisque literis per dictum nuntium in Capitulo memorato, ad quod multi convenerant schismatici, et ab obedientia nostra et Ecclesiæ præfatæ substracti, hujusmodi tua cessione admissa, statim de facto ad eligendum Priorem alium processerunt, ac quemdam Priorem Parisiensem ibidem præsentem in eorum prælatum assumpserunt, qui quidem Prior se schismaticis adjungens, ad obedientiam filii Belial, Petri de Candia, in Sede apostolica violenter intrusi, una cum dictis schismaticis declinavit ; licet nonnulli Priores et Monachi dicti Ordinis qui in dicto Capitulo interfuerunt, et alii qui in eodem non fuerunt præsentes, tacti de tanto scandalo dicti Ordinis dolore cordis intrinsecus, in nostra remaneant obedientia sicut prius. Verum quia obedientes isti, hæsitantes an dicta electio (sicut præmittitur) facta de jure præcesserit, dubitant acephali remanere,

Bonifacio, uti petierat, misericordiam consecuto,

Joann. de Griffenberg eligitur in Generalem totius Ordinis,

ANNUS 1410

quam electionem nullam esse declarat summus Pontifex;

a nobis humiliter postularunt, ipsis et eorum conscientiis super præmissis de opportuno remedio provideri. Nos itaque, consideratis præmissis, ad omnem hæsitationis materiam submovendam, electionem de Priore illo Parisiensi factam nullam esse, et nullis omnino viribus subsistere declaramus; ac Ordini prædicto, sicut tenemur ex debito providere volentes, te Priorem dictæ Majoris Domus et ipsius Ordinis Generalem constituimus et ordinamus, et non obstantibus præmissis, de novo creamus : dantes tibi in spiritualibus facultatem omnia illa perinde faciendi, ordinandi, disponendi et exequendi, quæ ad Priores dictorum Domus et Ordinis pertinent, tam de consuetudine quam de jure, quæ etiam per dicti Ordinis Statuta, ac si dicta renuntiatio et alia (ut præfertur) attentata nullatenus præcessissent; Prioribus, Monachis et personis aliis dicti Ordinis dantes harum serie in mandatis, quatenus tibi ut eorum vero Prælato, tam in temporalibus quam in spiritualibus, in his quæ ad officium tuum pertinent pareant et intendant, ac præstent obedientiam et reverentiam consuetas. Quocirca discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus dicti prioratus onus ac præsidentiam suscipiendo, humiliter et devote commissum tibi officium, juxta datam tibi prudentiam exerceas fideliter et utiliter, ac ejus curam et regimen in spiritualibus et temporalibus geras, sicut prius. Nos enim sententias quas rite tuleris in rebelles, ratas et gratas habebimus, et faciemus, autore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, constitutionis, ordinationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beati Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum apud Turrim de Plano extra muros Barcinonis, 18 Junii, Pontificatus nostri anno XVI, anno a Nativitate Christi 1410. »

et omnes Bonifacio obedientiam præstare jubet.

Capitulum congregandi quo libuerit facultatem concedit.

Per secundam bullam Bonifacio celebrandi Capitulum generale in Domo sibi bene visa facultatem præbet Benedictus

his verbis : « Benedictus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Bonifacio Ferrerii, Priori Majoris Domus Cartusiæ, Gratianopolitanæ diœcesis, salutem et apostolicam benedictionem. Provida Sedis apostolicæ circumspectio, personarum et temporum qualitate pensata, nonnulla de novo libenter indulget, quæ subditorum quieti et animarum novit expedire saluti. Cum itaque ex Statuto et consuetudine in Ordine Cartusiensi hactenus observatis, Prior Majoris Domus Ordinis prædicti, Gratianopolitanæ diœcesis, pro tempore existens, super reformatione dicti Ordinis et aliis necessariis generale Capitulum in dicta Domo consueverat quolibet anno convocare et in eodem Capitulo præsidere, tuque ad præsens id facere commode nequeas, propterea quod Domus illa in partibus a nostra et Romanæ Ecclesiæ obedientia, inimico humani generis procurante, subtractis constituta, per schismaticorum violentiam occupatur : Nos volentes dicti Ordinis dispendiis obviare, ac ipsius professorum saluti, quantum cum Deo possumus, providere ; discretioni tuæ in Domo aliqua nostræ obedientiæ ejusdem Ordinis quam ad hoc duxeris eligendam Capitulum generale præfati Ordinis convocandi, et in eo Diffinitores pro dicto Capitulo, etiam citra numerum consuetum, et in ipsius Ordinis Statutis expressum nominandi et constituendi, ac omnia et cætera statuendi, ordinandi et faciendi, quæ tu et prædecessores tui in Capitulo dictæ Domus Gratianopolitanæ diœcesis præsidentes statuere, ordinare et facere consuevistis et potuistis, Statutis et consuetudinibus ac privilegiis Ordinis a Sede apostolica vel quibusvis aliis, quacumque autoritate et sub quacumque verborum forma concessis, etiamsi de illis et totis eorum tenoribus esset præsentibus specialis et expressa mentio facienda, non obstantibus quibuscumque, plenam et liberam tenore præsentium concedimus facultatem. Nulli ergo.... Si quis autem.... Datum apud Turrim de Plano, extra muros Barcinonis, 18 Junii, Pontificatus nostri anno XVI, anno a Nativitate Christi 1410. »

ANNUS 1410

Apud Marten. Thesaur. Anecd. V. col. 1532.

Ne igitur mandatis illius, quem ut Vicarium Christi vene-

Munus Generalis denuo Bonifacius exercet,

ANNUS 1410

rabatur, reluctari videretur, nomen et onus Generalis statim quidem recepit; sed Capituli celebrationem in annum sequentem rejecit. Promptam illius obedientiam in repetenda quam tanta cum animi hilaritate et demissione abdicaverat administratione, non omnes ex nostris Hispanis approbavere; inter quos cum Bernardus de Zafabrega, qui quondam in sæculo positus apud Aulam floruerat gratia et autoritate, tunc vero monachus Vallis Christi, suam et aliorum ea de re mentem cum sancta audacia ei aperuisset, apud eum se purgare Bonifacius non est aspernatus, in cujus gratiam Tractatum suum *de Schismate* sequenti anno conscripsit; ubi Bernardum alloquens, « primum miratur quod Patres Cartusiæ (sunt verba illius) post præstitam obedientiam Papæ Benedicto et antecessori illius Clementi per spatium triginta annorum sine ulla repugnantia, per solam suasionem sex aut septem Priorum Alemaniæ, inconsulto et inscio suo Priore (ipso nempe Bonifacio) quem sciebant interfuisse Concilio Pisano, cujus gesta ipse optime noverat, tam cito alium Pontificem secuti sint..... Deinde adjecit: Habebant illi Patres de Cartusia Prælatum indubium, et in his instructissimum. Sed forte dicent: suspectus erat. Verum quantum ad suspiciones quas illi vel alii potuissent concipere contra suum Prælatum, qui eis tunc de jure et de facto præsidebat et cui tenebantur de necessitate salutis credere et obedire, debitis circumstantiis adhibitis, nullus nisi solus Deus potest eas de cordibus hominum evellere, ex quo aliquis eas sibi persuasit. Sed consideratis iis quæ cadere possunt in humano examine, nulla suspicio vel partialitas debet vel potest sibi imponi saltem per vehementes præsumptiones quæ tollent omnes alias contrarias. Et istud allegabitur pro illis Patribus de Cartusia duntaxat (quod poterit honeste fieri), quia apud alios forte ascriberetur vanitati vel jactantiæ; tamen sequor dictum Apostoli: Si gloriari voluero, non ero insipiens, veritatem enim dicam, secundum ignobilitatem tamen dico quasi infirmus fuerim in hac parte. Certum enim erat illis Patribus quod Prælatus eorum, quamvis

haud omnibus id approbantibus.

Apud Marten. loco supracitato. col. 1440 et seqq.

Cap. 7.

Quid scripserit Bonifac. pro sua defensione.

II. Cor. 12.

Cap. 8.

ANNUS 1410

alias magnus peccator, erat tamen sicut unus ex eis qui adhærentes consiliis nostri Redemptoris dimiserant omnia quæ habebant propter Christum, odiendo patrem et matrem, uxorem et filios, domos, agros et vineas, adhuc autem et animam suam. Item quod non est nec fuit ambitiosus super honores, prælationes, dignitates, officia et beneficia ; imo sibi oblata et in aperto præparata contempsit. Item quod non est avarus nec fuit vel cupidus in persona sua, cum ea quæ sibi data fuerunt etiam intuitu personæ ex quo est Prælatus, quæ licite poterat retinere pro usibus suis, et de jure et de licentia speciali, tradidit et dedit in magnis quantitatibus dictæ Domui Cartusiæ, et antequam præsideret, Domui suæ professionis, etiam privando se de aliquibus necessariis, præferendo semper necessitates et utilitates Domorum suis propriis et alia similia. Ecce ergo unde ingeritur vehementissima præsumptio quæ illa quæ solent pervetere judicium humanum et trahere ad affectiones illicitas, videntur cessare in illo : nam omnia prædicta propter Christum arbitratus est ut stercora. Item in negotiis istis præsentis schismatis et divisionis, tantum audivit de jure et tantum vidit et scivit de facto, quantum unus solus homo qui hodie vivat in mundo ; ita quod non oportet auditum incertum et dubium ab aliis de facto informari. Intervenit enim inter Papam et Cardinales in prima substractione obedientiæ, tractando pacem inter eos per multos annos, ubi vidit et audivit hinc inde de materia currenti quantum aliquis homo istius mundi, etiam interrogando Papam et Cardinales tam citra quam ultra montanos ; seorsum etiam et in secreto, audiendo frequenter ab eis arcana verba quæ non licet homini in publico loqui ; tractavit etiam ista negotia per magnum tempus cum Dominis in Francia. Fuit in Concilio generali Perpiniani tanquam coactus, quia strictissime vocatus ; fuit etiam in illa congregatione Pisana, tanquam unus de ambaxiatoribus Papæ et totius Concilii generalis et omnium Regum et Principum illius obedientiæ. Et quamvis de jure non sit tantum avisatus ut expediret, tamen est Doctor

Suspectus esse non potest,

præsertim in negotiis schismatis,

ex eo quod fere omnia de visu cognovit.

ANNUS 1410

talis qualis ; nec ex toto, ut illis Patribus constabat, bestialis qui de his quæ audierat ab aliis in jure pro istis negotiis poterat discernere, quantum unus imperitus sibi similis.

Nec suspectus, quia Hispanus,

Cap. 9.

« Et si diceretur dilectio nationis vel patriæ forsitan vel timor provocat in hoc affectionem, istud non est verisimile. Primo, quia qui tot prospera odivit propter Christum quæ solent corda hominum et affectiones penetrare usque ad interiora velaminis et adipem concutere, et sunt intra viscera hominum et quasi naturalia, nec propter illa dimittenda vel adipiscenda commisit vel committet in suo judicio aliquid sinistrum, nullus sanæ mentis præsumeret quod propter auram tenuem affectionis patriæ perverteret judicium et consilium verum. Nec propter timorem : primo, quia in patria sua sicut est notorium toti mundo, quilibet loquitur libere, et nulli in voto suo seu consilio fit violentia vel inferuntur minæ. Item quia constabat illa Patribus a notorio quia Prælatus eorum tractans alias ista negotia in Avenione et alibi, dixit et dicebat pro bono negotiorum dura et aspera et valde displicibilia et onerosa, licet reverenter sicut decebat, tum Papæ quam Cardinalibus perseveranter et publice et ad partem ; ubi habebat majorem et vehementiorem rationem timendi, tanquam habitans cum draconibus et scorpionibus non sine minis et comminationibus, quam nunc. Si ergo in periculo tormentorum et personæ non divertit a veritate judicii et consilii, quomodo divertet in loco pascuæ et pacis, et maximæ libertatis ?

vel quia timuerit.

Nec de superbia accusandus.

Cap. 10.

« Sed dicet aliquis : Quem teipsum facis ? Videtur quod tu præferas dicta tua omnibus litteratis de Francia, et quantæ temeritatis hæc sint, tu vides. Ad quod ego : In hoc non me extollo, sed annuntio Christum et veritatem Ecclesiæ illis quibus obligor, et quibus a Deo prælatus sum a principio displicenter ; et nunc porto eos in humeris cum eadem displicentia seu majore, quorum cura a Deo mihi invito posita est, ut in extremo judicio possim dicere cum Paulo : Mundus ego sum a sanguine omnium vestrum, non enim subterfugi quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis. Ego

Act. cap. xx.

ANNUS 1410

enim non quæro gloriam meam, est qui quærat et judicet. Ille autem qui appetit nisi in Domino gloriari, quando in salutem aliquorum oportet aliquid in laudem suam exprimere, potius punitur respectu sui quam delectatur.....

Quare abdicationem retractavit et promissum immutavit?

« Restat consequenter aliquid dicere super eo quod vobis scriptum est, videlicet quod mea cessio, missa ad Cartusiam, fuit ab omnibus laudata et approbata et ego valde commendatus; et quod nunc retinendo nomen regiminis Generalis Ordinis vel Prioris Cartusiæ absorbebitur tanta fama, tanta laus, tanta commendatio, et in nigredinem infamiæ commutabitur. Videte, frater Bernarde, ego non sum cameleon qui vivit de vento vel aere, ego non pascor talibus flatibus auræ; cuilibet enim satis est de fumo assumere unum haustum *, sicut dicitur vulgo in nostra lingua Valentina. Nec ut alias jam dixi, quæro gloriam meam, nunc reputatus verax, nunc seductor, sed cupio complere voluntatem Dei cujus nomen sit benedictum in sæcula. Si enim vitæ rectitudo et fama conservari possunt, laudabile est propter proximum. Sin autem, potius est deserenda fama quam vita. Ego enim misi prædictam cessionem veridico et simplici corde, ut supradixi in principio istius scripturæ (quia optabam valde liberari ab illo onere, ut multi veridices sciebant in secreto et publice), credens quod illi Patres de Cartusia complerent quod per literas mihi missas intimaverant, elegerant, laudaverant et approbaverant, videlicet quod saltem remanerent in indifferentia, et mitterent aliquas personas Ordinis ad obedientias utrasque et informarent se de veritate, et tunc possent se applicare sicut Deus ministraret eis; et de hoc sollicitavi eos in cessione mea prædicta cum dixi : Nec dicatur inter vos, ego sum Pauli, ego sum Apollo; sed omnes dicamus : Nos sumus Jesu Christi. Sed videns eos sic se præcipitasse, quorum acta et facta revera nulla erant, tamen adhuc placuisset mihi summe, quomodocumque sive per occasionem sive per veritatem ab illo regimine liberari ex toto. Sed deducto ad notitiam Papæ (non quidem per me, imo semper celaveram ne forte per aliquos impedirer) de quo, et forte non immerito,

Cap. 101.

* De fum tot hom na prou de una golada.

Patres de Cartusia in indifferentia stare promiserant, nec steterunt.

ANNUS 1410

Bonifacium nostrum Benedictus XIII durissime increpat,

fui postea durissime increpatus; sed nescio per quos, ac etiam per Priorem Vallis benedictionis nostri Ordinis de Villanova, qui ut dicitur dedit copiam prædictæ cessionis cuidam familiari Papæ, quam portavit ad Curiam et ostendit multis, sicque finaliter devenit ad notitiam Papæ. Qui ad instantiam quorumdam Priorum et personarum Ordinis in Curia tunc præsentium, mandavit mihi absenti literas et bullas de quibus cum præsenti affixa mitto vobis copias. Et revera et
Cap. 102. sine ulla fictione suggesseram illis personis Ordinis de contrario, videlicet ut juvarent me ad liberandum ex toto. Nam notifico vobis coram Deo quod nec in sæculo, nec in Ordine delectatus sum in regimine aliorum, nec delector. Imo quasi naturaliter displicet mihi præsidere, et suppono quod partim veniat a natura quoniam mei non fuerunt dominati, tanquam de plebe humili et communi : ideo ex hoc immaculatus ero et emundabor a delicto maximo. Ac etiam ex hoc et principaliter quia video me in tantum occupatum de gubernatione animæ meæ miserrimæ, quod nescio quo me vertam, et sic nollem supra me ponere vel addere animas
Moral. 33. aliorum. Ut dicit beatus Gregorius in hæc verba : Penset ergo qui ad satisfaciendum districto judici de sua tantummodo anima fortasse vix sufficit, quia qui regendis subditis præest, reddendæ apud eum rationis tempore, ut ita dicam, tot solus animas habet. Et sive in Prophetis sive in quibuscumque libris sacræ Scripturæ, sive in libris Doctorum legere voluero, non invenio nisi minas, terrores et comminationes contra præsidentes. Considero enim quid dicat Sa-
Sap. VI, 6. pientia divina contra eos : Horrende et cito apparebit vobis quoniam durissimum judicium his qui præsunt fiet. Exiguo enim conceditur misericordia, sed potentes potenter tormenta patientur. Considerans ergo ista verba beatus Joannes Chrysostomus dicebat : Aut insanus est, aut propriam salutem odit, qui ad prælationem voluntarius venit. Tamen quia

eique regimen continuare imponit;

Vicarius Christi mihi imposuit ut continuarem regimen solitum, sine Dei offensa notoria non poteram excusare. Et si his adhuc non satiantur aliter judicantes, sinite illos, nam

processus et vita electorum talis est, ut inter infamiam et bonam famam vitam transigant, et ut seductores et veraces, etc.... ut deducit Apostolus latius. Sed hæc, frater Bernarde, ne quæso ostendatis extraneis, quia vanitati attribuere possunt. Mihi autem sufficit de his reddere rationem Deo, coram quo conscientia nec in minimo me accusat, etc.... »

quod Bonifacius invitus fecit.

Ex his patet Bonifacium solius obedientiæ causa Generalatus dignitatem repetiisse ; nec enim ad illam recipiendam ex immoderato præficiendi desiderio aut ex ambitione impulsus fuisse credendus est, qui primos honoris gradus etiam in Ecclesia occupare noluit, ut sunt Cardinalatus et Episcopatus infulæ, quas sibi oblatas respuisse innuit, cum dicit « se honores, prælationes, dignitates, officia et beneficia sibi oblata, et in aperto præparata contempsisse, cunctaque prospera odisse propter Christum quæ solent corda hominum et affectiones penetrare usque ad interiora velaminis. » Ex hac honorum contemptione orta est illi sancta hæc libertas, qua profitetur se « dixisse dura et aspera et valde displicibilia et onerosa, licet reverenter sicut decebat, tam Papæ quam Cardinalibus, publice et ad partem, » spretis etiam minis quibus eum terrere nitebantur. Sed quos fugiebat honores, eum ubique persequi videbantur, cum hoc anno, mortuo sine liberis Martino, Arragonum rege, unus fuit ex judicibus qui de legitimo successore statuerent, ut suo loco dicemus.

AD MORIENTEM REGEM MARTINUM FRANCISC. ARANDA MITTITUR.

VIII. Ad præfatum Martinum moribundum ipse Bonifacius, jubente Benedicto, mittere cogitur Franciscum de Aranda Portæ Cœli Donatum, qui ab eodem Rege super regni successore voluntatis illius testificationem exquireret. Sed de his audiamus Portæ-Cœli Historicum : « Anno, inquit, 1410, die ultima Maii, obiit rex Aragoniæ Martinus absque liberis et legitimo regni successore. Sed quam primum renunciata fuit infirmitas regis nostro Francisco, abiit cum festinatione Barcinonam ut eum visitaret ac ei ministraret : et cum in extremis laboraret, præsentibus Episcopo Majoricarum et gubernatore Cataloniæ, requisivit ab eo an vellet ut successio regni per viam justitiæ terminaretur ? Cui

Histor. ms. cartusiæ Portæ-Cœli, cap. 7. §. 6.

De successore eum interrogat.

ANNUS 1410

Rex respondit, hanc suam esse voluntatem et desiderium. Et hæc regiæ voluntatis declaratio fuit causa multorum bonorum ; nam pretensores regni quieverunt ; nec quemadmodum cogitaverant per vim armorum incederunt, spectantes determinationem juridicam fiendam. Interim quodlibet regnum unum Præsidentem generalem in ditione sua constituit, ut regnum nomine futuri Regis gubernaret et regeret ; ipsa autem tria regna congregata fuerunt ad conferendum et tractandum inter se super modum successionis, Aragoniæ videlicet in oppido Vallisroure, Valentiæ in oppido Traigueræ, Cataloniæ in civitate Dertusensi. Obortæ autem sunt multæ ac gravissimæ difficultates et dubia in re tanti momenti, cum ex ea penderet successio trium regnorum. Sed ad sedanda et facilitanda dicta dubia, vix est credibile quantum laboraverit noster Franciscus, quot itinera peregerit, quantum illi detulerint tria generalia Parlamenta, adeo ut ipsi Archiepiscopi, Duces, Magnates et deputati regnorum, ad istius pauperis Donati nostri hospitium convenirent ad tractandum cum eo quasi cum quodam Dei oraculo. Hoc ipsum testatur diligentissimus historiographus Hieronimus Zurita in Annalibus Aragoniæ, ubi agens de eo dicit : « Tanti erat momenti et æstimationis ejus sententia, et tanti ejus interventio æstimabatur, ut ad ejus hospitium venirent Archiepiscopus Tarraconensis, deputati regnorum et ambatiati Parlamentorum Aragoniæ, Valentiæ et Cataloniæ ut cum eo media concordiæ conferrent.... Residebat Parlamentum Aragoniæ in civitate Calatajudi ad deliberandum de rebus electionis, et nihil agebatur propter absentiam Archiepiscopi et Majoris Consulis Cesaragustini, quorum adventum instabat ex parte Domini Papæ Franciscus Aranda Donatus Cartusiæ in Domo Portæ Cœli, cujus in negotiis larga experientia et mundanarum rerum contemptus tanti æstimabantur, ut ulla res gravis illis temporibus tam per Reges, quam etiam in his perturbationibus absque ejus deliberatione et consilio decreta fuerit. » Et alibi item dicit : « Dominus Papa misit ad parlamenta Franciscum Aranda, Donatum monasterii Portæ Cœli Or-

Multum laborat ad regni pacem procurandam.

Lib. II. cap. 40.

Cap. 44.

Quantum æstimabatur.

Cap. 63.

dinis Cartusiensis, suum magnum consiliarium et familiarem; a multis enim retro temporibus præteriti Reges nihil magni ponderis ad Statum pertinens absque ejus voto et consilio decreverunt; tanta enim discretione et prudentia erat præditus in rebus regiminis, in pace et bello, et tam exemplares ac religiosæ extiterant cunctæ actiones ejus, cum admirabili memoria et providentia gubernationis reipublicæ et maturo intellectu, ut in omnibus summa cum religione et pietate fundaretur. »

Obitus Martini regis denunciatur in Chartis.

Per duos annos Franciscus et cæteri regni primates in tam gravi negotio desudarunt antequam verus regni successor renunciaretur, de cujus electione quam iidem Bonifacius et Franciscus cum septem aliis electoribus promoverunt ac perfecerunt post biennium dicemus. Martini obitus non fuit tunc per totum Ordinem denunciatus, propter schisma, sed post reconciliatam totam Hispaniam, plenus ei monachatus concessus est per Chartam anni 1421. Verum cum nec tunc dies obitus illius designatus fuisset, iterum post annos quatuordecim, his verbis in Charta proclamatus est : « Illustris Princeps Martinus, rex Aragoniæ, fundator Domus Vallis Jesu Christi, et ecclesiæ Domus Jesu Nazareni, habuit plenum cum psalteriis monachatum per totum Ordinem anno 1421. Sed quia dies obitus illius tunc ignorabatur, non fuit scriptum anniversarium ejus in Calendariis Domorum. Ideo cum simus nunc certificati de die qua obiit, videlicet 31 mensis Maii, scribatur in Kalendariis sub die præfata. »

Ex Charta 1435.

MORITUR H. KENEMADIUS, PRIOR DOMUS IN HOLLANDIA.

IX. Moritur etiam, hoc anno, die decima Julii, Henricus Kenemadius Prior cartusiæ Montis sanctæ Gertrudis in Hollandia, provinciæ Picardiæ Visitator, ac Angliæ specialis Commissarius; vir utique magnæ pietatis, in Scripturis divinis eruditissimus, et in tractandis negotiis sapientissimus. Fuit ille natione Westphalus, ex urbe Coesfeldia, unde sæpius ab autoribus Coesfeldius nominatus est : hincque prodiit error apud Petreium qui Kenemadium alium a Coesfeldio credidit. Ordinem nostrum professus fuerat in Domo beatæ Mariæ Monachorum, vulgo de Monichusen in Geldria, ubi

Dicitur et Coesfeldius.

ANNUS
1410

primum, licet juvenis, in Priorem electus, Henrico Calcariensi successit anno 1373. Sequenti vero, ad comitia pergens, etiam inter Diffinitores assumptus est. Triennio post, ad regimen alterius Domus nobis ignotæ, et inde ad Diestensem translatus, denique San-Gertrudensi præficitur anno 1394. Institutus postea Visitator provinciæ Rhenanæ, ad negotia difficiliora quæ hujus pessimi schismatis tempore frequentius occurrebant extricanda, sæpissime a Stephano, Urbanistarum Generali, adhibebatur; cuncta vero adeo prudenter ac feliciter expediebat, ut multas inde laudes a Patribus meruerit, ut probatur ex Chartis Capitularibus in quibus « commendatur valde pro fidelibus laboribus suis quos habuit in Visitationibus per eum factis » in Domibus Visitatorum utriusque Alemaniæ, et in aliis sibi commissis. Angliam quoque non semel visitavit cum potestate fere inaudita qua etiam Visitatores in eodem regno creare ei licebat. « Provinciam Angliæ (sunt verba Chartarum) visitabit Prior Domus Hollandiæ cum socio Priore vel Monacho quem duxerit eligendum, quem etiam toties quoties fuerit opportunum poterit mutare (rara erat his temporibus hujusmodi licentia). Committimusque ei super eamdem provinciam Angliæ nostram plenariam potestatem : qua etiam autoritate possit alios Visitatores ordinare, qui eamdem Provinciam visitent pro hac vice, in casu quo per seipsum eam visitare non posset. » Nihilominus vitæ absconditæ desiderio flagrans, sæpenumero hujusmodi sibi delegata munera nitebatur deflectere; unde sæpius tum Visitationis, tum Prioratus absolutionem magnis cum precibus petentem adhortantur Patres, « ut in his officiis propter Deum et sui magnam coronam perseveret, ac patientiam propter Deum retributionis æternæ habeat, tum in laboribus quas ei injungit sancta obedientia, tum in tribulationibus et pressuris » quas in utroque munere exequendo patitur. Post celebrationem ultimi Capituli generalis, in Domo Seizensi, quam etiam ex speciali mandato cum Priore Moguntiæ Joanne Kesselerio visitavit, apud Stephanum Generalem degit, ut eum suis consiliis juvaret, quem

Ex Charta 1404 et seqq.

Visitator extraordinarius in Anglia,

Ex Chartis ab ann. 1406 ad 1410.

Plenaria potestate Capituli donatus.

hoc anno ad Majorem Cartusiam comitatus, ut vidimus supra, inter Diffinitores annumeratus est; ibique facta nova Provinciarum Ordinis distributione, Picardiæ et Angliæ curam accepit. Revertens vero, cum officio Visitationis in cartusia Brugensi fungeretur, illic pie in Domino obdormivit, non nono, ut quidam volunt, sed decimo die Julii, ut diximus et legimus in Charta anni sequentis, ubi denuntiatur ejus obitus cum pleno monachatu. Ejus memoria celebratur in Auctuario Raissii ad *Natales Sanctorum Belgii* Joannis Molani, ibique Beatus nuncupatur. Ut multis ad salutem æternam etiam post mortem suam proficere posset, præter vivi sermonis fructus quibus suos vivens pascebat, varios edidit Tractatus. Scripsit namque Commentaria in Exodum mystice; in profundissimam D. Apostoli Pauli ad Romanos Epistolam. Item tractatum insignem, candidum, luculentum *de tribus Votis substantialibus,* quem in duos divisit libros, sumens pro themate verbum imprimis salutiferum : Nolite diligere mundum ; asservatur Lovanii apud Martinianos, teste Joanne Bunderio ; Tungris quoque apud Regulares et apud Camberonenses in Hannonia. Item contra proprietatis vitium detestandum, quod Religionis præcipuum est toxicum, speciale scripsit opus; necnon *de tribus Custodiis monasticis*. Sed et librum de Novitiorum Institutione per sex et triginta capitula distinctum, qui extitit, ut asserit idem Bunderius, Diestensi, Antverpiensi sive Lyrana et Gandavensi cartusiis. Quin et *Circumcisorium mysticum*. De sacrosancto Altaris sacramento tractatus diversos compegit, meditationibus et orationibus devotissimis refertos ; extantque in præfatis Domibus, et præcipue in Moguntinensi, sub nomine Henrici de Kenemade et sub titulo *de utili Institutione venerabilis Sacramenti :* unde alium autorem aliumque tractatum credidit Petreius, cui hujusmodi error facile condonandus est, cum fateatur hunc tractatum se non vidisse ; sed constanter affirmant nostri Moguntinenses eumdem esse autorem et idem opus, idque ex manuscriptis apparere. Libellum quoque de Annunciatione beatæ Mariæ cujus fide

ANNUS 1410

Bost. de Viris illustribus Ordin. Cartusiens. Cap. 13.

Plura scripsit.

In Append. ad Bibliothec. Cartusian.

ANNUS 1410

et beneficio adhuc vivimus, seu de Conceptione Dominica. Elogium etiam breve elucubravit divi Pauli eremitæ; Sermones de tempore et Sanctis, qui etiam reperiuntur in cartusiis Lyrana, Seizensi et Brugensi. Et ex his duo etiam asservantur in bibliotheca civitatis Basileensis, scilicet sermo de sancto Joanne Baptista, et alius de sancta Maria Magdalena, in-quarto, quos edidit dum cartusiæ Diestensi præerat, ut colligimus ex catalogo Theophili Spizelii. Sed et alia multa de Confessione, de Indulgentiis, de participatione Missarum et tricenariorum..., et hujusmodi conscripsit. Insuper et Guillelmi Parisiensis episcopi arduum plane opus de Universo corporeo et incorporeo, « mira industria, ut ait Trithemius, perlustrans, brevi compendio pulchre constrinxit. » Denique, epistolas quamplures verbis ornatas, fœcundas sententiis, ad diversos conscripsit, quas etiam apud Patres Lyranos reperiri Petreius asserit. Hunc nostrum Henricum, præter citatos autores, alii plures laudibus ornarunt, ut sunt Sixtus Senensis, Possevinus, noster Sutor, Eisengrenius, Sanderus, Swertius et alii recentiores. Huic Henrico alterum ejusdem nominis subjungimus, nisi sit idem, cujus agnomen in Cœckium corrupte forsan a Bunderio mutatum fuerit. Ut ut sit Henrici Coeckii, nostri Ordinis professi, quia tempus quo vixerit ignoratur, hic meminimus, noti soli Bunderio, a quo ei tribuitur tractatus *de Reformatione Monialium*.

Spizel. Catalogus librorumBibliothecæBasileensis.

Lib. de Scriptor. ecclesiastic.

In Catalog. Mss. Belgii.

AYNARDA, PRIORISSA BERTAUDI OBIIT.

X. Eodem anno obierunt in Domo Monialium Bertaudi Aynarda Argouda priorissa, et Alionora de Bisinia antiquior monialis : hæc signatur in vetusto ejusdem parthenii Calendario ad decimum Augusti, illa vero ad 27 Julii. Utramque secutæ sunt novem aliæ personæ ; de quibus Charta anni sequentis hæc habet : « Obiit soror Alionora monialis Bertaudi, cum novem aliis personis Ordinis in eadem Domo hoc anno defunctis, quæ habent tricenarium. » Idemque beneficium conceditur præfatæ Aynardæ Priorissæ, cujus obitus superius in eadem Charta recensetur. Hæc, antequam ad Prioratum eveheretur, ardentioris studii erga Pontificem Romanum contra Clementem impetu agitata, quasdam tur-

Vid. ann. 1393.

bas inter suas Sorores excitaverat, sed postea a Superioribus commonita et adjuta, adeo sui animi motus immoderatos coercuit et ad tantam reduxit moderationem, ut summæ modestiæ perfectæque humilitatis specimen cunctis sororibus evaserit. Hincque factum ut anno 1407, die 15 Januarii, mortua Alamanda ejusdem Domus antistita, in suam Matrem et Priorissam omnes uno animo unaque voce eam elegerint. Aliquandiu electioni suæ obstitit, sed jussa a superioribus, regimen velut a Deo sibi impositum accepit. Hinc ei de illius modestia quidam nostri Ordinis monachus, ejus etiam secundum carnem propinquus congratulatus est, scripta ad eam fusissima epistola quæ merito Tractatus dici potest, in qua postquam multa disseruit de mediis quibus utiliter præesse ac prodesse debet, adhuc plura subdit ac suggerit, quibus possit ad virtutis culmen quandoque pervenire, hancque suam exhortationem, brevem vocat perfectionis formulam. Sic autem incipit hic Tractatus :

ANNUS 1410

Ad eam quidam Cartusianus mittit epistolam, de utili monialium regimine.

« Venerabili ac dilectissimæ Dominæ religiosæ Aynardæ, Priorissæ Domus Bertaudi, Ordinis Cartusiensis, frater Franciscus, ejusdem Ordinis professione monachus, et conversatione peccator, seipsum quantulus est, ac quicquid gratiæ et dilectionis impendere sibi possunt absentes. Charitate connexi puto et me debere tibi et mihi deberi a te, nedum ob consortium propositi et professionis, verum etiam ex debito naturæ et invicem generis affinitate ; quanto magis in Christo et in Ecclesia ! Unde et pro dilectione felicitatis perseverantiam in sanctitate, et pro præmio sanctitatis, æternitatem in felicitate : congratulor quippe in gratiarum actionem, quod secundum Sanctorum Patrum monita, ad ministerium Regis non solum vocaris sed traheris potius, cogente obedientia ut fertur. Quapropter libens te laudarem et jure laudarem, si me non revocaret illa sententia : Neminem laudaveris in vita sua, etc... Nam, carissima, cathedra quam nuper sortita es, hominem utriusque sexus multorum expetit meritorum... Animadverte, carissima, quia manum tuam misisti ad fortia, unde opus est fortitudine ; speculatrix Domui Israel

Autor Domn. Aynardæ affinis erat.

ANNUS 1410

facta es, opus est prudentia, etc. » Deinde postquam pluribus quanta reperiantur pericula in animarum gubernatione : « Durus, inquit, ne tibi videar, carissima, quia non blandior, sed metum incutio ; quamquam consobrinæ meæ cupio initium sapientiæ, timorem Domini sanctum. » Denique totum hoc opusculum his verbis concludit : « Hæc ergo brevis doctrina pro vitæ tuæ formula tibi sit tradita, in qua Summa summarum totius perfectionis consistit, quia a divina Sapientia cuidam discipulo revelata esse legitur. In qua si diligenter studueris et fideliter effectui mancipare curaveris, beata eris, et quodammodo æternam felicitatem in hoc fragili corpore inchoabis ; quod utique tibi conferat qui sine fine vivit et regnat.... etc. »

Quamdam perfectionis Summam ei tradit.

His sui consobrini monitis et documentis erudita, sapientissime Aynarda usque ad obitum præfuit. Præfatus vero Franciscus cognomento Vanelli, vir fuit, ut ex ipsa epistola apparet, doctus ac pius, quem Patres, quibus apprime notus erat, anno 1394 ad clavum Domus Sanctæ Crucis in Jaresio vocaverant, et inde ad regimen Monialium Poletensium. At ille, obtenta repetitis precibus absolutione, in solitudinem rediit, ubi tandem pie defunctus est anno præsentis sæculi vigesimo septimo.

Ex Charta 1404.

J. ACHON INTER MORTUOS CHARTÆ RECENSETUR.

XI. Præterea, inter mortuos Chartæ hujus anni recensetur « Magister Joannes Achon Ordinis Prædicatorum, » quem Joannes Juvenalis Hatonem cognominat, dicitque quasdam ab eo propositiones erroneas anno 1395 Benedicto XIII oblatas fuisse, præsentibus Principibus regii sanguinis. Has propositiones Juvenalis erroneas vocat, quod scriptæ essent contra viam cessionis quam Rex Galliæ et Universitas Parisiensis ad tollendum schisma necessario tenendam esse decreverant, ut suo loco diximus. Eas quoque Regi et Universitati injuriosas fuisse scribit Spondanus. Sunt autem sex numero, et modo asservantur in quodam codice bibliothecæ Majoris Cartusiæ, sicque incipiunt : « Pater beatissime, istæ propositiones sequentes cum ipsarum motivis fuerunt in conferendo tractatæ inter quosdam vestræ Sanctitatis filios

In Vita Caroli VI.

Ad ann. 1395, n. 4.

pro veritate et communi utilitate zelantes, quas quidem decreverunt esse eidem Sanctitati cum correctione et omnimoda reverentia intimandas, etc. » Extat in eodem codice alius tractatulus ejusdem autoris cuidam Cardinali oblatus contra formam jurisjurandi ab ipsis Cardinalibus, antequam ad electionem procederent, confectam, sicque inscribitur : « Scriptum magistri Joannis Acon, » et ita inchoatur : « Reverende Domine mi, in juramento præmisso, si placeat, attendatis ad duo, etc. » Porro autorem fuisse nostris Patribus amicum ex eo conjicimus quod tricenarium post obitum meruerit.

ANNUS 1410

BELLUM POLONOS INTER ET FRATRES THEUTONICOS.

XII. Cruentum hoc anno in fratres Teuthoniæ, seu Cruciferos Prussienses, a Polonis gestum est bellum. Inter Nobiles qui Theutonicis opem tulerunt, emicuit Erkingerus Schwartzenbergius, novæ Domus Astheimensis fundator, qui congregata magna militum multitudine, in Prussiam profectus est ; multis interim hinc inde confectis certaminibus, cessit tandem victoria Polonis, occisis in parte Cruciferorum multis millibus, captisque non paucis, inter quos noster fundator ad Regem Poloniæ captivus Cracoviam ductus est. Post aliquot menses liberatus, ad sua non sine honore rediit.

MULIERUM INGRESSUS DENUO PROHIBITUS.

XIII. Denique, in comitiis generalibus hujus anni, specialis ordinatio pro quadam Domo provinciæ Aquitaniæ contra ingressum mulierum edicta est, quam hic subjicere decrevimus, quod quædam singularia notatu digna contineat, estque hujusmodi :

« Nos, frater Joannes, humilis Prior Majoris Domus Cartusiæ, cæterique Diffinitores Capituli generalis, dilectis nostris Priori et Conventui Domus N., salutem in Domino. Quamvis ex forma et ex institutione dicti nostri Ordinis et secundum formam et tenorem Statutorum nostrorum, singulæ Domus dicti nostri Ordinis habeant et habuerint ab antiquo circa cellas Monachorum et Fratrum certum spatium competens aut pratum pro terminis ipsarum Domorum datum et assignatum, et ad recreationem ipsorum Fratrum certo tempore concessum, ut plenius constat in dictis nostris Statutis, infra quos terminos quantum in nobis est non permit-

Ad recreationes pratum circa cellas est concessum.

ANNUS 1410

timus intrare mulieres nec animalia extranea, aut personas per quas posset dari impedimentum Fratribus, maxime cum in ipso spatio vel prato certo tempore Fratres conventuales possunt dicere certum divinum Officium : nihilominus ad nostrum pervenit auditum quod aliquando permisistis intrare et depascere animalia extranea in prato circa cellas vestras constituto cum mulieribus et puellis ipsa animalia custodientibus et usque ad muros cellarum vestrarum ducentibus, et ibidem cantantibus et tumultum facientibus in auditu singulorum vestrorum. Et infra Domum inferiorem seu Correriam nonnunquam mulieribus habitationem et victualia tribuistis, contra formam Ordinis nostri prædicti et Statutorum nostrorum atque privilegiorum Papalium ipsa statuta et statuenda in Ordine nostro confirmantium, ac per hoc in grande periculum animarum vestrarum, si ita sit; maxime cum alias ad prædicta cavenda fuerit ordinatum per Capitulum nostrum generale, ut sequitur : Prohibemus in virtute sanctæ obedientiæ, et cætera..., quæ habes suo loco. Propter quod vobis et vestrum cuilibet districte præcipimus et sub pœna expulsionis a Domo propria, cum disciplina competenti et sub omni alia pœna quam incurrere poteritis erga nostrum Capitulum contrarium faciendo, injungimus vobis ut secundum formam Statutorum nostrorum, prout in vobis est, non permittatis intrare mulieres neque animalia extranea, causa depascendi infra pratum circa cellas vestras constitutum, neque infra Correriam et clausuras ipsius. Datum in Cartusia Majori, die 23 mensis Aprilis, anno Domini millesimo quadringentesimo decimo, sub sigillo ipsius Domus in testimonium præmissorum. »

Vid. ann. 1375.

Infra pratum nec mulieres, nec animalia depascendi causa, admittantur.

Hæc inhibitio ad Prioris ejusdem Domus petitionem consulto facta fuerat verbisque ab ipso Priore meditatis ac suggestis concepta, ut sub illius specie occasionem arriperet mulieres eliminandi a circumjectis suæ Domui locis; sed inanes fuere illius conatus, cunctis vicinis non solum Patrum prohibitionem sed et summorum Pontificum privilegia his pessimis temporibus despicatui habentibus.

* JESU CHRISTI

ANNUS 1411.

Joannis PP. XXIII	Ordin. Cartus.	Joannis III. Pr. Cart.
Ann. 2.	Ann. 328.	Ann. 2.

I. REDEMPTORIS annus millesimus quadringentesimus undecimus cum quarta incipit Indictione, quo primum Hispanis Cartusiensibus, juxta facultatem a Benedicto XIII (quem verum et unicum Pontificem credebant) concessam, separatum generale Capitulum in cartusia Vallis Jesu Christi juxta Segobriam celebrantibus, idem Antipapa literas dedit se suosque eorum precibus commendans, ut narrat Civera Cartusianus : « Cum jam, inquit, tempus celebrandi comitia generalia instaret, scripsit Papa Prioribus in Domo Vallis Christi congregatis epistolam in hunc modum : Dilectis filiis Priori Majoris Domus, et cæteris Prioribus et Fratribus Ordinis Cartusiensis, in generali Capitulo apud Vallem Jesu Christi, Segobricensis diœcesis, de proximo celebrando congregatis, salutem et apostolicam benedictionem. Dilecti filii, appropinquante vestri generalis Capituli solemni celebritate, nobis in itinere constitutis se facultas opportuna non exhibet apud vos prolixioris scripturæ vacare mysterio, sed ne in oblivionem præterisse videatur mos laudabilis, quem Sedes apostolica consuevit annis singulis observare, exhortationis verba depromere in caritate satagimus. Nostis, filii carissimi, quanta mundum nostris temporibus tempestas involvit, quot sunt schismata in Dei Ecclesia suscitata non sine periculo multarum animarum, quot etiam in Christiano populo non faciliter

PATRUM HISPANORUM GENERALE CAPITULUM,

Ex Histor. Portæ Cœli, sæpe laudata.

in Domo Vallis Christi celebratur,

ANNUS 1411

numeranda discrimina ministri Satanæ procurarunt ; quia plura cernimus quam in codicibus legimus, ad explicandum per singula non descendimus, sed Christi Dei nostri ducti discipulorum exemplo, ad cœleste præsidium confugimus, caritatem vestram paternis obsecrantes affectibus, quatenus in hac sacra vestra Congregatione nos inter tot persecutionum fremitus, in mari hujus sæculi fluctuantes, orationum vestrarum velitis tabula sustentare et Moysis manus debiles genuaque infirma juvare, ut ipse Deus qui potest et solus qui novit in his congruentia ministrare remedia, nos non permittat ex humana fragilitate deficere, sed corroboret humeros debiles ad tanti oneris sarcinam facilius portandam, et tandem concedat in Ecclesia sua sancta, extirpatis vepribus jurgiorum, perpetuam tranquillitatem et pacem. Nec vos terreat, filii amantissimi, si pauci fideles sitis, procurante inimico homine, a pluribus derelicti. Nam in exordio nascentis Ecclesiæ post Christi Passionem in paucis fidem remansisse sacra Scriptura commemorat, et Dominum exercituum in paucis fidelibus consuevisse multorum domare superbiam. Agite ergo viriliter, et in Domino figite anchoram spei vestræ. Ipse enim pius et misericors, qui cum iratus fuerit non obliviscitur misereri, non dabit in æternum fluctuationem justis, sed dimittet si quod conscientia metuit et adjiciet quod oratio non præsumit. Nos vero devotionem vestram spiritualiter consolantes, Indulgentias vobis solitas apostolica autoritate concedimus, et aliis beneficia temporalia mandavimus suffragia ministrare. Datum Bonifacani, Dertusiensis diœcesis, sub signeto nostro secreto, vii Idus Maii, Pontificatus nostri anno XVII.

approbante Benedicto XIII.

Domus de Covis Ordini adscripta.

« In hoc Capitulo, inter alia quæ fuerunt ordinata, est incorporata Ordini nostro Domus de Covis juxta Hispalim, quæ circa 1398 cœpit fundari a reverendissimo Archiepiscopo ejusdem civitatis D. Gunsalvo de Menna, in hæc verba : In nomine Domini nostri Jesu Christi, et ad honorem ejusdem genitricis semper virginis beatissimæ Mariæ, incorporamus Ordini nostro Domum beatæ Mariæ de Covis Hispalensem,

et eam recipimus in nostri Ordinis legitimum membrum; cui præficimus in Priorem et Pastorem D. Joannem Fernandum, ibi antea Rectorem; imponendo sibi quod cellæ et cætera omnia quæ ædificantur, fiant secundum morem Ordinis.

ANNUS 1411

« Per id tempus, omnium Bonifacii Ferrerii filiorum superstes, Joannes nomine, operante manu Domini in illo, petiit habitum nostri Ordinis in hac Domo Vallis Christi et obtinuit, sed R. P. Domnus Bonifacius ipse induit Joannem veste monachali, assumens pro themate exhortationis quæ fieri solet, verba illa psalmi : Filius meus es tu, ego hodie genui te; applicans illa sibi, qui licet esset ejus pater secundum carnem, revera illa die eum regenerabat in spiritu secundum Deum. »

Filius Bonifacii Ferrer. e manibus ejus habitum Ordinis recipit.

II. Hoc etiam anno, die septima Januarii, feria quarta, in crastino Epiphaniæ, Bonifacius Ferrerius scripsit « celeriter », ut ipse ait, hunc diffusum Tractatum quem suo Thesauro inseruit D. Martene; « in quo, dicit eruditissimus editor, multa habes singularia scituque dignissima, quæ alibi facile non reperies. » Hunc vero Tractatum confecit Bonifacius « ut responderet ad ea quæ adversus se dicebantur in quodam Memoriali, directum per fratrem Guillelmum de Mota, monachum et Procuratorem Cartusiæ Majoris », ad fratrem Bernardum de Fabrica * ejusdem Ordinis, in Domo Vallis Christi. Guillelmus etenim advenerat in Hispaniam « pro expeditione quorumdam temporalium Domus suæ », et verbis atque scriptis vitio dabat R. Patri D. Bonifacio quod « postquam officio Prioris Cartusiæ cessisset, curam et regimen Ordinis gereret ut prius ; » itemque teneret partes antipapæ Benedicti, relicto Alexandro, legitimo (sicut ei videbatur) Pontifice. Ut ista refelleret, Bonifacius suum scripsit Tractatum quem, brevitatis causa, paucissimis his verbis contrahimus : Congressus, inquit, Pisanus, cujus artificia miserrima vidi et expertus sum, non Concilium sed conciliabulum merito dicitur : ergo nec Pontificem deponere nec alium in ejus sedem collocare poterat; ideo ut antea Bene-

TRACTATUM DE SCHISMATE SCRIBIT BONIF. FERRERIUS.

Tom. II. col. 1435 et seqq.

* *al.* de Zafabrega.

Congressus Pisanus Conciliabulum est dicendus.

ANNUS 1411

dictus XIII verus stat Christi Vicarius, et qui electum Pisanum (i. e. Alexandrum) sequitur, schismatici notam incurrit. Ille autem legitimus Pontifex Benedictus voluit et mihi mandavit quatenus, tanquam Prior generalis majoris Domus Ordinis Cartusiensis, omnia quæ ad officium meum spectarent, tam in spiritualibus quam in temporalibus, proinde exercerem ac si cessio mea et alia quæ supervenerit (i. e. cessio Stephani Maconi) nullatenus præcessissent. Haud parere mandatis summi Pontificis mihi fas non erat nec feci : unde sicut Benedictus est legitimus Dei Vicarius, ita et ego, licet indignus et invitus, Cartusiensis Ordinis legitimus sum Minister generalis. » Hujus Tractatus postrema verba mirabilem humilitatem redolent : « Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo, frater Bernarde; nec ego scribere propter festinantiam portitoris et solemnia festa occurrentia : ideo indigeste et repente scripsi. Et sic mittatis eis illa quæ vobis cum consilio Priorum qui vobiscum sunt, videbuntur congrua ; quia ita grosso stylo et rudi decocta sunt, imo cruda, quod non apponerentur in qualibet mensa honesta : supponendo tamen omnia et singula correctioni sanctæ matris Ecclesiæ et cujuslibet melius sentientis. Et valete semper in Deo et Domino nostro Jesu Christo, cujus nomen sit benedictum in sæcula, amen : qui vos et nos conservet sine querela usque ad introitum suæ gloriæ, amen; et orate pro me. Scripta et perfecta celeriter die Mercurii in crastino Epiphaniæ Domini, anno a Nativitate Domini 1411 ; per manum rudem vobis notam. »

Guillelmus de Mota Benedicto XIII adhæret,

Die vero 19 Junii hujus anni, cartusiam Vallis Christi advenit prædictus Guillelmus de Mota, et causam Capituli Cartusiæ Majoris (quum anno 1410 congregationi Pisanæ adhæsisset) valenter defendit ; præsente ipso R. P. Bonifacio, qui suum ei Tractatum porrexit discutiendum. Guillelmus autem, eo lecto, dolore cordis tactus intrinsecus et ad meliora, ut opinabatur, conversus, Benedicto XIII obedientiam humiliter præstare festinavit. Rem narrat Ferrerius per epistolam supradicto fratri Bernardo directam in hunc modum :

ANNUS 1411

Martene, loco citato. col. 1529.

« Frater Bernarde, noveritis quod postquam misi vobis prædicta, dictus frater Guillelmus de Mota fuit ad me in hac Domo Vallis Jesu Christi, die Veneris 19 Junii anni præsentis, pro expeditione quorumdam temporalium Domus Cartusiæ ; totus obstinatus et imbutus de erroribus suæ consuetæ perfidiæ, excusans coram me, verborum multiplicatione, ea quæ commiserant et perpetraverant in Cartusia adhærendo illi Congregationi Pisanæ, quam vocabant Concilium Ecclesiæ. Et ego post aliqua pauca tradidi sibi ad legendum, dum deliberarem super his pro quibus venerat, præsentem *Speculam,* quam tenuit per multos dies ; finaliter nullo inducente aut impellente nisi solo Spiritu Sancto, cum abundantissimis lacrymis et singultibus venit ad me, asserens se enormiter errasse et alios errare fecisse, et esse in statu damnationis, paratus sustinere vincula, carceres et mortem pro veritate nostræ fidei et credentia Domini nostri Papæ summi Pontificis, Domini Benedicti XIII ; obtestans publice et promittens quod si ante eorum Anticapitulum ista vidissent, quod omnes fuissent antea mortui quam consensissent illis erroribus et falsitatibus adversariorum. Quamvis enim prædictum opusculum pro aliqua parte sibi misissem, tamen quia devenit ad manus illius Prioris Parisiensis intrusi in Cartusia, statim occultavit, ne ad alicujus notitiam deveniret ; volens se et alios in consueta cæcitate et perfidia conservare, et a veritatis notitia elongare. Tandem in nomine Domini dictus frater Guillelmus de Mota, die Veneris tertia Julii ejusdem anni, veniens ad me cum magna humilitate et devotione, et uberrimis lacrymis, petiit humiliter se absolvi et reconciliari, paratus recipere quamcumque pœnam vel pœnitentiam sibi imponendam, ac cætera facere et complere, etc. ; et ego videns ejus humilitatem et ferventem devotionem, abjurato potius per eum schismate publice et solemniter, de nunquam adhærendo illi damnatissimo intruso Baltasari Coxa, (vocato ab aliquibus filiis diffidentiæ Joanni) vel suis complicibus, vel dare sibi vel suis sequacibus auxilium, consilium, seu favorem, verbo, vel facto, etc., absolvi eum, habilitavi, et

se enormiter errasse reputans dum partes Alexandri V sequeretur,

super quo pœnitentiam petit, accipit et complet.

ANNUS 1411

dispensavi, etc., autoritate apostolica, suspendendo eum ad tempus a celebratione Missæ, et quod esset Novitius; quodque cum magna humilitate et devotione recepit et implevit, et sic nunc reductus ad suum statum et locum, more solito in fervore devotionis perseverat. Ista scribo vobis ut gaudeatis, quia ovis quæ perierat inventa est; orando Deum ut cæteros obstinatos illuminet et ad viam veritatis reducat. Amen. Saluto omnes; orate pro me. Scripta in Domo Vallis Jesu Christi, ultima Julii, an. a Nativitate Domini MCCCCXI. Bonifacius Prior Cartusiæ nunc per schismaticos occupatæ. »

AD STEPH. MACONI CONCURRUNT SENENSES.

Lib. IV. c. 1.

III. Generale Capitulum, ut vidimus anno superiori, Reverendum Patrem Stephanum Maconi Domus Pontinianæ, Senensis diœcesis, Priorem instituerat; quæ vero ibi egerit sic narrat ejus Vitæ autor : « Senas statim atque Stephanus pervenit, magni repente ad Pontinianam cartusiam amicorum hominum concursus, beatum Virum invisendi gratia post tot annorum ejus a patriis tectis absentiam, facti sunt. Jucundum enim erat complurium civium singularem cernere erga Stephanum observantiam pariter ac venerationem virtutis nomine partam....

« Quæ dein vero liquidæ voluptatis solatia ceperinti idem Pontiniani Monachi, oculis ipsimet suis aspicientes quem sæpenumero cogitatione menteque requirerent, per se quisque intelligant qui purum christianæ jucunditatis sensum intra se fovent, miroque flagrant desiderio suum explendi animum exoptato conspectu consuetudineque viri, præsertim quem Deus in terris cœlestibus exornaverit muneribus. At brevi tanto illis perfrui bono licitum fuit, per vim quodammodo illud aliis rapientibus, ut mox uberius dicemus. Ergo antequam Stephanus regustatum vix patrium cœlum iterum relinquat, pergratum me facturum reor hoc loco adnectere quod illi sub id maxime tempus accidisse scribunt; dignum profecto quod silentio minime prætereamus. Inter præcipuos arctiori Stephano nostro consuetudine ac benevolentia devinctos, Senis etiam tunc degebat, etsi morbo conflictatus, Christophorus Gani Guidini civis noster, magnique noso-

ANNUS 1411

comii (cui ab Scala est nomen) publicus scriba. Qui vir, ut alias alio volumine me scripsisse memini, primus omnium tanquam ejus temporis æqualis, res præclare gestas a sanctissimo viro Joanne Columbino posteritati literis commendavit; atque progrediente dein tempore ac perfectioris vitæ desiderio eum maxime stimulante, totum sese ad arbitrium nutumque seraphicæ virginis Catharinæ in rebus spiritalibus agendis composuit : atque ideo collegam illum Stephanus haud nunquam habuit conscribendis ejusdem virginis seraphicæ literis. Hunc igitur graviter ægrotantem ac diu multumque ægre animam trahentem, pro veteri amicitia Stephanus, Angelo Salvetto e Franciscana familia viro optimo comitatus, invisit. Quem ut primum Christophorus est intuitus inque ejus e cubili ruit amplexus, in hæc illico prorupit verba : Advenisti jam tandem Pater, longe omnium mihi amicissime! immortales proinde Deo gratias ago quod voti compos sum factus, quod te video teque fruor, atque istuc quidem est quod libentius nunc abeo de vita. Hæc eo dicente Stephanus confestim de summa Dei clementia deque certo seraphicæ matris patrocinio erga filios suos in terris degentes, sermonem instituere est orsus. Inter loquendum Christophorus incredibili mentis dulcedine perfusus, se paululum erexit et oculis ad astra sublatis perinde ut se Deo vocanti responderet, animam placidissime efflavit; cunctis qui aderant stupore plane attonitis, agitantes animo Christophorum tamdiu spiritum duxisse dum illi Stephanus præsens adfuisset.

Amicum morientem invisit.

« Interea Ticinensis cartusiæ Patres, durissimis undique cincti molestiis propter ejusdem urbis Ticini bellum, quam difficili obsidione subactam Facinus Canis potiundæ illius causa acriter premebat; sed multo durius diuturnis divexati curis pressique angustiis, ob dirissimas exactiones quibus dux Joannes Maria per causam sustinendi belli adversus sui dominatus rebelles, eos impotenter exagitabat, non incommode sibi cecidisse putavere Stephanum in Italiam fuisse reversum, perpetuo in ea mansurum : quoniam unum illum maxime idoneum futurum sperabant, qui sua autoritate et

Instituitur Prior Domus Papiensis,

Cap. 2.

ANNUS 1411

gratia morum sanctimonia apud Principes parta, tot eos molestiis atque dispendiis facile esset levaturus. Quas Patrum ærumnas quamvis Stephanus antea percepisset, uti sæpe illorum causa vehementer indoluerat, non tamen eo ipsi contenti erant; ut in præsentia in spem venerant illum apud se accersendi, magna inde concipientes animo fore : videlicet ut quæ Dux ferus per summam potestatem, nescio an dicam impietatem, ab eis vel extorserat vel ab aliis occupari permiserat, uno supplice Stephano essent de integro repetituri. Igitur Patres Stephani percupidi, crebris literis ejus animum sollicitant ut disponat sese, annuente maxime Ordinis Primate, ad eos tot incommodis eximendos ; atque uno eodemque tempore ejusdem Ordinis principis Patris autoritatem requirunt, eo certe consilio ut prorsus negarent se posse non modo perficere inchoata ad efferendam cœnobii structuram, sed ne per potestatem quidem usurpata bona recuperaturos, nisi unus Stephanus ejus ex imperio onus curamque Domus administrandæ suscipiat. Ne igitur tam salutari justoque desiderio fraudarentur in tempore, rogant, orant ut jubeat pro potestate talem sibi virum præfici, quem secundum Insubriæ principes autorem tantæ molis noverant initio. Quorum precibus honestissimisque votis permotus generalis Præses, satisque consentaneum atque etiam ultro decorum ratus novæ Domus in præsentia deservire utilitati, patentibus literis Stephano, Martio mense, hoc abeuntis sæculi anno 1411 datis, mandat ut se conferat ad novam Ticinensem cartusiam regendam, æquissimis ejus Patrum studiis obtemperaturum : ea tamen lege ut quæ adversus eum e proxime præterito generali Conventu dimanarunt decreta in suo robore maneant, (quæ ejus personam maxime respicerent quam universo cœtui ad totius Ordinis decus et commune bonum retinendum cohonestare placuit); id quo commodius fiat, Hugonem Domus in præsentia moderantem habenas recenti exædificationi Mantuanæ cartusiæ Rectorem præficit, id optime approbante Francisco Gonzaga Mantuæ regulo, novæ illius sedis id temporis conditore. Ergo Stephanus jussa

ut hanc Domum a multis incommodis eximere valeat.

ANNUS 1411

generalis Præsidis amplexus, iterum ad Insubres iter intendit; Joanne Baptista Vannucio Senensi in sui locum ut Pontiniano cœnobio præesset subrogato; cum magnum ob idipsum Senensibus in discessu sui desiderium reliquisset magnoque Pontinianos monachos affecisset mœrore : quos tamen eo demulsit solatio, ut pretiosi pignoris loco annularem sinistræ digitum suæ seraphicæ Matris reliquerit. Enimvero non dubium nihil eo carius Stephanum suis in thesauris habuisse, ut qui exploratum haberet quantum præsidii ponendum esset in patrocinio ac tantæ virginis tutela cœlitus admixtæ consortio. Quanta vero gratulatione a Ticinensibus Monachis exceptus fuit Vir beatus, quæque dein fuerit utrorumque in sancto complexu congressuque spiritus exultantium jucunditas, vel ex eo exputari potest quod scilicet tantopere eum averent in quo Domus totius bonum ac tranquillitatem sitam esse confiderent. Nec a vero aberrare in eo visi sunt. In tantis enim adeoque duris domesticorum incommodorum difficultatibus eos versari reperit, Duce ipso Joanne Maria eis infesto; ut dum pius Pater omni studio tentamentoque curat eorum animum a molestiis abducere, magnis et ipsum non vacare animi perturbationibus necesse sit. Cernens oculis ac diu noctuque versans animo spreta fuisse pia primi Ducis in rem cœnobii legata, Patres justis suis fortunis spoliatos, et omnia denique eo redacta angustiarum ut, amicorum liberalitate exhausta, de sanctis illis et rudibus etiam tum sedibus deserendis plerique Patrum cogitarent. Non enim deerant qui passim dictitarent tam operosam magnificamque structuram anachoreticæ disciplinæ simplicitatique adversari, quam universus Cartusianus Ordo cunctis ad exemplum sanctæ cujusdam rusticitatis ad eam usque diem professus fuerat. At vero Stephanus cujus virtus totius erat cœnobii, divino fretus auxilio, cum ad non dubiam spem eos in dies erigeret, fore nimirum ut Deus cujus causa agebatur eos defendendos tuendosque susciperet, læti ac de præsentia sui amantissimi cœnobiarchæ gaudentes, haud gravate in miseriis quiescebant. »

Pontinianis monachis digitum S. Catharinæ concedit.

Papienses Patres consolatur.

ANNUS 1411

MOGUNTINUS PRÆSUL MOGUNTINÆ CARTUSIÆ BENEFACIT.

Recitatur apud Serrar. Histor. Mogunt.

IV. Eo tempore, vel circiter, Joannes II Moguntinus Archipræsul nostris ejusdem civitatis Cartusiensibus exemptionem a præstatione subsidiorum concessit verbis adeo honorificis ut ea commemorare nobis gratum sit : « Johannes Dei gratia sanctæ Moguntinæ sedis archiepiscopus, etc. Universis et singulis, tam præsentibus quam futuris, ad quos præsentes nostræ literæ pervenerint, salutem in vero omnium salutari. Religiosis sanctarum devotionum locis personisque in eisdem degentibus, qui divina eis aspirante Clementia, in corporali maceratione pro corona legitime certant gloriosa, illa eis utique munera concedere nos delectat gratiarum, quibus in agricultatione minus impediri valeant Crucifixi ; ac eo liberius, tamquam opportunam partem eligentes, altissimo Patri luminum militare. Quanquam igitur sacra Domus Ordinis Cartusiensis in monte S. Michaelis extra muros Moguntinenses, per felicis recordationis quondam dominum Petrum, tamquam inceptorem, et consequenter quondam dominum Mathiam velut consummatorem, archiepiscopos Moguntinos, prædecessores nostros, pro divinæ laudis cultu, Beatæ Mariæ, Dei genitricis, ac totius curiæ cœlestis veneratione condigna laudabiliter sit fundata et feliciter instaurata, in qua quidem Domo quamplures, tam clerici quam laici, hujusmodi pomposas relinquentes vanitates, æternæ vitæ præmia sequentes, largientis fructus honoris et honestatis in pinguedine Spiritus prætulerunt et præferent de futuro, et ut speramus, sua deprecatione continua, furorem arguentem et iram Domini corripientem, misericorditer frequentius averterunt et hodie valent avertere ; tamen ex experientia veraci didicimus quod Domus ejusdem religiosi in Christo nobis sincere dilecti Prior et Conventus, tempore dictorum et aliorum prædecessorum nostrorum, et nostris similiter temporibus in postulatione subsidiorum, procurationum et aliarum subventionum, exigente utilitate et necessitate Ecclesiæ nostræ pro tempore impositarum, a suæ devotionis contemplatione frequentius fuerunt impediti, et verisimiliter possent in posterum perturbari. Nos igitur dictorum prædecessorum no-

strorum inhærendo vestigiis, quibus dicta locum et personas, gloriosis instaurationum fundaverunt initiis, easque favore volentes prosequi gratioso, ac sperantes in Domino quod quidquid nostra seu successorum nostrorum possibilitas non obtinet, eorum nobis intercessione donetur, et ut eo quietius Domino virtutum valeant famulari ; de vera scientia.... prædictos Priorem, Conventum, personas et Domum eorum, eorumque successores.... ab omnibus.... impetitionibus, exactionibus quorumcumque subsidiorum, procurationum et aliarum subventionum.... eximendos duximus, etc. »

D. ROBERTUS DE LA VAUX, MONACH. LUVIGNIAC. PIE MORITUR,

V. Hoc anno obiit D. Robertus de la Vaux monachus sacerdos Luvigniaci. Hunc Abbatia sancti Petri-Vivi Senonensis, cui annis quatuordecim abbas præfuerat, agnovit Benedictinæ normæ observantia haud vulgari addictissimum; sed Cartusiano schemate in hac Domo indutum agnovere Cartusienses perfectissimum vitæ strictioris æmulatorem. Vota religionis primo nuncupaverat in monasterio sancti Sequani in Burgundia, unde in Abbatem sancti Petri-Vivi assumptus est anno 1390, autoritate Clementis VII, qui Odonem de Monteacuto e regimine præfatæ Abbatiæ ad clavum Sancti Sequani transtulerat, ut constat ex ejusdem Clementis bulla anno 1390 die primo Augusti data, qua Joanni de Viviaco cardinali sanctæ Anastasiæ demandat ut facta inquisitione de vita et moribus nostri Roberti, eum præficiat cœnobio sancti Petri : quod et Cardinalis præstitit datis suis literis die nona Augusti ejusdem anni. Harum literarum, quibus bulla Clementis inserta est, apographum ab Hugone Mathon Congregationis S. Mauri in eodem monasterio Priore religiosissimo, ex ejusdem tabulario erutum et perhumaniter ad nos transmissum est sub hac forma : « Miseratione divina Joannes tituli sanctæ Anastasiæ, S. R. E. presbyter cardinalis, Vivariensis vulgariter nuncupatus, Reverendo in Christo Patri Dei gratia Archiepiscopo Senonensi salutem in Domino sempiternam. Literas sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri, Domini Clementis divina providentia Papæ septimi, ejus vera bulla plumbea cum filo cannapis more

quondam Abbas S. Petri-Vivi Senonensis,

ANNUS 1411

Romanæ curiæ bullatas, non vitiatas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio et suspicione carentes, cum ea qua decuit reverentia recepimus; quarum tenor talis est : Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Joanni tituli sanctæ Anastasiæ presbytero Cardinali, salutem et apostolicam benedictionem. Inter sollicitudines varias quibus assidue premimur, illa potissime pulsat et excitat mentem nostram, ut status ecclesiarum et monasteriorum omnium curæ nostræ divina Providentia commissorum, spiritualiter et temporaliter augeatur; quodque tales illis ministros præficere studeamus per quorum regimina ecclesiæ et monasteria ipsa utiliter et salubriter valeant gubernari. Dudum siquidem provisiones monasteriorum omnium tum vacantium et inantea vacaturorum, per provisiones per nos seu autoritate literarum nostrarum tunc factas et in posterum faciendas, de Prælatorum ubilibet constitutis aliis monasteriis tunc vacantibus et inantea vacaturis, ordinationi et dispositioni nostræ duximus reservandas; decernentes ex tunc irritum et inane si secus super iis, quavis autoritate, scienter vel ignoranter contingeret attentari. Cum itaque postmodum monasterium S. Petri-Vivi Senonensis, Ordinis sancti Benedicti, ex eo vacaverit (et vacet ad præsens) quod de persona dilecti filii Odonis, tunc dicti S. Petri-Vivi monasterii Abbatis, monasterio S. Secani*, dicti Ordinis, Lingonensis diœcesis, tunc vacanti, autoritate literarum nostrarum extitit provisum; nullusque præter nos hac vice de provisione ipsius monasterii S. Petri-Vivi disponere disposuerit neque possit, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, Nos cupientes eidem monasterio sancti Petri-Vivi, ne longæ vacationis exponeretur incommodis, de persona idonea celeriter providere, ac sperantes quod dictum monasterium sancti Petri-Vivi per dilectum filium Robertum de Valle, Infirmarium dicti monasterii S. Secani, qui in presbyteratus ordine constitutus existit, salubriter gubernari poterit atque regi; circumspectioni tuæ de qua in his et aliis plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scri-

a Clemente VII institutus,

**al.* Sequani.

in locum Odonis de Monteacuto.

pta præcipimus et mandamus quatenus de sufficientia dicti Roberti qui apud nos de religionis zelo, literarum scientia, vitæ munditia, honestate morum et aliis virtutum mentis multipliciter commendatur, diligentius te informes ; et si per informationem hujusmodi eum ad regimen et administrationem ipsius monasterii sancti Petri-Vivi idoneum esse repereris, de persona ipsius Roberti præfato monasterio sancti Petri-Vivi hac vice autoritate nostra provideas, ipsumque illi præficias in Abbatem, curam et administrationem dicti monasterii sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo ; et facias sibi a subditis ipsius monasterii sancti Petri-Vivi obedientiam et reverentiam debitas exhiberi ; contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, non obstantibus si dilectis filiis Conventus dicti monasterii sancti Petri-Vivi, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a Sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem ; et nihilominus si de persona dicti Roberti præfato monasterio sancti Petri-Vivi duxeris providendum per aliquem Catholicum Antistitem, gratiam et communionem Sedis apostolicæ habentem, ei munus benedictionis impendi facias ac procures. Volumus autem quod idem Antistes, qui dicto Roberto præfatum munus impendet, ab ipso Roberto, nostro et Romanæ Ecclesiæ nomine, fidelitatis debitæ solitum recipiat juramentum juxta formam quam sub bulla nostra mittimus interclusam ; ac formam juramenti quod idem Robertus præstabit nobis de verbo ad verbum, per ejusdem Roberti patentes literas sub sigillo sigillatas per proprium nuncium quantocius destinare procuret. Per hoc autem venerabili fratri nostro Archiepiscopo Senonensi, cui præfatum monasterium sancti Petri-Vivi ordinario jure subesse dignoscitur, nullum volumus imposterum præjudicium generari. Datum Avinione, Cal. Augusti, Pontificatus nostri anno duodecimo.

ANNUS 1411

Apud summum Pontificem valde fuerat commendatus.

A Legato Robertus examinatur.

« Nos igitur Cardinalis præfatus, volentes mandatum apo-

ANNUS 1411

stolicum nobis in hac parte directum reverenter exequi ut tenemur, de sufficientia, idoneitate et meritis præfati Domini Roberti de Valle juxta tenorem literarum apostolicarum præscriptarum diligenter nos informavimus; et quia per informationem hujusmodi reperimus ipsum fore sufficientem et idoneum ad regimen et administrationem dicti monasterii, et per industriam suam ipsum monasterium in spiritualibus et temporalibus prospere, dante Domino, dirigi poterit et etiam gubernari : Nos autoritate apostolica per præscriptas literas nobis in hac parte commissa, et etiam de ipsius Domini nostri Papæ speciali mandato super hoc vivæ vocis oraculo nobis facto, de persona ipsius eidem monasterio ut præfertur vacanti, autoritate prædicta providimus, ipsumque eidem monasterio præficimus in Abbatem, curam et administrationem ipsius monasterii sancti Petri-Vivi Senonensis sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo; in illo qui dat gratias et largitur præmia confidentes, quod dextra Domini sibi assistente propitia, præfatum monasterium per suæ circumspectionis industriam salubria in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Cum itaque ut ipse dominus Robertus abbas præfatus in commisso sibi dicti monasterii regimine salubrius proficere valeat, vester favor eidem nascatur plurimum opportunus, paternitatem vestram exhortamur in Domino quatenus præfatum dominum Abbatem et dictum monasterium sibi commissum, quod ordinario jure vobis subesse dignoscitur, habeatis pro dicti Domini Nostri Papæ et Sedis apostolicæ reverentia commendatum in ampliandis et conservandis juribus suis, taliter quod ipse dominus Abbas vestro suffultus auxilio, in commisso sibi præfati monasterii regimine se possit utilius exercere; vosque divinam misericordiam valeatis exinde uberius promereri. In cujus rei testimonium præsentes nostras literas sigilli nostri facimus appensione muniri. Datum et actum Avinione sub anno a Nativitate Domini millesimo trecentesimo nonagesimo, Indictione XIII, die IX Augusti, Pontificatus præfati Domini nostri Clementis septimi anno duodecimo. »

Archipræsuli Senonensi commendatur.

ANNUS 1411

Robertus abbas fit Cartusianus.

Quatuordecim in commisso sibi grege gubernando transactis annis, abdicata dignitate abbatiali, Cartusianus effectus est ut probatur ex supplemento veteris Chronici sancti Petri-Vivi, in quo R. P. Hugo Mathon hæc de Roberto legi per literas significavit : « Robertus de la Valle, qui per quatuordecim annos hanc optime rexit ecclesiam, et cum esset sexagenarius intravit Ordinem Cartusiensem in Domo Luvigniaci, in quo sanctissime vixit. » Idem habet (teste eodem Patre Hugone) Petrus Bureteau Cœlestinus Senonensis, cujus hæc verba sunt : « Odoni successit Robertus de la Valle vir bonæ ac sanctæ conversationis, qui cum annis quatuordecim monasterium satis laboriose atque religiosissime rexisset, anno ætatis suæ sexagesimo oneri et honori renuntiavit, ac Ordinem Cartusiensem in Domo Juviniaci intravit, in quo Ordine postea sanctissime vixit. » Quidam in citato chronico et apud præfatum Petrum Bureteau legentes Robertum Ordinem nostrum intrasse in domo Juviniaci, arbitrati sunt per Domum Juviniaci designari cartusiam Vallis profundæ, quæ sita est prope Jugniacum sive Juviniacum ; sed potius credendum est Chartæ Capituli generalis anni 1412 in qua ejus *obiit* legitur sic : « D. Robertus de la Vaux, monachus sacerdos Domus Luvigniaci ; » nec dicendum pro Juviniaci scriptum fuisse in Charta Luvigniaci ; nunquam enim Domus Vallis profundæ in nostris Chartis appellata est Domus Juviniaci. Itaque concludere debemus apud præfatos autores emendandum esse Juviniaci, ac substituendum Luviniaci, sicut fecerunt Sanmarthani, qui tamen alium commiserunt errorem cum dixerunt Robertum Cartusianum effectum anno 1400. Licet enim Odo de Monteacuto ejusdem Roberti antecessor, ad regimen abbatiæ S. Sequani translatus fuerit (non obierit, ut habent Sanmarthani qui ejus translationem non cognoverunt) anno 1386, non tamen statim ei suffectus est Robertus, sed tantum anno 1390 ut ex suprascriptis literis certissimum est ; ac propterea constat (ut etiam annotavit Hugo Mathon) eum apud Nos se recepisse tantum anno 1404. Obiit anno 1411, die vero 2 Julii, ut colligo ex calendario

Non in Domo Vallis profundæ, sed in Domo Luviniaci.

ANNUS 1411

Domus in quo prius Robertus reperitur et quidem ad hunc diem.

DECRETA CAPITULARIA.

VI. Inter decreta quæ per Chartam promulgata fuerunt, hæc sunt notabiliora :

Provincia Picardiæ subdividitur in

1. « Cum Provincia Picardiæ juxta formam Statutorum nostrorum de biennio in biennium non possit commode visitari propter multiplicationes Domorum distantiamque locorum ac varietates idiomatum, nec personæ possint faciliter reperiri quæ sciant utrasque linguas, prout Visitatoribus et personis visitandis est expediens et necessarium : idcirco laboribus parcentes, sumptibus et evagationibus, ac etiam saluti et consolationi personarum Ordinis providere volentes ; in posterum dictam Provinciam duximus dividendam in hunc modum. In Provincia Picardiæ propinquioris continentur Domus istæ : Montis Dei, Vallis sancti Petri, Montis sancti Ludovici, Beatæ Mariæ de Macort prope Valencenas, sanctæ Aldegundis prope sanctum Audomarum, sancti Honorati prope Abbatis villam, Sancti Spiritus prope Gosnayum ac Monialium Beatæ Mariæ prope Gosnayum, Beatæ Mariæ de Pratis prope Monsterolum, Montis sancti Andreæ prope Tornacum. Picardiæ remotioris Domus sunt hæ : Capellæ Beatæ Mariæ, Vallis gratiæ prope Brugas, Beatæ Mariæ prope Antverpiam, Sylvæ sancti Martini prope Geraldi montem, Beatæ Mariæ prope montem sanctæ Gertrudis in Hollandia, sancti Joannis Baptistæ prope Diest, Vallis regalis prope Gandavum, omnium Apostolorum prope Leodium, Monialium sanctæ Annæ prope Brugas. In provincia Franciæ amodo Domus istæ sint : Vallis Dei, Luvigniaci, Ligeti, Apponiaci, Bellilarici, Vallis sancti Georgii, Parci, Vallis viridis prope Parisius, Vallis profundæ, Bassævillæ, Fontis nostræ Dominæ, Fontaneti prope Belnam, Prateæ, Rosæ nostræ Dominæ, Sanctæ Trinitatis prope Divionem.

Picardiam propinquiorem

et Picardiam remotiorem.

2. « Ordinationem Capituli generalis anni præteriti quæ incipit : Cum plures ordinationes..., prorogamus usque ad generale Capitulum anni futuri in suo robore duraturam. » Quid deinde sit factum videbimus anno 1412.

ANNUS
1411

Reditibus Capituli generalis plurimum diminutis,

3. « Cum annuales reditus nostri generalis Capituli adeo, et plus quam a multis credebatur, sint modici et a modico citra tempore diminuti, necnon et ipsius Capituli eleemosynæ consuetæ pro maxima parte et fere cessaverint, ut de prædictis sumptibus onera dicti Capituli ad plene de præsenti nequeant supportari : primo in hoc Capitulo facta visione et ratione de receptis et expensis Capituli anni proxime præteriti, plus expendit dictum Capitulum quam recepit trecentos quadraginta octo francos sive ducatos et quatuordecim grossos. Et præterea pro communi et evidenti necessitate totius Ordinis, ultra dictos sumptus Capituli generalis, tam nostra mater Domus Cartusiæ quam etiam ea non sufficiente quædam aliæ Domus Ordinis, sumptus fecerint ascendentes ad summam quingentorum quadraginta sex francorum sive ducatorum et novem grossorum ; ut de prædictis omnibus in omnium audientia et communi totius Capituli quo erant præsentes Reverendus Pater noster Domnus Cartusiæ, nosque cæteri Diffinitores cum universis et singulis Prioribus qui ad præsens venerant Capitulum, Procurator dictæ Domus Cartusiæ particulariter et distincte ostendit et justificavit. Nos Diffinitores cum duobus Prioribus singularum Provinciarum totius Ordinis et per ipsas Provincias electis et ad hoc deputatis (numerum viginti et ultra facientibus), ad partem super his tractantes et deliberantes, indemnitati ut dignum est matris nostræ Cartusiæ et aliarum quæ prædictas summas fecerunt, ascendentes ad summam universalem septingentorum octoginta duodecim francorum seu ducatorum et quinque grossorum, providere cupientes : ordinamus quod singulæ Domus Ordinis quarum Rectores, Priores aut Vicarii præsenti Capitulo non interfuerint necnon et qui futuris annis ad generale Capitulum non venerint, mittant et solvant tres francos ; donec et quousque tam prædicta pecuniæ summa quam aliæ expensæ generalis Capituli iterum fiendæ fuerint integraliter persolutæ : ita quod singulis annis circa finem Capituli reddatur ratio de omnibus obventionibus receptis nomine Capituli, tam ordinariis quam extraordi-

taxa specialis, ab iis qui Capitulo haud interfuerint solvenda, imponitur.

ANNUS 1411

nariis, id est reditibus, eleemosynis et aliis undecumque venientibus, necnon de omnibus receptis ratione supradictæ ordinationis trium francorum, et de expensis Capituli, in præsentia Priorum quos singulos singulæ Provinciæ singulis annis deputabunt. Volentes insuper et singulis Visitatoribus Provinciarum injungentes, quatenus singulos qui ad Capitulum non venerunt cogant et compellant ad solutionem prædictorum, modo quo eis videbitur et secundum ordinem opportuno. Nec quisquam occasione prædictorum reputet se gravatum, cum sumptus majores itinerum, pericula ac labores subditorumque ac propriorum Priorum negotiorum incommoda veniendo ad Capitulum et redeundo, per solutionem trium francorum seu ducatorum prædictam, tempore aliquo et non semper (Deo auxiliante) prout speramus, evitentur. »

JESU CHRISTI

ANNUS 1412.

Joannis PP. XXIII	Ordin. Cartus.	Joannis III. Pr. Cart.
Ann. 3.	Ann. 329.	Ann. 3.

I. ANNUS salutis quadringentesimus duodecimus supra millesimum, Indictione quinta sequitur, quo præstitam superioribus annis Romanis Pontificibus, Alexandro videlicet et Joanni, obedientiam Patres tacite confirmant ; et post preces plenis in comitiis pro Joanne XXIII (licet nomine non designato) injunctas, in absoluti Bernardi Advocati romanæ cartusiæ Prioris locum substituunt Joannem Trosselli monachum matris Cartusiæ professum ; eumque apud eumdem Papam Procuratorem Ordinis creant his verbis : « Priori Domus Romæ fit misericordia, et ad parcendum laboribus et expensis, præficimus ibidem Domnum Joannem Trosselli monachum hujus nostræ Domus Cartusiæ professum. Et quia multa sunt negotia in Curia romana super annum tractanda, » maxime propter Concilium ab eodem Joanne summo Pontifice Romæ paulo post celebrandum, « præficimus dictum Priorem Romæ Procuratorem Ordinis generalem, cui singulæ personæ Ordinis sua negotia expedienda committant. Sed quia hæc Domus valde dicitur desolata, volumus ut singulæ Domus in dimidio ducato pro una vice dumtaxat, contribuere teneantur. » Cumque plures Priores præsertim Domorum regni Neapolitani, cujus rex Ladislaus Gregorio tum adhærebat, obedientiam Capitulo generali pro more, nec per literas nec viva voce fecissent, timuerunt Patres ne

ACTA CAPITULI GENERALIS.

J. Trosselli Procurator generalis renunciatur.

ANNUS 1412

et ipsi clam Gregorium sequerentur; quamobrem « ordinant quod Priores Domorum qui verbotenus vel per literas non promiserant obedientiam Capitulo generali et Domui Cartusiæ, eamdem promittere et facere per literas patentes et sigillatas vel verbotenus in proximo Capitulo non omittant. » Nec immerito id præcipiebatur, ut quæ esset omnium mens facilius odorarentur. Quosdam enim vel adhuc pro Gregorio stare, vel ab eo ad ejus partes allectos fuisse ex illius ad omnes fideles encyclicis Literis conjicimus, quarum vi quibuscumque Religiosis migrandi in monasteria locaque alia sibi subdita facultatem faciens, Cartusiensium nominatim meminit. « Concedimus, inquit, ut quælibet ecclesiasticarum personarum Catholicarum quæ propter schisma in locis monasteriorum seu beneficiorum suorum absque contumelia Creatoris stare minime valet, in et cum iis locis ac personis etiam sæcularibus se recipere, quibus naufragium effugere felicisque vitæ portum queat reperire.... quodque hujusmodi personæ devotis Catholicis apud quos eas morari contigerit.... in esu facere se conformes, ne dispari comedendi usu Catholici earumdem receptores molestius onerentur, exceptis Cartusiensibus in esu carnium, licite possint. » Ex hac exceptione patet quanta in veneratione Gregorius nostram haberet abstinentiam.

Plures e Nostris adhuc pro Gregorio stant.

Extant apud Raynald., ad hunc ann. n. 1.

DE IPSO REV. PATRE IN CAPITULO DISPONENDI MOS INTRODUCITUR.

II. In eodem Capitulo generali cœperunt Diffinitores disponere de Priore Cartusiæ, et eum Reverendum Patrem appellare ac breviter affari; quod quidem antea quandoque fiebat, sed ab hoc anno ac deinceps semper eodem modo circa eum agetur. Sic igitur hoc anno in capite dispositionis Provinciæ Gebennensis legimus : « Reverendo Patri nostro Domno Cartusiæ non fit misericordia ; quem exhortamur in Domino, ut in tribulationibus suis habeat patientiam. » Quæ quidem dicta sunt ad imitationem Patrum Urbanistarum qui singulis annis suum solebant Generalem brevi aliqua apostrophe compellare. Deinde lectis quas ad Capitulum generale Stephanus Maconus scripserat literis, eum a Visitationibus ineundis absolvunt quidem prout vir humilis

A munere Visitatoris Steph. Maconi eximitur.

petierat, sed Visitatoribus in ejus locum suffectis mandant nihil arduum agere, nisi prius exquisito tanti Patris consilio: « Provincias Lombardiæ propinquioris et remotioris visitabunt Priores Bononiæ (qui unus erat ex Diffinitoribus) et S. Jacobi de Capro. Et volumus quod in arduis casibus ad venerabilem Patrem Domnum Stephanum Priorem Papiæ, quem propter instantissimas preces suas, et propter suam venerabilem senectutem supportavimus (hoc est a visitandi munere eximimus) habeant recursum. Cui etiam ex confidentia quam ad ipsum habemus, et ex specialibus causis super easdem Provincias usque ad futurum Capitulum generale nostram generalem concedimus potestatem, de sua confisi probitate. »

ANNUS 1412

Deinde quia tempore schismatis *triginta* Domus et ultra in utraque obedientia erectæ fuerant, sequentem ordinationem sapientissime edunt :

Unus Visitatorum, ad minus, quotannis ad Capitulum venire tenetur,

« Et quia Domus Ordinis multiplicatæ sunt in diversis partibus mundi, et singuli Priores ad Capitulum generale difficulter possunt pervenire ; volumus et ordinamus quod de singulis Provinciis unus Visitatorum ad minus ad idem Capitulum venire teneatur ; et ne nimis tales graventur, Domus Provinciarum expensis contribuere sint obligatæ : per quod tamen via non præcluditur quin alii Priores, si voluerint, accedere possint sub expensis Domus suæ ; et si iverint, ad hujusmodi contributionem minime teneantur. Et in casu quod Visitatores legitime essent præpediti, possint mittere unum Priorem de negotiis Provinciæ informatum. Et hortamur omnes Visitatores ut in sobrietate et aliis observantiis Ordinis sint bene exemplares, et omnes famulos suos in Domibus Ordinis insolescere non promittant. »

Priores autem, si voluerint, accedere possunt.

Domum Mortuimaris linquere præcipiunt.

Ex eadem Domorum nimia multiplicatione inducti, eas decreverunt deserendas esse, in quibus leges nostræ congruenter propter varios locorum aut redituum defectus observari non poterant; et ut effectui suum mandarent decretum, Priori pauperrimæ Domus Mortui maris, ut eam Augustinianis et Carmelitis juxta fundatoris jam diu ante defuncti mentem,

ANNUS 1412

statim cederet præceperunt; quod et fideliter actum anno sequenti videbimus. Rectori quoque Thoarcii a comitiis absenti injungunt eumdem in finem, « quod anno futuro veniat, et afferat aut mittat ad Capitulum generale statum Domus suæ; » qui cum tenuissimus fuisset repertus, voluerunt et Diffinitores ejus anni eam derelinquere, sed rogantibus fundatricis hæredibus multaque promittentibus, res usque ad aliquot annos dilata est.

Provincia Saxoniæ creatur.

Cum etiam varia tum Visitatoribus tum etiam ipsis Domibus ex nimia Visitationum multitudine quotidie nascerentur incommoda, nova constituta est Provincia sub nomine Saxoniæ, cujus institutionis decretum tale est : « Et quia intelleximus quod aliquæ Domus quæ hactenus erant in Provincia Alemaniæ superioris et inferioris nimis distant ab aliis Domibus, et per consequens difficillime possent a Visitatoribus illarum Provinciarum visitari, præsertim Domus maritimæ et aliæ magis viciniores, videlicet Domus Gildensis, Lubeck, Rostok (quam Domus Legis Mariæ nuncupari volumus), Prussiæ, Stetinensis, Francofordiæ ac Pomeraniæ; volumus ut sint una Provincia, et pro clariori notitia, Provincia Saxoniæ nuncupetur. »

Ex præfatis Domibus novam hanc provinciam componentibus, quatuor ab Alemania superiori, nempe Stetinensis, Prussiæ sive Dantiscanæ, Pomeraniæ et Francofordiæ; tres aliæ, videlicet Lubecensis, Rostockensis et Hildesemensis ab Alemania inferiori divulsæ sunt. Duæ aliæ postea fundatæ, Schifelbeinensis sub nomine Pacis Dei, et Grypsholmensis in Suecia, de quibus dicemus suis locis, his septem adjunctæ sunt; sed tandem cunctis ab Hæreticis destructis, præter Dantiscanam et Hildesemensem, Provinciæ Rhenanæ propterea adscriptas, nomen Provinciæ Saxoniæ penitus extinctum est.

Omnes Ordinationes post Nova Statuta editæ irritantur.

Denique propter ordinationum multiplicationem, diviso Ordine editarum, et ad pacandam simpliciorum conscientiam, constitutiones quæ vim Statuti habere poterant post nova Statuta, sed præsertim a Capitulis generalibus utriusque

obedientiæ promulgatas, quarum executionem Priorum arbitrio permissam fuisse ante biennium vidimus, penitus abrogant hoc decreto : « Quia valde vitandum est ne Statuta et constitutiones Religiosorum nimis multiplicentur, et per consequens talis multiplicatio non parum primævæ institutioni derogare videatur, omnes constitutiones post Nova Statuta editas in hac Charta non contentas irritamus ; et si quid novi ortum fuerit, amodo habeatur recursus ad Capitulum generale seu ad Reverendum Patrem nostrum Domnum Cartusiæ, ac studeant singulariter ea quæ in Statutis posita sunt diligentissime observare. » Sed nec ullæ hujus naturæ in hac Charta reperiuntur ordinationes, nam præter illas de quibus supra egimus, tres tantum ibidem reperimus circa rationem et formulam tricenariorum in parvis Domibus, et a Monachis non celebrantibus et Conversis solvendorum, quas cum etiam postea mutatæ fuerint hic subjicere superfluum censemus.

ANNUS 1412

III. Par est modo orationem in Hispaniam convertere, et Patres Cartusienses apud Vallem Christi ad comitia sua celebranda iisdem diebus congregatos invisere. Aberat tunc ab eis Bonifacius eorum Generalis, qui cum fratre Francisco de Aranda, Portæ Cœli Donato et aliis judicibus, ut inferius videbimus, in causa veri successoris regni Aragonici dijudicanda totus occupabatur. Quamobrem statim post preces pro Petro de Luna ut anno superiori indictas, præcipitur etiam ut « pro concordi et pacifica directione et divina illuminatione Electorum super provisione Regis, in Domo Aragoniæ fiat tricenarium de Spiritu Sancto ; et quia pro instanti de hoc agitur, recepta præsenti Charta, quam citius commode poterit fieri præ cæteris illud inchoetur. » Et quia Castellana Domus majorem hujus successionis partem sibi despondebat, idem beneficium injungitur « pro excellentissimo Domino, Domino Rege Castellæ et Regina ejus matre, et Domino Infante Ferdinando (cui revera regnum adjudicatum est) et aliis de Domo regia. Et similiter pro Reverendo Patre nostro Domno Cartusiæ Bonifacio, et

HISPANORUM COMITIA APUD VALLEM CHRISTI.

ANNUS 1412

pro quibus intendit » preces consuetæ imperantur. Præfatus vero Donatus, verbis plane exquisitis commendatur. « Pro honorabili ac religioso viro domino Francisco de Aranda, Donato Domus Portæ Cœli, qui in servitio Domini nostri Papæ pro negotiis et Ecclesiæ et Ordinis nostri laborat, dicant celebrantes sicut pro Reverendo Patre. »

Aberant his comitiis R. P. Bonifacius alio distentus,

Quis loco Bonifacii his comitiis præsederit, non habemus. Constat tamen aliquem ab eo ad Capitulum generale missum fuisse qui vices ejus ageret, de quo hæc in Charta leguntur : « Vices-gerens Reverendi Patris nostri Domni Cartusiæ, Domni Bonifacii, pro electione Regis et de mandato Apostolico propter hoc absentis, ipse quidem Vices-gerens ex speciali commissione ab eodem Patre nostro sibi facta et autoritate Apostolica confirmata, eligit et nominat personas quæ habeant potestatem absolvendi et dispensandi in casibus Sedi apostolicæ reservatis et juxta formam traditam a Domino nostro summo Pontifice, videlicet Visitatores, necnon et Priores Scalæ Dei, de Paulari, Vallis Christi et de Covis. »

et quidam Priores in fide Benedicti XIII nutantes.

Quosdam vero Priores ex Hispanis in fide Petri de Luna nutare tum cœpisse, ac propterea ad Capitulum non accessisse conjicimus, quod per Chartam « excusationes eorum qui præsenti Capitulo non venerunt, non admittuntur » ; et Priorem Scalæ Dei unum ex his fuisse verisimile est, nam nominatim increpatur « quod statum Domus suæ Capitulo generali non transmisit. » Ille Prior vocabatur Joannes Gomez, anno superiori institutus ; qui adhuc per quadriennium præfuit cum magna animi fluctuatione, variisque agitatus conscientiæ stimulis, ita ut factus adversus Visitatores contumax, ab officio dejectus sit.

Ordinatio unica, de Conversorum mantellis.

Unica ordinatio a Patribus Hispanis in suis comitiis edicta est, qua « declarant quod Conversi qui pro pelliciis utuntur mantellis, sicut supra pelliceas, sic super mantellos caputium portare tenentur, ut cujus gradus et status sint in Ordine per exterius patens caputium plenius dignoscantur. »

Denique Priori Domus S. Jacobi Vallis Paradisi prope Terraciam, qui vocabatur Dominicus de Bonafide, « conce-

ditur ut imminente periculo guerrarum de quibus formidat, possit conventum suum transferre ad locum tutiorem Domus S. Pauli ejusdem Ordinis nostri ; habitis prius deliberatione et consilio super custodia Domus suæ Terraciæ cum consiliariis civitatis Barcinonæ sub qua est locus et districtus villæ Terraciæ. » Hæc fuerunt quasi præludia translationis hujus Domus ad locum Montishilaris de quo dicemus anno sequenti.

ANNUS 1412

BONIFACIUS ET FRANCISCUS ARANDA INTER ELECTORES DESIGNANTUR,

IV. Sed ad Bonifacium redeamus, de quo et Francisco de Aranda autor Vitæ istius hæc habet quæ spectant Regis Aragoniæ electionem : « Post varios eventus et altercationes hinc inde ventilatas et discussas (quas brevitatis causa omitto), placuit Deo ut post duos annos a morte Regis, omnes unanimes decreverint ut eligerentur novem viri probatissimi, ut magnitudo negotii postulabat; quorum sententiæ et decreto ita standum ac parendum esset ab omnibus, ut quem ipsi digniorem regno judicarent, tanquam verus ac legitimus Rex ac Dominus haberetur ab omnibus regnis. Et ita die 14 Martii anni 1412 electi fuerunt dicti novem viri, tres pro quolibet regno. Pro Aragonia, Dominicus Ram episcopus Oscensis, Franciscus Aranda Donatus Portæ Cœli, ac Berengarius Bardachinus; pro Valentia, D. Bonifacius Ferrer Prior Cartusiæ, magister Vincentius Ferrer et Genesius Rabaca; pro Catalonia, Archiepiscopus Tarraconensis, Guillelmus de Valleseca et Bernardus de Gualves. Et licet aliqui ex eis, et maxime noster Bonifacius, recusaverint, et tam grave pondus e collo excutere tentaverint, nihilominus visa tanta conformitate in electione et quod ex ea pax et tranquillitas trium regnorum pendebat, acquieverunt nominationi de se factæ.

Vita Francisci Aranda, §. 6.

pro Regis Aragoniæ electione.

« Congregati novem electores, Procuratores et Advocatos quinque Principum prætensorum audierunt. Et quamvis per dies octo nequiverint concordare, placuit tamen Deo ut die sancti Joannis Baptistæ convenirent ac suffragia sua darent Infanti Castellæ, D. Ferdinando ; cujus electionis Instrumenti exordium et conclusionem manu propria noster Boni-

Infans Castellæ, Ferdinandus, nominatur.

ANNUS 1412

Loco præallegato, § 7.

facius scripsit. Deinde die S. Petri, coram infinita populi multitudine Missa celebrata, cui electores hoc ordine adfuerunt : Archiepiscopus Tarraconensis sedebat in medio, et ad dexteram ejus, D. Bonifacius, Guillelmus de Valleseca, et Franciscus de Aranda, et alii ad lævam ejus. Post Sacrum Frater Vincentius concionatus est, et finita concione, sententiam alta voce publicavit, quæ sic incipiebat. « Nos Petrus Sagarriga archiepiscopus Tarraconæ et Dominicus Ram episcopus Oscensis; Bonifacius Ferrerius, Domnus Cartusiæ; Guillelmus de Valleseca legum Doctor, Frater Vincentius Ferrer de Ordine Fratrum Prædicatorum, magister in sacra Theologia ; Berengarius de Bardaxino, dominus loci de Laydi ; Franciscus de Aranda, Donatus monasterii Portæ Cœli, Ordinis Cartusiensis, oriundus civitatis Turoli; Bernardus de Gualves utriusque Juris Doctor, et Petrus Bertrandi Decretorum Doctor ; novem videlicet Deputati seu electi per generalia Parlamenta..... solum Deum habentes præ oculis, secundum tenorem potestatis, juramenti et voti præstitorum, dicimus et publicamus per parlamenta prædicta, quod subditi et vassalli coronæ Aragonum fidelitatis debitum præstare debent et tenentur illustrissimo ac excellentissimo et potentissimo Principi et Domino, Domino Ferdinando, Infanti Castellæ, et ipsum in eorum verum, legitimum et indubium Regem et Dominum teneantur habere et debent, etc. »

Ex mss. cartusiæ Vallis Christi.

Ad tantum negotium pro sua parte rite consumendum, Bonifacius socium sibi assumpserat Joannem Sancium, Vallis Christi monachum olim potentem in sæculo et in rebus gerendis optime exercitatum, cujus prudentiæ et consilio quod res feliciter cessisset vir humilis postea solebat adscribere.

Bonifacii et Francisci Aranda a variis Historicis elogia.

In Commentar. Aragon.

Hieronymus Blancas, in suis Commentariis de Ferdinandi electione agens, electorumque merita et virtutes commemorans, de nostris Bonifacio et Francisco sic loquitur : « Hi novem gravissimi homines istius tanti muneris socii officiique et mandatorum judices, ab universis trium regnorum ordinibus constituti fuere. Ex Aragonensibus, Dominicus

Ram, episcopus Oscensis, magnæ sanctitatis ac doctrinæ vir, etc. ; et hic primo loco constitutus est. Secundo autem Franciscus de Aranda, in Turolensi civitate equestri familia non ignobili natus. Homo sane æquus, et ab omni cupiditate remotus, veritatis amicus, et apud omnes maxime carus. Hic fuerat studiorum ac officiorum Joannis et Martini regum maxime conscius, eorumque fidelis ac benevolus consiliarius. Sed ea omnia contemnens, jampridem se in otium solitudinemque contulerat, ac in celebri Cartusianorum cœnobio Portæ Cœli nuncupato, illius se dederat Religioni, sub eorum quos ibidem Donatos appellare solent instituto. Quorum more vestitus, capillatior quam antea, barbaque majore incedebat. Inde ergo fuit ad regiam hujusmodi causam judicandam universæ reipublicæ voce revocatus.... Ex Catalonis Petrus Sagarriga, Tarraconensis Archiepiscopus... Ex Valentinis, Domnus Bonifacius Ferrarii primo loco selectus fuit, qui erat Ordinis Cartusiensis Prior generalis : homo quidem justus, natura bonus, prudens et laudatus, studiisque civilis Juris atque etiam canonici optime deditus, etc. »

ANNUS 1412

Laurentius quoque Valla, scriptor coævus, honorifica de iisdem electoribus reddens testimonia, Francisci imprimis qualitates exprimit : « Non abs re fuerit, inquit, et nomina judicum et qualitates referre, ut posteritas sciat quos viros ex suo corpore tantæ rei præficiendos provinciæ existimaverint, ad Regem de jure pronunciandum, servata cujusque justitia. Nam ex Aragonia delecti quidem sunt Dominicus Ram, episcopus Oscensis.... Et Franciscus Aranda, vir vestitu semper incedens ac barba horridiore, quod videlicet renuntiasset rebus humanis : alioquin ita accommodatus ad Domos Principum quibus diu præfuerat moderandas, ut nusquam non et in consultandis et in administrandis rebus ac maturandis primas obtinuerit partes, idque sola naturæ bonitate atque ingenii dotibus, citra ullam scientiam ac citra propemodum literas ; ut appareat ex homine nativis bonis excellenti formari potius præcepta sapientiæ, quam ex præceptis Sapientiæ formari hominem excellentem. In quo

Histor. Ferdinandi regis, Lib. II.

ANNUS 1412

illud præcipue admirabantur omnes, quod cum esset quasi pater et quasi tutor potentissimi cujusque, tam modico exiguoque vitæ cultu contentus foret. Ideoque erat homo miræ libertatis, et nemini obnoxius, etc. » Non tardavit Rex, pergit autor Vitæ Francisci, venire a Castella in Aragoniam, ut possessionem regni acciperet. Et quamprimum allocutus fuit nostrum Franciscum, et experimento didicit ejus religiosam conversationem et singularem prudentiam, summe delectatus, impense dilexit eum et reveritus est ex corde; secumque coegit ire Cæsaraugustam, ut interesset suæ solemni coronationi quæ cum ingenti pompa et apparatu anno sequenti celebrata est. »

MORTUI DENUNCIANTUR.

V. In Charta hujus anni, inter mortuos denunciantur : « R. P. D. Joannes episcopus Taurinensis », qui obierat anno superiori juxta Ughellum.

Comitissa Saræpontis.

« Jacobus de Amoncuria miles, dominus de Piepape ; et Franciscus de Contareno civis Venetiarum ; et domina Comitissa Saræpontis et de Nassowia » : nomen non ponitur, sed mihi videtur esse Joanna hæres comitatus Saræpontis, uxor altera Joannis comitis Nassowiæ in Weilburg.

Petrus de Navarra, egregius benefactor Domus parisiensis,

Hoc pariter anno decessit Petrus a Navarra, Caroli II Navarræ regis filius minor natu, singularis benefactor cartusiæ Parisiensis, cujus fundationem anno nonagesimo sexto superioris sæculi quatuor auxerat monachis, quibus et totidem cellas ædificaverat. Ad cujus beneficiorum memoriam immortalitati commendandam, tale monimentum posteritati Cartusienses reliquerunt :

in qua quatuor Monachos fundavit.

« Ad perpetuam rei memoriam. Noverint universi præsentes pariter et futuri, quod anno 1398 illustris Princeps et dominus, dominus Petrus de Navarra, serenissimi Principis Caroli quondam regis Navarræ filius, zelator nostri Ordinis magnificus et benefactor noster præcipuus, ob sincerissimæ suæ devotionis affectum quam ad nostrum Ordinem gerebat et semper gessit specialem, fundavit et instituit in hac Domo Vallis viridis quatuor Monachos qui perpetuis temporibus, tanquam sui Capellani singulares, cum cæteris hujus Domus

Religiosis divinum servitium peragere habebunt et continuare, et pro ipso Domino ejusque felici prosperitate et salute Dominum jugiter deprecari. Pro quorum quidem dotatione et sustentatione, ac etiam pro quatuor cellis signatis literis C. D. F. G. in quibus amodo et deinceps dicti quatuor Religiosi et eorum successores morabuntur tali conditione : quod si dictos quatuor Religiosos vel aliquem eorum decedere contigerit, seu ad aliquod officium Ordinis exercendum assumi, ita quod per obedientiam oporteat ipsum cellam suam relinquere, in quo casu duntaxat poterimus aliquem prædictorum de cella transmutare et non aliter, et tenebimur pro tunc, vel citius quam commode fieri poterit, dictas cellas replere Novitiis seu aliis Religiosis professis postmodum ad nos venturis : et donec ita fecerimus onus orandi pro dicto Domino committemus uni de Religiosis nostris, modo et forma quibus tenebatur ille qui dictam cellam sic reliquerit : ne, quod absit, intentio seu anima prædicti fundatoris per nos aliqualiter defraudetur. Idem Dominus dedit nobis et realiter persolvit quatuor millia francorum auri pro semel, qui fuerunt expositi anno 1396, et conversi in emptione terræ Villænovæ-Regis amortizatæ, quam emimus a Reverendo Patre nostro, Domno Priore Cartusiæ et ejus Conventu, prout in Literis super hoc confectis latius continetur. Præterea dedit nobis Dominus antedictus quædam pulcherrima ornamenta magno altari deservientia, una cum integris sacerdotalibus vestimentis de panno serico cinericio colore decorato ; pluraque alia bona fecit nobis et fieri procuravit. Nos igitur tantorum beneficiorum merito non ingrati, nonnulla spiritualia pro modulo nostræ parvitatis sibi refundere cupientes, eidem Domino speciali devotione duximus concedendum, videlicet : unam missam de beata virgine Maria et unam de defunctis in Conventu quolibet anno circa festum Ascensionis celebrandas quamdiu vixerit in humanis, una cum Fraternitate et plena participatione omnium bonorum nostrorum spiritualium quorumque, per ipsum percipiendorum tam in vita quam etiam post ejus felicem decessum,

ANNUS 1412

Plurimam insuper pecuniam largitus est,

et ornamenta altari deservientia.

ANNUS 1412

qui cum ad nostram pervenerit notitiam, unum juxta morem nostri Ordinis monachatum pro ejus remedio animæ et salute specialiter persolvemus; quo mediante, Missa præinserta in unum anniversarium perpetuum commutabitur celebrandum tali die, quali contigerit ejus felix obitus vel die magis proxima vacante, si dicta die intervenerit impedimentum. Quamobrem ne, quod absit, beneficia prædicta oblivioni obnoxia censeantur, sed jugis potius eorumdem penes nos memoria habeatur, ordinamus tenorem hujus memorialis singulis annis circa festum prælibatum in Capitulo nostro recitari, ut quilibet nostrum tam præsentium quam futurorum, et potissime illorum quatuor Religiosorum eidem Domino specialiter deputatorum, eo ferventius et devotius pro eo Dominum deprecetur et exoret, quo ad id lucidius se noverit obligatum. »

Fundationis hujus memoriale.

Descripta conspicitur etiam nunc in perantiquo majoris claustri pariete fundatio hæc talibus expressa versibus :

Intus fundati sunt Fratres quatuor isti :
Cellam C primus habitat, si scire velimus;
Est, bene cognovi, D cella parata sequenti;
Possidet hinc ternus F, cellam G quoque quaternus.
Quos sic fundavit et redditibus decoravit
Navarræ Petrus filius Regis generosus.
Quia cum dictorum Fratrum quidam morientur,
Aut ad officia de cellis extra vocentur,
Cellis ipsorum Fratres alii statuentur :
Nam Fratrum cellæ plenæ debent remanere.
Quinquaginta libris perpetuo percipiendis
Cuilibet ipsorum bene noscas esse provisum.
Anno millesimo trecenteno nonageno
Sexto prædicta nituit fundatio facta.
Petrus fundator sit Christi verus amator,
Agmine sanctorum sibi dentur regna polorum.
Amen.

Benefactor exstitit Majoris Cartusiæ.

Nec solum in Domum Parisiensem, sed et in Matrem Cartusiam, imo et in totum Ordinem, Petrus se beneficum exhibuit : nam per sexdecim annos ante obitum suum, Capitulo generali munera largiebatur ; de quibus mentio ha-

betur in Chartis ubi missa de beata Maria per totum Ordinem celebranda injungitur « pro illustrissimo domino Petro de Navarra, Ordini devoto, qui se et fratrem suum Regem Navarræ, Capitulo generali commendavit et ei misit eleemosynam suam consuetam. » Hoc autem præsenti anno, cum præcedenti in mense Augusto uxorem duxisset Catharinam Petri Alenconii, cartusiæ Vallis Dei secundi fundatoris filiam, cum ea in Charta commendatur et vocatur « Comes de Mortaigne. » Sed duobus circiter mensibus post celebrata nostra comitia defunctus est, cujus obitus anno sequenti in Charta sic descriptus est : « Obiit illustris Princeps dominus Petrus, filius quondam Regis Navarræ, Comes Mauritaniæ, magnus et continuus benefactor Ordinis, qui habet plenum monachatum... etc., sub die 29 Julii ; » quo etiam designatur die in Calendario cartusiæ Parisiensis ubi sepultus jacet in tumulo marmoreo ad latus meridionale majoris altaris.

ANNUS 1412

Ex Chartis 1397 ad 1412.

Miserrima mors Joannis Mariæ Galeatii, ducis Mediolanensis.

Alter Princeps ante Petrum e vivis etiam hoc anno eripitur, sed dissimili fato. Hic est Joannes Maria, Mediolanensis dux, magni Galeatii Papiensis cartusiæ fundatoris filius, qui patris erga eamdem Domum munificentiam, non solum non est imitatus, sed etiam reditus in dotem monachorum et pauperum subsidium ab eo legatos, et a se usurpatos suæ tyrannidis consciis in mercedem distribuit, ut alibi diximus. Ubi noster Stephanus dictæ Domui præfectus est, apud eumdem Ducem totis viribus cœpit laborare in recuperandis hujusmodi bonis distractis ; dumque nihil non movet ad flectendum illius animum, cædem ei ab ipsis civibus ejus tyrannidis pertæsis vi inferendam divinitus prævidet. Quod autor Vitæ illius hoc ordine accidisse narrat : « Mediolanum e cartusia Ticinensi Stephanus per eos dies se receperat Primorum summas res Ducis administrantium accitu, ut de controversiis dirimendis ageret, quæ super ejusdem cartusiæ latifundiis ab ipso Duce per summam potestatem, uti diximus, extraneis attributis, erant constitutæ. Qua super re vir pius cum animadverteret se non posse negotium suum ex sententia agere, quin etiam difficillima cuncta apud Du-

Lib. IV. c. 3.

ANNUS 1412

cem cogitare; ut qui effræni libidine raptus, divina et humana pro voluntate evertere assuetus erat : postulata venia, rem infectam reliquit, et in templum Curiæ proximum rerum eventu anxius descendit. Ibi in preces procumbens, rem sui cœnobii Deo intimis sensibus commendat, tanquam ipsius divini Numinis causam. Dum prostratus lacrymis pene obrutus totus a Deo pendet, extra se rapi est visus. Non diu in eo corporis habitu permansit, cum veluti divinitus actus, ad socium conversus : Adeamus, inquit, ad Ducem. In curiam ubi pervenit, et procaces inter aulicos morem sui heri plerumque adumbrare solitos admissionem ad Principem obsidet, infaceta scommata per lasciviam in se congesta patientia mirabili vorat. Ad Ducem denique admissus, sedate atque mira animi intrepiditate longo satis sermone exponit, non solum quæ suis monachis et pauperibus incommoda ex iniqua fundorum detentione evenerint, sed sancta etiam audacia commonefacit de tot tantisque cladibus, rapinis et incendiis quibus tota patria jam per plures annos, illius causa quatiebatur. De quibus timendum sibi esse ne Deus iratus atrociores etiam pœnas ab eo exigat.... At Stephanus divino afflatus Spiritu conspicatus Ducis insanabile ingenium futurum, suo egregie perfunctus munere, extemplo omni metu vacuus idem in templum, quasi ad legationem Deo renunciandam, rediit. Eo in preces denuo humi flexis genibus effusus supplex perstitisset, nisi a socio interpellatus certior fieret indidem esse mature proficiscendum. In itinere igitur Stephanum in Deum abreptum, ubertimque lacrymantem rogitat socius quid fleret ? Cui vir pius : Deploro, inquit, miserrimum Ducis statum ; nihil præterea effatus in præsentia. Quæ Stephanum dixisse divinitus actum ex hoc vel imprimis conjectari potuit : si quidem domum reversus, in squallore ac luctu duos fere integros menses vitam transegit, precibus, jejuniis ac corporis inflictamentis quam studiosissime intentus. Ita temporum calamitates maximarum sibi faciebat virtutum palestram. Quo temporis spatio sciscitantibus ex eo nonnullis Patrum cœ-

Ducem hunc adit Stephan. Maconi.

De ejus morte præmonetur.

ANNUS
1412

nobii, cur tanta pertinacis animi severitate se maceraret, quorsumve tam incitatæ mentis afflictamenta spectarent : nihil unquam respondit, nullumque rei arcanæ indicium præbuit, donec pervenerit ad quartum Idus Maias hoc decurrentis sæculi anno 1412; præcedentem diei noctem cum insomnis transegisset Deum enixe rogando, mane universæ accitæ Domus familiæ publicas imperavit per cœnobium supplicationes, orantes ac divinam Mentem deprecantes ne in paventem Mediolanensem populum gravem aliquam inusitatamque calamitatem permitteret. Hac itaque spiritus anxietate mœrentibus Patribus, et sacra altaria piis cumulantibus votis, rumor increbuit Mediolanensium Ducem, conspirantibus in caput ejus quibusdam e prima nobilitate civibus, immaniter trucidatum, urbemque totam fœda seditione civium perturbatam, perculsamque rei atrocitate fuisse. Cujus cum patrati facinoris nuncius in momenta singula ubique manaret, Patres Domus, et qui Stephani curas ejusque animi contentionem secum taciti reputabant, haud difficili conjectura mox assecuti sunt, rem totam Virum beatum divinitus præsensisse, eumque ob idipsum tanquam humano fastigio celsiorem, in dies singulos magis magisque suspicere ac venerari. » Joanni in Ducatu successit Philippus frater ejus, qui postea a fratre inique occupata restituit, totque successu temporis adjecit beneficia, ut alter merito fundator censendus sit.

A quibusdam Nobilibus Dux trucidatur.

Denique, hoc etiam anno insigni benefactore Ordo privatur, nomine Franciscus Sandei, cujus mentionem superioribus annis fecimus : de quo præterea hæc occurrunt in Chronico Montellanæ cartusiæ. « Hic fuit Lucanus, nobilis genere sed nobilior ex possessione virtutum, floridaque utriusque sexus filiorum turba vallatus, habitans ut civis in civitate Venetiarum, perfamosusque mercator. Cujus præclarissima beneficia cuncta exarare calamo nequeo, tum propter defectum infirmæ obliviosæque memoriæ, tum propter excessum eximiorum erga Domum hanc, imo etiam erga Ordinem generaliter beneficiorum. » Nihilominus idem

Francisci Sandei, magnifici Domus de Montello benefactoris pretiosa mors.

Chronicon Montell. ms. cap. 17.

ANNUS 1412

Autor postea multus est in enarrandis hujusmodi beneficiis, quæ tanta fuerunt ut alter fundator non immerito haberetur; plures enim pecunias erogavit, præter summam 250 ducatorum quam singulis annis usque ad obitum per annos circiter viginti gratis solvere solebat, multaque ædificia imperfecta absolvit, aliaque a fundamentis erexit. Stephano Macono intimus fuit, quem antequam ad generalatum eveheretur, Venetiis sæpe agentem tecto mensaque accipiebat. Alias quoque personas Ordinis apud eum diversari solitas fuisse subdit idem Chronicon : « Domum quamdam, inquit, prope ecclesiam S. Sophiæ aptam paravit et Fratribus Ordinis adventantibus permagnifice ministrabat, viaticumque navigaturis et pecunias aliquando egentibus Fratribus amore Dei præbebat, sicque perseveravit usque in finem vitæ suæ.» Nec solum in Cartusienses sed et in pauperes omnes liberalis fuit et munificus, quibus stipem ita largiebatur, ut juxta præceptum Evangelii nesciret sinistra ejus quid faceret dextera, unde autor coævus præfati Chronici exclamat : « O quantum hic benefactor magnificus fuit merito peramandus! Facies enim ejus ut sol, tenebris effugatis, in ortu suo rutilat sereno cœlo, ita egentes absque rubore provocabat ad petendum subsidium eleemosynæ, quoniam hilariter cunctis petentibus eleemosynas ministrabat. Unde et cum præfati construerentur ædificia monasterii, hortabatur dulciter fervideque ut opus Dei sollicite fieret, et de sumptibus nihil timerent. Et quod insolitum est cunctis pene laicis, in bonis actibus nunquam voluit apparere patronus. Quod quidem patet perlucide, quia nunquam voluit arma vel signa cognationis ponere in his ædificiis Domus : sed Salvatoris imitatus viam, nemini volebat fieri notum quod ipse construeret, solius Dei contentus testimonio, a quo cœleste præmium expectabat. » Ejus obitus his verbis anno sequenti in Charta habetur : « Obiit nobilis dominus Franciscus Sandei, civis Venetiarum, habens plenum monachatum sub die 2 Julii. » Et iterum hoc anno Margarita, uxor ejus, de qua ante quatuor annos diximus, denunciatur cum eodem pleni mona-

Vita Steph. Maconi, Lib. III. cap. I.

Ubi supra.

Matth. VI. 3.

Cap. 24.

Plenum habet monachatum ut bene meruit.

ANNUS 1412

Cap. 22.

chatus beneficio. « Non condidit tunc testamentum Franciscus, sed quia paulo ante infirmitatem suam, ut mihi dixerat (loquitur citatus autor) et filio suo secundo, scilicet domino Thomæ et domino Nicolao Guidicii genero suo, habebat intentionem ordinandi quod Domus ista haberet sufficientes reditus pecuniales pro uno Conventu; sicut arbor bona non potest malos fructus facere, reliquit post se fructus bonos Deoque placitos, ut spero, videlicet quinque filios mares et duas filias nuptas. Quorum filiorum hæc sunt nomina : Dominus Joannes primogenitus, dominus Thomas, dominus Antonius, dominus Philippus et dominus Henricus. Hi ergo egregii viri, volentes Patris adimplere desiderium, necnon et pro remedio animarum suarum.... convenerunt in unum, et fecerunt unum scriptum manu domini Thomæ supradicti cum subscriptionibus aliorum fratrum suorum, in quo se obligant dare Conventui ab ipso anno ad annum 1419 inclusive pro victu dicti Conventus, ducatos trecentos annuatim.... Qui hæredes pii patris sequentes vestigia, in cunctis permagnifice erga monasterium et totum Ordinem se exhibent benevolos atque benefactores præcipuos, perseverantes usque nunc cum Dei altissimi adjutorio. » Id scribebat autor anno hujus sæculi anno decimo.

Filii caritatis ejus hæredes.

JESU CHRISTI

ANNUS 1413.

Joannis PP. XXIII	Ordin. Cartus.	Joannis III. Pr. Cart.
Ann. 4.	Ann. 330.	Ann. 4.

CARTUSIA MORTUIMARIS ABDICATUR.

I. REDEMPTORIS annum tertium decimum post mille quadringentos agimus, Indictione sexta, quo juxta sapientissimum consilium anno superiori conceptum, Domus Mortuimaris, non tam propter redituum defectum quam propter loci ad nostras observantias rite tenendas inepti situm, penitus derelinquitur; Monachis ad cartusias suæ professionis remissis, Guillelmo vero de Renuhone eorum Priore, ad regimen Bonæfidei per Chartam hujus anni translato, cum prius locum Patribus Ordinum S. Augustini et Carmelitani pleno jure utendum fruendumque tradidisset; a quibus vicissim, post celebrata comitia cautionem accepit qua profitentur possessionem rerum tum mobilium tum immobilium desertæ Domus, sibi a Cartusiensibus transcriptam fuisse.

De extinctione quarumdam cartusiarum agitur.

In his quoque comitiis iterum actum est de unione vel de relictione Domorum Thoarcii, Excubiarum, Guillonisii et Vallis S. Georgii ; « cujus factum (nempe Thoarcii), inquiunt Patres, volumus expresse quod Domnus Prior Divionis, unus ex Visitatoribus, quam cito poterit persequatur, prout alias per Capitulum generale extitit ordinatum. » De Excubiensi vero sic statuunt : « Domus Excubiarum, in statu in quo est, nempe sine Vicario et Priorissa, permaneat donec per Capitulum aliter fuerit ordinatum. » Et quoad tertiam Domum derelinquendam : « Committitur Visitatori

Lombardiæ remotioris, quod assumpto secum socio, videant statum Domus Januæ Paradisi prope Guillionisium ; quibus datur potestas eam dimittendi omnino vel retinendi secundum quod eis videbitur expedire. » De Vallis S. Georgii cartusia, Visitatori committitur ut cum fundatorum hæredibus tractet « qualiter cum aliqua Domo Ordinis nostri vicina incorporetur, vel omnino dimittatur » ; sed neutrum effectum fuit, ut jam alibi annotavimus. Ex his tribus Domibus : Excubiensis, Gratianopolitanis canonicis velut fundatoribus postea restituta est ; Thoarciensis et Guillionisiensis facultates ex consensu fundatorum aut eorum hæredum, aliis Domibus adscriptæ sunt. Sed de his suis locis dicemus fusius.

Vid. ann. 1235.

Cum etiam constructio novæ Domus Mantuanæ satis lente promoveretur, timentes ne forsan amplissimi illius fundatoris primus fervor deferbuisset, admonent Rectorem ut sollicitet « illum magnificum Dominum fundatorem pro operibus complendis » : his verbis quasi innuendo se potius recentem hanc plantationem deserere paratos esse, quam sine necessariis ædificiis eam recipere. Nec revera eam inter conventuales Domos ante adscripsere, quam illius fundator ea quæ promiserat abunde adimplesset, ut ante quinque annos vidimus. Eodem spiritu eodemque zelo animati Patres libenter consenserunt et obtemperaverunt bullæ ab Abbate Cluniacensi nostri Ordinis amantissimo obtentæ, qua Joannes Papa « incorporationem, annexionem et unionem de Prioratu Ymnimonte (sive Inimonte) Ordinis Cluniacensis, Priori ac fratribus et Domui Cartusiæ Majoris, durante schismate factam, hoc anno revocat, cassat, irritat ac decernit nullius esse firmitatis. »

Prioratus de Inimonte Ordini Cluniacens. retrodatur.

Bullar. Cluniacens. pag. 184.

Idem Joannes Papa hoc anno, eodem quo superioribus annis modo, iisdem verbis, Ordinis precibus commendatur, nec de Ecclesiæ schismate aut nostri Ordinis divisione ulla fit mentio, nisi quod Joannes Placentis, Burgundiæ Visitator et Domus Petræ-castri Prior, qui nescio qua ductus religione ad Bonifacium Ferrerium in Aragoniam se receperat,

Joannes Papa precibus Ordinis commendatus.

ANNUS 1413

Joannis Placentis inconstantia.

a Visitatoris munere absolvitur, in prioratu tamen « ob reverentiam domini Comitis Sabaudiæ », ut loquitur Charta, continuatus. Adfuit comitiis Patrum Aragonensium in Domo Vallis Christi, et ibi cum honore exceptus, a Bonifacio eorum Generali potestatem accepit absolvendi a casibus Papæ reservatis. Ad sua nihilominus reversus, per Chartam Capituli generalis apud Majorem Cartusiam anno sequenti habiti Visitatoris officio restitutus est. Sed ab ipso Comite ad Petrum de Luna et Regem Aragoniæ paulo post legatus, iterum a Nostris defecit.

CONTRA QUAMCUMQUE SIMONIÆ UMBRAM ORDINATIO.

II. Decretum quo Patres anno superiori in eadem Majori Cartusia congregati ordinationum sive Statutorum multiplicationem prohibuerant per Chartam confirmatur cum quibusdam additionibus, ut sequitur : « Ordinationem anno præterito factam quæ incipit : Quia valde vitandum est ne Statuta et Constitutiones Religionum nimis multiplicentur, etc.... similiter confirmamus, exceptis tamen quibusdam infrascriptis, de quibus visum est Capitulo expediens et rationabile eas statui et observari : videlicet ad reprimendam ambitiosorum temeritatem ac ne simoniæ vitium in sancta Religione maculam generet, quod quidem vitium prece sicut et pretio interdum committitur. Statuimus inviolabiliter observandum, ut nulla persona Ordinis nostri de cætero per se vel per alium impetret vel afferrat literas quorumcumque Principum vel Dominorum, ecclesiasticorum vel laicorum, ad Capitulum generale, vel ad Reverendum Patrem Priorem Cartusiæ deprecatorias vel comminatorias, super institutione vel destitutione cujuscumque personæ, officii vel administrationis cujuslibet Ordinis nostri ; quod si secus attentatum fuerit, persona ipsa pro qua scriptum fuerit, si obedientiam obtineat, hac nostra præsenti ordinatione, volumus ipso facto ab ipsa destitutam esse et privatam ; si vero nullam obtineat, ipsam personam ipso facto decernimus inhabilem ad quamcumque Ordinis nostri obedientiam suscipiendam, cum qua non possit nisi a Capitulo generali dispensari. »

De oratione Ecclesiæ *semper dicenda.*

Huic decreto duo adjiciuntur, unum circa divinum Offi-

cium, alterum circa temperantiam : « Ordinamus insuper quod oratio : *Ecclesiæ tuæ, Domine,* quando celebrabitur *de vivis,* semper in Missa conventuali dicatur » ; id etiamnum observatur per totum Ordinem. « Ordinamus quod omnes Visitatores provinciarum sint amodo solliciti in perquirendo de consuetudinibus quarumdam Domorum contra sanctam nostri Ordinis sobrietatem introductis, videlicet quod diebus abstinentiæ et aliis temporibus, videlicet feria secunda et quarta, fere continue datur abundanter pitantia; et ubi aliquid tale invenerint, summopere studeant cum omni diligentia refrænare. » Nostri quoque Hispani ad frugalitatem servandam in suo cœtu generali declarant quod « quando fabæ, pisa vel alia leguminum genera cum cortice ad cœnam dantur in refectorio, locum tenent herbarum. Ideo, inquiunt, intimamus quod cruda et non cocta dari debeant. »

DOMUS MONTIS HILARIS INCHOATUR.

III. Inchoatur hoc anno cartusia Montis Hilaris in Catalonia et diœcesi Barcinonensi ; ab ipsa primaria urbe duabus leucis, et dimidia a mari distans. Ibi olim vixerant Sanctimoniales quæ regulam Sancti Augustini anno 1246 amplexæ, locum postea canonicis Regularibus sanctæ Eulaliæ cesserunt. Hi pariter anno superioris sæculi ultimo, eadem domo pio cuidam sacerdoti nomine Arnoldo de Torravicia pretio abalienata, alio se transtulere. Arnoldus quoque, solitaria vita cum quibusdam sibi adjunctis eremitis per novennium ibidem acta, reliquias monasterii nosocomio S. Crucis Barcinonensis anno hujus sæculi octavo tradidit. Denique cum anno superiori Patres Hispani in suis comitiis Dominico de Bonafide, Priori Domus Vallis Paradisi, potestatem fecissent se suumque Conventum alio transferendi, ea conditione ut consilium a Primatibus Barcinonensibus de tanto negotio caperet ; hi videntur Dominico id dedisse consilii, ut præfati monasterii locum, licet tum in domunculam sub invocatione beatæ Mariæ Montis Hilaris redactum, in hunc finem nomine sui Conventus, ab ejusdem Hospitalis domus curatoribus pecunia compararet. Quod et statim factum est, conflato emptionis Instrumento die 15 Februarii, anno 1412,

Alfaura. Origin. Dom. Ordin. Cartus. num. 88.

Locum emunt Cartusiani.

ANNUS 1413

Molin. p. 297.

qui juxta calculum hodiernum ad præsentem annum referendus est. Noster Alfaura pactum hujusmodi ad triennium prorogat, sed perperam, nisi sit error typographi, ut verisimile est. Ut ut sit, constat quidem post confectum emptionis pactum, Dominicum adhuc nomen Prioris sancti Jacobi Vallis Paradisi gessisse, nam sub hoc titulo Visitator generalis Hispaniarum in comitiis Vallis Christi institutus est; sed anno sequenti, translatio Conventus Vallis Paradisi ad novum Montis Hilaris locum facta fuerat, ut probatur ex Charta Patrum Hispanorum anni hujus sæculi quinti decimi, in qua declaratur quod Prior « Domus B. Mariæ Montis Hilaris » a Petro de Luna anno præcedenti, videlicet 1414, electus fuerat qui potestatem haberet personas Ordinis in articulo mortis constitutas absolvendi a pœna et a culpa. Locum igitur hoc anno comparatum, Nostri paulo post incolere cœperunt, sed cum nullum specialem in hac translatione nacti fuissent fundatorem, nec reditus ad Conventum alendum novamque cartusiam a fundamentis erigendam sufficerent, paucis post annis actum est de incorporatione illius cum vetusta sancti Pauli cartusia, obtentis in hunc finem a Petro Lunensi literis pontificiis; sed intercedentibus tum ex parte monachorum sancti Pauli, tum ex parte fundatorum variis difficultatibus res tum caruit effectu; Capitulo generali « revocante et cassante unionem utriusque Domus, et ad cautelam præficiente in Priorem Montis Hilaris Joannem Gomez, Scalæ Dei professum. » Denique rebus utriusque monasterii in dies deficientibus, ad reliquias eorum conservandas hujusmodi unio, autoritate Eugenii Papæ, renovata est et absoluta. Eodemque tempore, insignis benefactor a Deo suscitatus, notabilem summam in ædificiis construendis collocandam legavit, quam Nostris anno tantum hujus sæculi trigesimo quarto obvenisse discimus ex Charta ejusdem anni, quæ benefactoris et illius legati in hæc verba meminit : « Obiit dominus Bertrandus Nicolai, mercator et civis Barcinonensis, qui legavit Domui Montis Hilaris 5455 florenos, quod quidem legatum isto anno suum

Unio hujus Domus cum cartusia S. Pauli attentatur, sed frustra;

Ex Charta 1420.

consummatur tamen, tempore Eugenii Papæ.

Munificum benefactorem nanciscitur.

habuit effectum : habens plenum monachatum sub die 27 Junii. » Bertrandum fuisse ditissimum ac piissimum ex eo præterea liquet, quod vivens Augustinianis et Hieronymitis monasteria condiderat. Porro, nec ejus legatum, nec bona quæ ex unione sancti Pauli obtigerant ad magnam fortunam Montem Hilarem evexerunt, quandoquidem vix ex eis quatuor monachi per plures annos sustentari potuerint. At tandem Joannes de Nea, Conversus Portæ Cœli, hujus paupertimæ cartusiæ quasi procurator institutus, conquisitis a rege Aragonum Alfonso et a Magnatibus, sed maxime a summo Pontifice Nicolao V multis pecuniis, novam Domum ad radices montis, priori loco in Correriam mutato, a fundamentis erexit reditibusque ad Conventus victum necessariis ditavit dotavitque, ut fusius anno quadragesimo octavo dicturi sumus.

Fautores Domus.

Plures etiam ex omni statu et sexu posthac insurrexere qui Domus hujus facultates suis donis auxerunt, ex quibus præcipui in Chartis occurrunt : Antonius Planac [a], Michael Blastho [b], sacerdos et rector ecclesiæ S. Justi Barcinonæ, procurator et benefactor ; Joannes Pellicerii [c], sacrista ecclesiæ Girundensis ; Antonius Amat et Petrus de Paulo [d] ; Beatrix Claparosa [e] habuit anniversarium sub die 16 Octobris ; idem beneficium habuere magnificus dominus Farrer [f] sub 22 Decembris, et illustris domina Sugolla et Flocendella [g] sub 3 Augusti ; illustris Vincentius de Morodel [h] dux pedestris militiæ Regis catholici in Italia, et plures alii. Hactenus de Domo Montis Hilaris.

[a] Ex Ch. 1457.
[b] Ex Ch. 1459.
[c] Ex Ch. 1469.
[d] Ex Ch. 1470.
[e] Ex Ch. 1520.
[f] Ex Ch. 1594.
[g] Ex Ch. 1622.
[h] Ex Ch. 1627.

G. GELINON CARTUSIÆ BENEFACTOR.

IV. Hoc etiam anno, Mater Cartusia magnificum nacta est benefactorem, Guillelmum videlicet Gelinonem, quem vir clarissimus Chorerius primi in consilio Gratianopolitani Præsidis præfectura donatum dicit anno hujus sæculi nono. Extat in ejus erga Cartusiam benevolentiæ memoriam sequens Instrumentum : « Honorando et magnæ circumspectionis ac providentiæ viro, domino Guillermo Gelinonis, in utroque jure licentiato, Præposito etiam Ecclesiæ Cavallicensis ac Præsidenti in venerabili consilio Delphinatus, Fr.

Stat. politic. Delph. Tom. I., Sect. 5.

ANNUS 1413

Joannes humilis Prior Majoris Domus Cartusiæ, vices gerens super annum Capituli generalis totius Ordinis nostri, salutem et in præsenti sanctitatem in merito, et in futuro felicitatem in præmio. Mater et radix, fons et origo omnium virtutum beata charitas, universis quidem, sed potissime illis nos constituit debitores, quos devotionem et affectum ad nos et Ordinem nostrum gerere dignoscimus. Cum enim hi qui in hoc mundo curis temporalibus agitantur et in alto sunt positi, variis quandoque eventibus inter adversa et prospera citius colliduntur ac periculis subjacent majoribus, nisi divinis fulti suffragiis salubriter dirigantur : quapropter exigente vestræ piæ devotionis affectu quem ad nostrum Ordinem, specialiter ad Domum hanc majorem Cartusiæ, a multis temporibus citra per longam experientiam benevolentiæ probavimus vos habere, vobis tenore præsentium concedimus ultra beneficium tricenarii quod jamdudum concessum est vobis ab Ordine nostro, plenam participationem omnium bonorum spiritualium, quæ per totum Ordinem nostrum amodo in antea divina Clementia dignabitur operari, etc. Verum etiam cum affectus vestræ devotionis, Domino inspirante, fuisset excitatus ad fabricandam in hac Domo nostra unam capellam in qua eligebatis sepulturam corporis vestri, et hoc non potuerit perfici propter loci ineptitudinem, nec fuerit necesse novam fabricare, cum jam multas alias capellas constructas in præsenti Domo habeamus, quæ sub nullius nomine Ordinis hujus sunt fundatæ, quarum una vobis possit adscribi ; idcirco nolentes impedire affectum devotionis et fructum salutis animæ vestræ, sed potius fovere et augmentare : autoritate nostri et prædicti Capituli generalis ad supplicem et humilem devotamque petitionis vestræ instantiam quam nobis et Conventui nostro in pleno Capitulo fecistis, de communi consensu et libera voluntate ipsius Conventus, in quantum secundum Deum et bonam conscientiam possumus, tenore præsentium vobis gratis concedimus, assignamus, damus et perpetuo adscribimus ex certa nostra scientia capellam hujus Domus constructam ad honorem Dei et

Ei participatio largitur.

Capellam in quo sepeliretur construere intendit in Domo Cartusiæ.

gloriosi martyris atque Pontificis sancti Blasii, quæ sita est prope parvum claustrum inter sacristiam et ecclesiam sancti Joannis Baptistæ, quam aliter vocamus Capitulum. In qua quidem capella volumus et ordinamus in quantum secundum Deum et bonam conscientiam possumus, quatenus singulis diebus celebretur Missa una de vivis sive de mortuis, ad votum et voluntatem celebrantis, aut ex illis Missis quæ ex ordine tabulæ et consuetudine a sacrista hujus Domus injunguntur ; præterquam in sex diebus cujuslibet anni, quibus non consuevimus secundum Ordinem nostrum celebrare in capellis alias Missas privatas, sed solum conventuales in majori altari ; et nisi forte aliquando ex aliqua necessitate vel causa, quæ Priori hujus Domus rationabilis videretur, oporteret obmitti. Item concedimus vobis sepulturam vestram in prænominata capella, quam humiliter et devote postulastis ; et quod liceat vobis in ipsa capella facere quæ vobis secundum Deum placuerint facienda, dum tamen non sint contra morem nostri Ordinis, vel in præjudicium hujus Domus, etc. In quorum omnium robur, sigillum authenticum hujus Domus præsentibus duximus apponendum. Datum Cartusiæ sæpedictæ, die 12 Novembris, anno Domini 1413. » Et in replicata ora earumdem literarum, ipse Prior Cartusiæ manu sua hæc verba adjecit : « Intentio pura conscientiarum nostrarum fuit ista, quod si essemus ita securi sicut de morte, quod iste Dominus nunquam faceret nobis aliquid boni, nihilominus ne impediremus fructum devotionis suæ et fidei ; volumus sibi condescendere quoad Missam, quod etiam faceremus prout superius exprimitur pauperiori mendico qui sit in patria, cum ex hac concessione inde nihil amplius solito gravemur nec posteri nostri. Hæc est forma nostræ intentionis, ne quis forte aliter sinistre interpretaretur. Nihilominus tamen idem Dominus post aliquot dies a data concessione misit nobis mille florenos de pura eleemosyna et pro lampade et aliis necessariis capellæ. Notandum etiam quod cum per dictum Dominum tractaretur de assignatione dictæ capellæ, quod Domnus

ANNUS 1413

Capella S. Blasii ei adscribitur.

Item, sepultura in prædicta capella.

Et hæc omnia gratis dare intendit R. Pater Cartusiæ.

ANNUS 1413

Jacobus de Vallepelata, procurator noster in Meolano, retulit nobis ex parte ipsius Domini, quod non erat intentio sua nos ita obligari ad quotidie celebrandum in prædicta capella, quod si aliquando dimitteremus non essemus excusati. » Hæ observationes cum tanta cautione videntur factæ a Priore Cartusiæ, ne veniret in suspicionem de simonia tanquam qui pecuniam pro Missa accepisset. His enim temporibus nondum distinctiones hodiernæ receptæ erant.

In comitiis anni 1415, idem Præses commendatur precibus Ordinis : « Pro domino Præsidente et aliis Dominis de Consilio Delphinati, et aliis amicis et benefactoribus Ordinis fiat tricenarium de Spiritu Sancto, etc. » Adhuc posthac annos circiter decem vixit Guillelmus, cujus obitus his verbis denunciatur in Charta : « Honorabilis vir Guillelmus Gelinonis subdiaconus, Præpositus Ecclesiæ Cavallicensis, consiliarius Delphinalis, habens tricenarium. »

PLURES E NOSTRIS MORTI OCCUMBUNT.

V. Plures hoc anno aliqua nota inter Nos spectabiles obiere; et primum quidem apud Trevirensem cartusiam tres occubuere : videlicet Henricus de Wetslaria, qui adhuc juvenis et vix in Ordine triennis præfatæ Domui præfectus est. Deinde a Superioribus, magnis cum precibus, obtenta absolutione, repetiit solitudinem, ubi spreto omnium hominum consortio ut soli Deo adhæreret, tantum animi candorem et simplicitatem adeptus est, ut omnis mali et doli penitus oblivisci visus sit; cumque austeriora Ordinis exercitia ad decrepitam usque ætatem fideliter obiisset, post sexaginta et amplius annos in Ordine exactos, ut Dominicus Trevirensis coævus autor scribit, cum odore sanctitatis die 5 Martii defunctus est. Die septimo post ejus mortem, duodecimo videlicet ejusdem mensis, alter vir piissimus ibidem decessit, nomine Conradus de Indagine, alias de Honingen, quem citatus Dominicus, cui optime notus fuerat, « monachum sanctum » appellat, hoc brevi elogio indicans eum fuisse Cartusiensem omnibus numeris absolutum. Quem a suis amatum fuisse colligimus ex Chartis Capitularibus : nam cum apud Confluentinam Domum moraretur, a Trevi-

Tres Monachi e Domo Trevirensi ;

rensibus Patribus, quorum « Domus personis tum indigebat » ut loquitur Charta, enixe postulatus est et obtentus. His duobus idem autor tertium addit, ejusdem Domus professum, Walterum de Vite, qui post longam duramque pœnitentiam, lacrymarum dono a Deo ditatus, inter eas animam Deo reddidit die 21 Augusti. Apud Montem Dei die 19 Aprilis, Antiquior ejusdem Domus obiit, dictus Albertus de Loze, qui cum Domum Capellæ per aliquot annos laudabiliter rexisset, « ad suam magnam instantiam et propter senectutem et impotentiam laborandi » absolutus est. Olim in sæculo opibus et honore potitum fuisse par est conjicere ex versibus licet impolitis, quibus Robertus Camberonensis monachus Cisterciensis omne bonum ei apprecatur :

ANNUS 1413

Ex Charta 1374.

Albertus, Montis Dei ;

Sanctus pro monachis exoret nunc Anianus
Ut queat Albertus cœlestibus associari;
Omnia qui sprevit ut in Ordine Cartusiensi
Serviret Christo, qui gratis donat amanti
Præmia largiflue cœlestia centuplicata.
Sic Prior Albertus fecit, sprevit omnia seque
Ut quæ promisit Christus mereatur habere.
Oret Werricus, Severinus, Machariusque,
Ut Prior Albertus vivat sine fine beatus.

Idem Robertus oratoria facultate magis pollens, quædam opuscula Alberto dicavit, nempe Vitas Sanctorum cum quodam eleganti tractatu *de Rebus monasticis* quæ quondam apud Montem Dei asservabantur. Ipsum quoque Albertum non fuisse ignarum indicant quædam ab eo scripta de Vitis Sanctorum, et rebus Montis Dei. Transtulit et in gallicam linguam S. Erasmi martyris vitam, curavit quoque sibi per alium describi opera Nicolai de Hanapis Hierosolymitani patriarchæ.

Bartholomæus Ravennas, in Domo Papiensi.

Die prima Maii Bartholomæus Seraphini, vulgo ex patria dictus Ravennas, sicut sancte vixerat, sic et sancte decessit in Domo Papiæ inter brachia Stephani Maconi. Ejus obitus ad præfatam diem in vetusto Gorgonensis cartusiæ Calen-

ANNUS
1413

dario his tantum verbis simplicitatem Cartusianam redolentibus reperitur : « Venerabilis Pater Domnus Bartholomæus de Ravenna, qui prior Domum istam et Domum Papiæ recepit ad Ordinem nostrum sanctum Cartusiensem. » Fuisse virum pietate erga Deum eminentem, et Ecclesiæ pacis promovendæ studio flagrasse, satis apparet ex his quæ passim de eo superioribus annis enarravimus. Nec ad ejus sanctitatem probandam parum facit quod illum sanctissima virgo Catharina Senensis Dei Angelum appellare consueverat, quoties de eo sive loquendo sive scribendo mentio incideret opportuna. Ipse quoque vicissim, defuncta virgine verba faciens « solitus erat, ut legitur in processu Canonizationis S. Catharinæ, grandia recitare de ipsa. » Unde et quidam testis interrogatus, Bartholomæum nostrum « inter famosos Dei servos » annumerat ; nec immerito quidem, cum sicut alibi vidimus, ab ipsis summis Pontificibus, propter bonum quod de illius virtute acceperant testimonium, ut in suis Bullis loquuntur, et « propter bonorum operum illius odorem late manentem », ad totam Ecclesiam schismate divisam reconciliandam meruerit adhiberi. Ejus obitus designatur in Charta hujus anni cum Antonio monacho sacerdote Lapidis Refugii in Hungaria, quibus unicum conceditur tricenarium.

Vit. Steph. Maconi, Lib. IV, cap. 5.

Contestat. ms. pro Canonizat. S. Cath. ann. 1411 fact. c. 12 et seqq.

David de Vode, Domus Vallis gratiæ.

In eadem Charta legitur inter mortuos « D. David dictus de Vode, monachus sacerdos Domus Vallis Gratiæ prope Brugas. » Quem facile mihi persuaderem eum esse cujus meminit Raissius in Catalogo Scriptorum Belgarum nostri Ordinis; hunc enim solum ex monachis cartusiarum Belgicarum professis in nostris Chartis reperi qui David nominetur. Scripsit *Compendium de Vita spirituali* quod asservatur ms. in bibliotheca cartusiæ Divionensis, et apud Patres Societatis Jesu Antwerpiæ.

Ex fautoribus Ordinis :

Henricus IV, rex Angliæ.

Ex Chartis 1405 ad 1412.

Ex amicis et fautoribus nostri Ordinis obierunt Henricus hujus nominis IV, rex Angliæ, pro quo ab anno hujus sæculi quinto, « et bono statu regni ejus » preces in Chartis Capituli tum Seizensis, tum Majoris Cartusiæ post reconciliatum Ordinem, injungebantur, et in plerisque dicebatur « Ordini

ANNUS 1413

nostro multum affectatus et gratiose valde inclinatus. » Huncque affectum aliquando dicitur « demonstrasse in visitatione Domorum regni sui. » Ei successit in regno Henricus filius ejus, qui in eisdem Chartis commendabatur sub titulo Ducis Lancastriæ usque ad annum 1412, quo dictus est « Princeps Walliæ. » Rex præfatus, omnes fundationes et donationes a suis antecessoribus nostro Ordini factas variis diplomatibus confirmaverat; sed præcipue unionem prioratus de Kirkeby, ad Abbatiam sancti Nicolai Andegavensis spectantis, in gratiam cartusiæ Axelholmensis, sub quadam tamen annua pensione Benedictinis solvenda, autoritate et jussu Richardi regis factam, voluit ratam firmamque haberi, datis specialibus literis quæ apud Monasticon Anglicanum extant. Hinc inter nostros et Andegavenses monachos diutina certatum est disceptatione quam Joannes Rector Axelholmensis hoc anno componere nisus est, scriptis ad Jacobum Huays cartusiæ Cœnomanensis Priorem literis in quibus, postquam indicat diversa media quæ ad pacem conciliandam proposuerat, ita ut etiam durante guerra Andegavenses monachi octo vel decem marcas annuatim de dicto Prioratu percipere valuissent, adjecit : «.... Jam vero quia, ut mihi videtur, quanto plus laboramus erga eos pro tractatu faciendo, tanto se reddunt difficiliores : ergo, qui scrutatur renes et corda et reddit unicuique juxta opera sua, videat et judicet, cujus judicio nostram simplicitatem subjicimus; qui etiam novit quod aliena injuste possidere non concupiscimus, neque de jure suo aliquem vel aliquos defraudare.... significare etiam velitis, bone Pater, si necesse fuerit ut veniam aut mittam aliquem ad vos vel ad ipsos; nam si expediret et esset spes aliqua concordiæ, vellem proximo anno, si tamdiu contingeret me remanere in officio, gratia hujus negotii venire ad Capitulum, ut sic eundo vel redeundo possem cum adjutorio Dei et vestro, habito salvo conductu si posset impetrari, facere bonum finem.... Quia ergo Domus nostra debet esse perpetua, desideramus de dote nostra pro perpetuo esse securi, et absque contentione vivere, sicut decet servos Dei,

Vid. ann. 1397.

Lis inter Nostros et Abbatiam S. Nicolai Andegavensis, de Prioratu Kirkeby;

Tom. I, pag. 563.

Ex tabulario cartus. Parci.

quam componere Nostri student nec valent.

ANNUS 1413

etc. Scriptum Londonii, die 10 Martii, anno Domini 1413. Vester humilis servus, frater J. Rector inutilis plantationis Visitationis B. Mariæ Ordinis Cartusiensis in Anglia, orator vester specialis. »

In Charta quidam alii Ordinis amici reperiuntur : Bertholdus episcopus Frisingensis, habens tricenarium defunctorum, quem Bucelinus vult ante triennium obiisse, trigesimo administrationis suæ anno. V. P. D. Arnoldus de la Duxio, Prior major monasterii Cluniacensis. Dominus Arnoldus Auriola decanus Lemovicensis, et magnificus Dominus de la Valle et de Vitriaco miles.

JESU CHRISTI

ANNUS 1414.

Joannis PP. XXIII Ann. 5.	Ordin. Cartus. Ann. 331.	Joannis III. Pr. Cart. Ann. 5.

I. ANNO Virginei partus millesimo quadringentesimo decimo quarto, Indictione septima, beatus Stephanus Maconus, olim Domorum soli Pontifici Romano subditarum Generalis, tum vero Papiensis cartusiæ Prior, ad Matrem Cartusiam, altero beato viro, scilicet Nicolao Albergato Bononiensi Priore comitatus, ascendit ut plenis præsens comitiis prioratu se abdicaret, sicut jam a biennio Visitationis munus per literas deposuerat. At inutiles fuere illius preces et lacrymæ, nam a Patribus cum exquisitis venerationis et amoris signis exceptus, primum inter Diffinitores locum tenere, et hanc de se sententiam audire cogitur : « Priori Domus Papiæ non fit misericordia, et hortamur eum in Domino, ut ad sui magnam coronam et Ordinis utilitatem habeat patientiam in officio et laboribus suis. » Verum ne cunctis postulatis excluderetur, quibus sese deprimere conabatur, Visitationem qua Domus Papiensis propter illius reverentiam hactenus sub illius regimine exempta fuerat, vir humilis obtinuit quantocius fieri, non per Visitatores ordinarios, ut forte petierat, sed per amicum suum præfatum Albergatum, cui proptera « districte injungitur, quod indilate absque ulla mora post Capitulum se transferat ad dictam Domum Papiæ pro Visitatione illius Domus cum socio Priore quem duxerit eligendum, cum plenaria autoritate ejusdem Capituli. » Ad ejusdem Stephani

STEPH. MACONUS MISERICORDIAM OBTINERE NON VALET.

Domus Papiensis a Beato Nicolao visitatur.

ANNUS 1414

preces sive suasionem, Domus Italiæ quæ schismatis tempore tres provincias constituerant, et post reconciliatum Ordinem ad duas, ut ante schisma, redactæ fuerant, iterum in tres distinctæ sunt hoc ordine : « Provinciam Lombardiæ propinquioris visitabunt Priores Januæ et Astensis. Domos vero Regni Priores Neapolis et Capri ; Provinciam Tusciæ, et specialiter Domos Montelli, Parmæ et Mantuæ, Priores Bononiæ et Maggiani. » Per Domos Regni intelligenda est provincia Lombardiæ remotioris, cujus provinciæ Domus pleræque in regno Neapolitano sitæ erant, unde, tempore schismatis, promiscue designabantur sub nominibus « Domorum Regni, » vel « Lombardiæ remotioris, » quod ultimum vocabulum retinuit ad annum 1628, quo cœpit appellari « Provincia sanctorum Stephani et Brunonis, » sed hodie solo gaudet sancti Brunonis nomine. Nihil præterea in his comitiis actum est notatu dignum, nisi quod Patres quosdam Priores variis modis adhortati sunt : Pisanum videlicet, dictum Joannem de Restibus, « ut viriliter et virtuose procedat circa Domus suæ reformationem, prout audivimus eum bene cœpisse; » Joannem Jacobi de Cassina, in ipso Capitulo generali e Belrigardensi regimine translatum ad Gorgonense a Conventu ejusdem Domus postulatum, « ut familiam in Domo sua studeat conservare et augere ad honorem Dei, suiipsius et suæ Domus augmentum ; » tertius serio admonetur « ut sit sollicitus circa laudabiles Ordinis observantias et nullatenus equitet cum albo mantello. » Verum cum biennio post inventus fuisset non satis ex hujusmodi admonitione profecisse, ab ipsis Visitatoribus cum dedecore absolvitur. Quemdam vero monachum Domus Vallis S. Antonii in Hungaria professum, « qui fecit incidi oculum suum, » coactus ex morbo, ut verisimile est, declarant « non debere amittere vocem suam, » nam licet sibi abscindens quodlibet membrum justo vel injusto timore irregularis per decreta declaretur; non tamen propterea voce privatur, cum irregularitas ex defectu et extra culpam non debeat ullam pœnam homini hujusmodi importare, quantumvis ad sacra ministeria inhabili.

Adhortationes Capituli generalis ad quosdam Priores.

Ex Charta 1416.

ANNUS
1414

HISPANORUM ORDINATIONES.

II. Hispani Cartusienses eodem tempore suum generalem Conventum habuerunt, ex cujus actis duo tantum decreta ad nos pervenerunt, quæ licet non magni sint momenti, ea tamen velut illorum accuratæ circa observantiam diligentiæ notas hic subjicimus. Primum tale est : « Quia divinum Officium uno ritu dicere debemus, et nonnulli in hymno Adventus, in quarto versu, in diversis Domibus diversimode dicunt; notificamus quod in libris correctis sic habetur et dicatur : « Cujus forti potentiæ genu curvantur omnia; cœlestia, terrestria fatentur nutu subdita. » Ideo emendent qui aliter habent. Item in hymno sancti Joannis Baptistæ qui dicitur ad Laudes, in versu qui incipit « Ut pius, » dicatur luvione per u, et non livione per i.

Alterum sic habet : « Dispensamus cum omnibus celebrantibus, ut eis liceat si maluerint, et possint dicere unam Missam defunctorum pro quolibet Brevi quod singulæ personæ Ordinis literatæ singulis septimanis dicere tenentur. » Sed hujusmodi licentia solis postea Officialibus eam petentibus ad libitum Capituli generalis vel Reverendi Patris concessa est.

LEGATI ORDINIS AD CONCILIUM CONSTANTIENSE.

III. Sed ad Majorem Cartusiam redeamus. Ubi cum encyclicæ literæ Diffinitoribus oblatæ fuissent, quibus Joannes Papa (quem precibus Ordinis cum Archiepiscopo Narbonensi illius Camerario commendaverant) omnes ecclesiarum et monasteriorum Prælatos ad Concilium die 1 Novembris initiandum vocabat, duo ex ipsis Diffinitoribus delecti sunt : videlicet Albertus Harhusen Alemaniæ inferioris Visitator et Bernardus de Benga, Domorum Horti Christi et Argentinæ Priores, qui cum Rolando cartusiæ Coloniensis moderatore, totius Ordinis et ipsius Prioris Cartusiæ Joannis de Griffomonte nominibus adessent Concilio. Ad illud quoque quosdam de Nostris a Principibus delegatos fuisse reperio, inter quos sunt Joannes Placentis et Godwinus Comharius, cartusiarum Petræ-castri et Diestensis Priores, ille ab Amedæo Sabaudiæ comite, hic ab Antonio Brabantiæ duce missi. Sed de quolibet, et de negotiis ab eis ibidem procuratis, suis dicemus locis. Concilii celebrationem disturbare nisi sunt Gre-

Concilium Const. Sess. 20.

ANNUS
1414

gorius XII et Petrus de Luna. Iste tamen, post aliquot inter se et Sigismundum Imperatorem habitas altercationes, Legatum suum eo misit. Hic autem spretis Imperatoris, Regum, Principum et Præsulum precibus, factus est pertinacior.

Vita ms. Bonif. Ferr. §. 18.

« Quapropter, inquit autor Vitæ nostri Bonifacii, rex Ferdinandus colloquium habuit (mensibus Julio et Augusto) cum ipso in oppido Morellæ (sive Maellæ), intervenientibus duobus fratribus Bonifacio Cartusiæ Priore et S. Vincentio

Acta SS. ad 5 April. §. 4. n. 16.

dominicano. Sed quamvis per multos dies rogaverunt Papam, ut ad Concilium iret vel potius renuntiationem suam inde mitteret, nihil aliud perfecerunt quam ut scriberet Im-

Vita ms. Franc. d'Aranda, § 8.

peratori ut dignaretur venire Nisam aut Perpinianum, ubi ipse una cum Rege tempore assignato pergeret, ut simul omnes ibi tractarent modum renunciationis. Factum est hoc anno 1414. » Idem autor alibi scribit Franciscum de Aranda eidem colloquio adfuisse, « qui simul cum rege Ferdinando in præfatum oppidum Morellæ regni Valentini venit, ubi præstolabatur eos Benedictus XIII ad tractanda media pro extirpatione schismatis. Et quamvis per triginta dies elaboratum fuit, nihil aliud profecerunt nisi ut convenirent Nisam, » sicut jam supra dictum est.

Ad Concil. Constant. legatos mittere renuit Benedict. XIII.

Ipse vero Petrus de Luna, ut Cartusienses Hispanos magis ac magis sibi devinciret, eamdem eleemosynam easdemque Indulgentias quas olim Majori Cartusiæ concedere consueverat, Patribus quoque in Domo Vallis Christi congregatis miserat. Et post comitia, aliam videlicet sive potius renovavit gratiam quam præfati Hispani per suam Chartam anno sequenti significaverunt his verbis : « Intimatur quod Dominus noster summus Pontifex Benedictus XIII, anno Domini 1414, indulsit absolutionem a pœna et a culpa in articulo mortis universis et singulis hujus Provinciæ, videlicet in Domibus Scalæ Dei, S. Pauli de maritima, B. Mariæ Montis hilaris, Portæ Cœli, Vallis Christi, B. Mariæ de Paulari, B. Mariæ de Covis ac Jesu Nazareni, nunc professis nostrum Ordinem aut qui in perpetuum profitebuntur, necnon et Novitiis qui infra annum Novitiatus et Novitii mortui fuerint. »

ANNUS 1414

DUO CARTUSIANI AD CAPITUL. GENER. ORDINIS S. HIERONYMI MITTUNTUR.

IV. Patrum Aragoniorum fides variis notis Petro Lunensi satis spectata erat, ut de eorum perseverantia penitus non dubitaret. At ille ut Castellanorum Cartusiensium animos pariter in suo obsequio egregie stabiliret, Priorem cartusiæ Paularitanæ hoc anno delegavit, qui per se vel per duos alios Monachos e suis subditis a se eligendos, primo Patrum Hieronymitarum generali cœtui adesset præessetque. Res paulo altius repetenda est ex hujus Ordinis Historia. Mediante sæculo decimo quarto, beatus Thomasuccius Senensis plures in Italia, sub Eremitarum sancti Hieronymi titulo, congregaverat discipulos; e quibus postea quidam in Hispaniam tempore Alphonsi XI transfretarunt et cœnobia condiderunt, approbante Gregorio papa XI per bullam xv calendas Novembris anni 1373 Avenione datam. Crevit autem sat velociter hujus Religionis in partibus Hispaniæ domorum numerus, ita ut anno 1414 ad viginti quinque pervenerit; sed unumquodque cœnobium separatim sub Ordinarii potestate administrabatur, nec ullum commune vinculum omnes ejusdem Regulæ professores ad invicem colligabat : hinc jam magna et lugenda observationum et consuetudinum diversitas cernebatur. Tunc ut mali radices evellerentur ac unitas peroptanda gigneretur, statuerunt Eremitæ omnes suæ Congregationis domos sub unico Magistro atque generali Capitulo collocare. Hanc ob rem ad Benedictum XIII quem Hispani verum Pontificem credebant recurrentes, ab illo bullam acceperunt vi cujus Ordo sancti Hieronymi in unum coadunabatur, et ab Ordinariorum jurisdictione eximebatur. In illa autem bulla Pontifex sic de Ordine Cartusiensi loquebatur : « Quæ ad pacificum ejusdem Ordinis* statum, divini cultus augmentum ac salutem animarum necessaria fuerint seu etiam opportuna, tam in capite quam in membris, ordinent et disponant prout secundum Deum eis videbitur expedire. Et nihilominus, ipse Major et alii Priores dicti Ordinis, qui pro tempore fuerint, pro se et eorum conventibus Capitulo generali obedire, et ipsius correctionem subire efficaciter teneantur, modo et forma quibus Prior Cartusiensis et alii

A jurisdictione Ordinariorum eximuntur Hieronymitæ.

* S. Hieronymi.

ANNUS 1414

Procurator, sicut in Ordine Cartus. in Domibus S. Hieronymi instituatur.

Priores Ordinis Cartusiensis suo generali Capitulo obligantur. Et insuper quod in quolibet ejusdem Ordinis sancti Hieronymi monasterio constituantur Procuratores qui bona temporalia quæcumque ipsius monasterii, seu ad ipsum monasterium quomodolibet pertinentia, recipiant et fideliter administrent, ac de receptis et administratis hujusmodi, sicut Procuratores monasteriorum dicti Ordinis Cartusiensis consueverunt, reddere rationem teneantur. Ut autem super statuendis et ordinandis, quæ in præmissis, et circa ea per Capitulum (ut præmittitur) celebrandum statuenda et ordinata fuerint, facilius repellatur sator discordiæ humani generis inimicus, et liberius introducatur, institutor concordiæ, Omnipotentis Dei et gloriosæ Virginis Filius, Dominus noster Jesus Christus, volumus quod duo ad minus viri providi et experti ex dilectis filiis Prioribus vel monachis dicti Ordinis Cartusiensis, qui per dilectum filium Priorem Cartusiæ ad hoc fuerunt deputati, intersint primo Capitulo per dictos Priores et Fratres Ordinis sancti Hieronymi celebrando; quibus si, quod Deus avertat, inter eosdem Priores et Fratres dicti Ordinis sancti Hieronymi circa ordinationes et Statuta facienda super præmissis vel aliquo præmissorum, talis orietur discordia quæ inter eos commode sopiri non posset, etiam volumus quod ipsi domini Priores vel monachi Ordinis Cartusiensis, auditis et intellectis rationibus utriusque partis, super illis de quibus erit discordia determinent, statuant et ordinent autoritate nostra, una cum parte quam noverint meliori zelo et majori pietate ac potiori ratione fulciri, quæ ipsis et parti eidem ad præmissorum effectum magis apta et utilia videbuntur. Nos enim Statuta et ordinationes super his de quibus erit discordia, per ipsos duos Priores vel monachos dicti Ordinis Cartusiensis et parte hujusmodi facienda, eumdem habere vigorem, et sic rata, firma et permansura decernimus, ac si per totum Capitulum fuissent concorditer ordinata. Demum vero ipsum Majorem et alios Priores et Fratres aliasque personas dicti Ordinis sancti Hieronymi præsentes et futuros, in omnibus et singulis divinum cultum,

Cartusiani prædicto intersunt Capitulo,

et in dubiis vel controversis statuendi jus habent.

cæremonias et observantias regulares, ac regimina et administrationes monasteriorum, domorum, et aliorum bonorum spiritualium et temporalium ipsius Ordinis concernentibus; criminibus seu quibusvis excessibus aut delictis, in quibus alterius non existentis de ipso Ordine sancti Hieronymi privatum interesse non vertatur; quæstionibus quoque et controversiis ac dubiis, si quæ inter Majorem et alios Priores, Fratres et personas ejusdem Ordinis esse contigerit, etiamsi ex mero officio judicis in cunctis et singulis prædictis procedi debeat; ab omni jurisdictione, visitatione et correctione quorumcumque judicum ordinariorum autoritate prædicta ex simili licentia prorsus eximimus ac etiam liberamus; ipsosque Priores, Fratres et personas eidem Majori ac ipsum una cum eisdem Prioribus, Fratribus et personis eidem generali Capitulo seu Diffinitoribus, prout in Ordine Cartusiensi prædicto est fieri consuetum : in aliis vero in quibus vertitur seu verti potest interesse aliorum monasteriorum, ecclesiarum, locorum et personarum, eosdem Majorem et alios Priores, Fratres et personas ipsorum locorum prædicti Ordinis sancti Hieronymi, Ordinariis prout hactenus erunt subditi et subjecti, subesse ac subditos et subjectos in perpetuum fore decernimus ac etiam ordinamus, etc. Datum apud sanctum Matthæum Dertudensis diœcesis, xv calendas Novembris, pontificatus nostri anno vicesimo primo. »

ANNUS 1414

Major Ordinis subsit generali Capitulo.

Generale Capitulum Hieronymitarum, cui duo e Paularitana cartusia monachi adfuerunt, in monasterio sanctæ Mariæ de Guadalupe adunatum fuit die 25 Julii 1415; elegeruntque Patres in Generalem seu Majorem, ut aiunt, Didacum de Alcaron Priorem sancti Bartholomæi de Lupiana qui una cum duobus Cartusianis, Capitulo præsedit.

Primus Major hujus Ordinis eligitur.

V. Ad Concilium Constantiense a Joanne Papa vocatus est Joannes Hussus, qui cum publica scripta Pragæ in ecclesiarum et monasteriorum valvis affixisset, in quibus suos accusatores ad Concilium provocabat, in viam se dedit suorum sectatorum non parva stipatus multitudine. In aliis pariter Germaniæ urbibus per quas transibat, similibus scriptis

ITER J. HUSSII CONSTANTIAM VERSUS.

Rayn. ad hunc ann. nn. 10. 11.

ANNUS 1414

publicisque concionibus suos errores in populorum animos diffundere gestiebat : cunctis ad eum videndum propter illius famam undequaque confluentibus. At sicut Pragæ Cartusienses ac præsertim eorum Prior Marquardus, hominis audaciam non parum represserant, ita et Nurembergæ, alter nostri Ordinis monachus, cartusiæ ejusdem civitatis Prior, Henricus videlicet a Gorlizhoven, provinciæ Alemaniæ inferioris Visitator (quem Petreius magnum Theologum et jurisperitum appellat), cum a Joanne Helwel, plebano (ut vocant) sive curione S. Laurentii, in cujus parœcia cartusia Nurembergensis sita est, audisset Hussum coram Clero et Magistratu suas opiniones expositurum esse, sancto zelo accensus citius occurrit et per plures horas captiosis impii sophistæ argumentationibus reluctatus est. Antequam Nuremberga Hussus discederet, Pragam ad suos fideles amicos scripsit epistolam in qua cum magna jactantia prædicans quanto populorum applausu ubique excipiebatur, de nostro Henrico et quodam Plebano sic quæritur : « Ecce, inquit, venimus Norimberg, in qua adventum nostrum mercatores divulgaverant, qui nos præcesserant; propter quod populus stabat in plateis, aspicientes et quærentes quis esset magister Huss.... Et quia convenerant cives et magistri volentes me videre et mecum conferre.... Secrete quibus dixi : « Ego prædico publice ; etiam volo ut audiant quicumque voluerint. Et statim ab illa hora contulimus præsentibus Consulibus et civibus usque ad crepusculum noctis. Erat autem Doctor unus Cartusiensis qui arguebat fabulose. Et consideravi quod magistro Alberto plebano S. Sebaldi displicuit quod cives meam sententiam confirmabant. » Autor quoque Vitæ illius tunc præsens, ejusdem meminit disceptationis his verbis : « Ab hora prandii coram ipsis sacerdotibus et Senatoribus plurimisque aliis civibus, usque ad noctem magna cum admiratione omnium locutus est, solo Cartusiano quodam Doctore et parocho divi Sebaldi improbantibus. » In hoc certe majori laude dignus fuit noster Henricus, quod solus cum Plebano hæresiarchæ auditores suis erroribus inficienti tam generose

Nurembergæ Prior Cartusiensium ei publice resistit.

Epist. ad fidel. amicos.

Inter opera Huss. Tom. I.

coram tanta multitudine obstiterit; nec dubium quin Patres Concilii per Albertum Harhusenium, suum in Visitationibus collegam, illuc ut superius diximus ab Ordine delegatum, de hominis impudentia in disseminandis impiis dogmatibus commonuerit.

ANNUS 1414

VI. Hoc anno, construi cœpit in Anglia cartusia sub titulo Jesus de Bethleem, in agro Surregiensi et diœcesi Wintoniensi, juxta villam regiam *Shene*. Præcipua hujus fundationis causa hæc fuit : Henricus Lancastriæ dux, Joannis Gandavi filius et Eduardi hujus nominis III, Angliæ Regis nepos, a Ricardo II rege suo patrueli patria expulsus, et postea complurium Principum Anglorum sollicitationibus revocatus, Richardo regno vitaque in custodia spoliato, Rex ipse creatur, Henricus IV nuncupatus. Illum tandem facinoris pœnituit, et a Romano Pontifice imposita sibi gravi pœnitentia absolutionem impetravit. Sed eo, anno superiori, ut ibidem diximus, vita functo, pœnitentia non completa, Henricus V, ejus filius et regni successor, fidei patris Richardo datæ et postea violatæ expiandæ causa, pro utriusque salute tria loca divino cultui dicata ædificavit : unum dedit Cartusiensibus, alterum Brigidanis, tertium Celestinis. Duorum priorum meminit Polydorus Vergilius loquens de Henrico V. « Duo, inquit, cœnobia prope villam regiam Shene, cui hodie Richemondia nomen est et septem millia passuum a Londino abest, miro operis apparatu ædificare cœpit, magnisque tum possessionibus tum irrogatis privilegiis locupletavit, honestavitque.... Alterum autem sacratum voluit nomini Jesu, appellavitque Bethleem, idque Cartusianis monachis postea incolendum dedit, » et hoc quidem anno ut apud Walsinghamum legitur. Est hæc cartusia in læva Thamesis ripa e regione alterius cœnobii quod in altera ejusdem fluminis ripa situm, dedicatumque est pariter Jesu atque Deiparæ Virgini ac divæ Brigidæ, quod ejus Divæ Ordinis viris et fœminis commune est, vocaturque *Sion*. Indidit pius Princeps hujusmodi cœnobiis Bethleem et Sion nomina, ut per hæc memoria Terræ Sanctæ, unde salus nostra profecta est,

DOMUS DE SHENE IN ANGLIA FUNDATUR

ab Henrico V,

Histor. Anglic. Lib. 20, 21, 22.

Histor. Anglic. p. 387.

ANNUS 1414

in regno suo perpetuaretur. Tertium quoque monasterium juxta eumdem locum ab Henrico constructum fuisse asserit idem Walsinghamus, et constat ex Monastico Anglicano ; quod quidem cœnobium, ut diximus, monachis Celestinis addixit. Multos quidem sumptus in horum cœnobiorum constructionem Henricus impendit eaque egregiis privilegiis decoravit et immunitatibus, sed pauca de suo præter loca in quibus sita sunt, in eorum dotem contulit, licet ea variis facultatibus abunde ditaverit quod eo modo præstitit. Ad reipublicæ commodum, propter continuum cum Gallis bellum, a suis antecessoribus sancitum fuerat ut nullus alienigena, aut qui in Anglia natus non esset, ecclesiasticis beneficiis potiretur. Eadem decreta, habito cum suis Principibus concilio, Henricus jamjam in Francos arma laturus integrari jusserat ; jam per sexaginta annos et amplius hujusmodi decreta summo jure observabantur, ut ex his quæ superiori anno diximus colligere est : hincque multi nati sunt abusus. Plures namque ecclesiæ, Prioratus, aliaque beneficia ecclesiastica quæ juris erant externorum monasteriorum, in manus laicorum et ad alios profanos usus, expulsis Francis beneficiariis, devenerant. At Rex ductus religione, ut conscientiæ qualitercumque satisfaceret, cuncta hæc bona e manibus sæcularium redempta, quod a suis antecessoribus sæpe factum sciebat, monasteriis intra Angliam fundatis sive fundandis addixit. Idque circa tria monasteria recens a se erecta munifice et large perfecit. Cartusiensibus, ut de cæteris taceam, sex aut septem Benedictini Ordinis Prioratus, qui et aliquando maneria tantum dicebantur, in dotem novæ suæ Domus obtulit, oblationem nomine Ordinis recipientibus Willelmo et Thoma Quixleyo Withamiensis et Bellævallensis Domorum Prioribus, ordinariisque Anglicanæ provinciæ Visitatoribus. Ab his statim e variis Angliæ Domibus ad novam plantationem initiandam quidam monachi missi sunt, eos deducente Joanne Wydringtonio, cartusiæ Londoniensis alumno, qui Rector simul institutus, dotales Literas paulo post a Rege confici curavit. Exemplum a Joanne Leonis et Joanne

ex bonis alienigenarum.

Harpsfeld, Histor. ecclesiast. Anglic. Sect. xv. c. 3.

Sex Prioratus Ordin. S. Benedicti in dotem cartusiæ Shenens. assignantur.

ANNUS 1414

Gobiani, Majoris Cartusiæ Monachis, haud diu post in Angliam ab Ordine legatis commissariis, ex earumdem Literarum autographo exscriptum et collatum adhuc in tabulario Matris Cartusiæ asservatur; eæque adeo sunt amplæ, ut parvum conficiant codicem. In eis quoque tot sunt lectiones diversæ ab his quæ apud Monasticon Anglicanum reperiuntur, ut facile crediderim binas variis temporibus confectas fuisse; quod sine multo labore deprehendere poterit qui editionem Anglicanam conferre voluerit, cum earumdem fragmentis quæ subjicio. Eas enim integras dare propter nimiam earum prolixitatem et molestas clausularum ac formularum repetitiones, superfluum arbitror, cum sufficiat ex eis excribere quæ ad notitiam fundationum magis faciunt; sic autem inchoantur :

Tabulæ fundationis.

« Henricus, Dei gratia, rex Angliæ et Franciæ et dominus Hiberniæ, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, Justitiariis, Vicecomitibus, Præpositis, Ministris et omnibus Baillivis et fidelibus suis, salutem. Cum excelsa Majestatis exennia, quæ gloriam nostri regiminis de die in diem ubertim, ut ipsi videmus, extollant, rite a nobis gratiarum vendicant actiones; justissimum credimus ut eo medio in autorem tendant, quo nobis ab autore fluxerunt, nomine Salvatoris.... (et cætera quæ loco præludii habentur etiam in Monastico Anglicano). Ex hac igitur meditatione commoniti, et Domini Jesu gratia, ut speramus, præventi, considerando quod bona est negotiatio per quam largiendo transitoria declinantur et æterna felici commercio subrogantur : quamdam Domum conventualem Monachorum Ordinis Cartusiensis, ob specialem et sinceram affectionem quam ad Ordinem et Religionem illam multis inductis causis et motivis gerimus et habemus, in quodam solo nostro apud Shene, ex parte boreali situs manerii nostri ibidem continentis mille et septingentos et viginti quinque* pedes in longitudine ac mille trecentos quinque pedes et octo pollices in latitudine, et extendit se a Hakeloto juxta Divulhush ** ex parte australi usque ad Armetislote*** ex parte boreali, ad ho-

Ex Tabulario Maj. Cartus.

* Monastic. Anglican. habet : 3125.

***al.* Diversbuch.

*** *al.* usque ad crucem vocatam *Crossashe.*

ANNUS 1414

norem et gloriam et exaltationem nominis dulcissimi Jesu, quam quidem Domum, Domum *Jesu de Bethleem de Shene* nominari volumus perpetualiter et vocari disposuimus, et duximus ordinandam et fundandam ; ac in eis solo et loco fiet, quantum in nobis est vel esse poterit, Domum illam tenore præsentium erigimus, fundamus, creamus et stabilimus perpetuis temporibus duraturam. Et idcirco solum et locum prædicta cum pertinentiis prout limitantur seu imposterum limitabuntur et includentur, Joanni Wydrington monacho Ordinis prædicti, Priori ejusdem loci, assensu eorum quorum interest assignato et constituto, ac monachis Ordinis prædicti Deo ibidem servituris et moraturis, pro situ et constructione ac primaria fundatione ejusdem Domus, et in hæreditatione*, dictorum Prioris et monachorum ac certarum aliarum personarum imposterum specificandarum et nominandarum, et per eosdem Priorem et monachos et successores suos imposterum sustinendarum et subveniendarum, de gratia nostra speciali et ex certa scientia, ac de maturo et deliberato assensu Consilii nostri, pro nobis et hæredibus nostris in liberam, puram et perpetuam eleemosynam concedimus.... Et ulterius de uberiori gratia nostra, dedimus et concessimus pro nobis et hæredibus nostris, præfatis Priori et monachis procuratoriam Domum seu Prioratum de Ware in Comitatu Herfordiensi alienigenam cum pertinentiis.. ; Prioratum de Noien et Newmarket, necnon Prioratum de Carisbroke cum pertinentiis in insula Vectæ.. ; ita semper quod præfati Prior et monachi solvere teneantur annuatim dilectis nobis in Christo Priori et Conventui Montis-gratiæ, Ordinis Cartusiensis, et successoribus suis centum libras, quamdiu dicta Domus sive Prioratus de Ware in manibus ipsorum Prioris et Monachorum Domus Jesu seu successorum suorum fore contigerit in forma prædicta... Concessimus insuper eisdem Priori et monachis Domus Jesu quamdam seweram nostram in aqua Thamisiæ prope Shene, etc. (in hoc articulo additur piscaria de Shene in aqua prædicta, quæ non habetur in nostro codice). Conces-

* *al.* inhabitatione.

Piscaria in aquis Tamisiæ concessa.

ANNUS 1414

simus etiam unum dolium* sive duas pipas vini rubei de Vasconia, habendas et percipiendas annuatim sibi et successoribus suis per manus pincernæ hospitii nostri et hæredum nostrorum, qui pro tempore fuerit imperpetuum. Et præterea ex abundantiori gratia nostra, quod prædicti Prior et monachi et successores sui, in perpetuum sint quieti de auxilio ad primogenitos filios Regum milites faciendos, ad primogenitas filias Regum maritandas, et de omnibus auxiliis Regum, placitis, querelis, assisis et summonitionibus necnon contributionibus et aliis vexatione et inquietatione mundana, etc.. Concessimus etiam quod ipsi sint quieti per totum regnum nostrum de omnibus auxiliis, taxis, tallogiis, decimis, quintis decimis, quotis, contributionibus et consuetudinibus quibuscumque, etc. Quod si decimam vel quamvis aliam impositionem Clero Angliæ per aliquem summum Pontificem, vel alia autoritate, Ecclesiæ ratione imponi contigerit, et nobis et hæredibus nostris concedi, tum dicti Prior et monachi, etc., in perpetuum sint quieti, etc. His testibus : venerabilibus Patribus H. archiepiscopo Cantuariensi, totius Angliæ Primate; H. episcopo Elytoniensi avunculo nostro carissimo, cancellario nostro ; Th. Dunelm, et R. Norwicen. episcopis ; Thoma Clarentiæ, Joanne Bethford, Humfredo Glocestriæ fratribus nostris carissimis, carissimo consanguineo nostro Edwardo Eboracensi, ducibus ; Edmundo March. ; Thoma Arundell thesaurario nostro, et Ricardo Wara consanguineis nostris carissimis, et carissimo avunculo nostro Thoma Dorss., comitibus ; Henrico Fitzhugh camerario nostro, et Thoma Erpingham senescallo hospitii nostri, militibus ; magistro Joanne Prophete custode privati sigilli nostri, et pluribus aliis. Datum per manum nostram apud Westmonasterium, primo die Aprilis, anno regni nostri tertio, videlicet anno Domini 1415. »

* duo dolia sive quatuor pipas, juxta Monastic. Anglican.

Immunitas a multimodis contributionibus.

Testes.

Non habentur in Monast. Anglican.

Ex his cœnobiarchicis prædiis tria olim cartusiæ Montis Gratiæ Richardus rex adscripserat, scilicet Prioratus Carisbroke, Hynkelay et Warre : quibus tamen nunquam vel saltem paucissimo tempore potita fuerat. Quamobrem cum

ANNUS 1414

Henricus rex suæ novæ plantationi ea recens attribuisset, videtur in eorum compensationem Shenenses monachos ad pensionem illam centum libras de quibus in præfatis Literis fit mentio, Montigratianæ Domui singulis annis persolvendam obligasse. Notandum vero obiter Prioratum de Warram (quem etiam Cartusienses Montis Gratiæ aliquantulo tempore possederant) alium esse a præfato Prioratu de Warre. Hic enim situs erat in Comitatu Herfordiensi, et pertinebat ad Abbatiam S. Ebrulfi; alter vero in agro Dorsetensi positus, juris erat Abbatiæ Lyrensis.

Ad novam Domum inhabitandam,

Cum itaque tot bonis ac privilegiis suam cartusiam regius Fundator ditasset dotassetque, volebat eam statim conventualem fieri. Verum cæteris Angliæ Domibus tot incolas Cartusienses quot ad conventum integrum more Ordinis conficiendum requirebantur, e suo gremio propter Monachorum paucitatem ad novam plantationem mittendi potestatem non habentibus, Diffinitores Capituli generalis anni sequentis, rogati a Rege, cui Gallos minus gratos fore sciebant, Brabantinos et Geldrenses transmittendos decrevere; totius negotii cura Theodorico Terlinckio Picardiæ remotioris Visitatori et Alphardo, Antwerpiensis et Arnhemensis cartusiarum administratoribus, per Chartam his verbis demandata :

Brabantini Cartusienses vocantur.

Ex Charta 1415.

« Super personis mittendis in Angliam, ad instantiam Domini Regis committitur Prioribus Domorum B. Catharinæ prope Antwerpiam et B. Mariæ in Monichusen prope Arnheim. » Inter eos qui missi sunt, duos tantum reperio : quorum alter decennio post ad Domum Leodii ex Anglia transfretari jussus est, et vocabatur Joannes Jolis; alter dictus Henricus Teutonicus, cognomento Vanharii, ad Domum Withamiensem postea missus, altera emissa professione ibidem defunctus est anno hujus sæculi quinquagesimo primo.

Ex Chartis 1425, 1427 et 1451.

Domus incorporatio.

Biennio a fundatione nondum expleto, novam hanc cartusiam omnibus jam numeris completam, inter adscriptas Domos Patres annumerarunt per Chartam quæ sic habet : « Novam plantationem Jesu de Bethleem juxta Shene in Anglia, ad laudem Dei Omnipotentis, B. Virginis Mariæ

Ex Charta 1417.

omniumque Sanctorum, et ad instantiam illustrissimi Principis Regis Angliæ, via, jure et modo quibus possumus et debemus, nostro Ordini incorporamus : Rectoremque ejusdem novæ plantationis, videlicet D. Joannem Wydrington ibidem præficimus in Priorem. Et de quodam monacho quem petivit de Domo Bellævallis sibi mitti, committitur Visitatoribus provinciæ, qui etiam de terminis assignandis habebunt sibi providere. » Non diutina pace hujus Domus incolæ fruiti sunt. Cum enim Rex fundator eodem incorporationis anno valentem exercitum in Gallias transduxisset, Normanniam occupat ac paulo post ducta uxore Catharina, Caroli VI regis Francorum filia, totius regni administrator pronunciatur. Hinc, arrepta occasione, Monachi Benedictini, quorum bona Shenensi cartusiæ et aliis monasteriis, ut vidimus, a Rege destinata fuerant, restitutionem sibi velut tum ejusdem Regis subditis fieri a Nostris postulant. Quantas inde molestias Nostri sustinuerint suis dicemus temporibus. ANNUS 1414

Quosdam insignes sed paucos numero hujus Domus benefactores in Chartis capitularibus deteximus, quorum hæc sunt nomina : Willelmus Brusseburger [a], civis Londoniarum, qui habuit plenum Monachatum per totum Ordinem. Idemque beneficium obtinuit Dominus Tuwartis [b], miles. Philippus Pame [c], hujus Domus et Majoris Cartusiæ benefactor dicitur. *Benefactores.*

[a] Ex Ch. 1500.

[b] Ex Ch. 1504.

[c] Ex Ch. 1501.

VII. Hoc anno pie defunctus est Stephanus, Prior Domus Seizensis qui Stephano Macono successerat. Hic ex Italia oriundus et S. Catharinæ Senensi optime notus, unus fuit ex his de quibus Thomas Antonii de Senis, Ordinis Prædicatorum, in Attestatione sanctitatis præfatæ virginis sic loquitur : « Dico me vidisse personas plurimas utriusque sexus per ipsam ad Religiones diversas transmissas, utpote tam ad illam Prædicatorum quam ad illam Cartusiæ, Montis Oliveti et alias. » Ille igitur, Deo vocanti obtemperans, relicta patria, in Austriam, ut procul a cognatis et amicis solitudini commodius vacaret, aufugit, et in Domo Maurbacensi nostrum Ordinem amplexus est. Haud tamen diu delitescere potuit ; paucis enim post emissa vota annis, obeunte Henrico

STEPHANUS PRIOR SEIZENSIS MORITUR.

Cap. 7.

ANNUS 1414

Ex Charta Capituli Romæ habiti ann. 1382.

ejusdem Domus Priore, a Monachis qui virtutem illius perspectam habebant, super candelabrum positus non solum iis qui in hac Domo erant luxit, sed et toti Ordini, quando Patres Urbanistæ causa celebrandi comitia generalia apud Maurbacum bis congregati, illius regendi rationem communi admurmuratione comprobavere. Dum vero vir obediens negotia suæ Domus procuraturus, Venetiis nonnunquam moraretur, suæ summissionis amplam a Deo retulit mercedem. Quadam quippe die, cum interesset translationi digiti unius seraphicæ suæ quondam præceptricis Catharinæ, partem sacri hujus membri a Sanctimonialibus ad quas transferebatur obtinuit, et circa se miraculum patrari sensit, ut innuere videtur jam laudatus Thomas Senensis in suis contestationibus : « Item dico me recepisse de Roma per medium cognatæ virginis ibidem commorantis unum de digitis ejusdem virginis, qui etiamnum est hic in Venetiis apud dictas Sorores in pulchro tabernaculo argenteo et cristallino cum certis aliis Sanctorum reliquiis. De quo tamen digito aliquid parum..... Ejusdem quidam D. Stephanus, Domus Vallis omnium Sanctorum Ordinis Cartusiensis monachus, miraculose multis precibus et lacrymis impetravit. » Denique Stephanus etsi jam senex, post abdicatum a Stephano Macono Generalatum, a Conventualibus Seizensibus in Priorem electus, et ab Hugone et Joanne Maurbacensis et Gyriensis Domorum Prioribus autoritate Capituli generalis confirmatus, onus regiminis rursum subire cogitur ; sed triennio post, obtenta officii abdicatione, ad quietem æternam paucis post mensibus a Deo vocatus est, cujus obitus cum tricenario et anniversario perpetuo in Charta hujus anni denunciatus est*. Tribus quibus Seizensibus Domui præfuit annis, multum etiam profuisse colligimus ex eadem Charta per quam Conrado ejus successori « datur licentia recipiendi tot monachos quot cellas haberet in claustro. » Et in literis privatis Prioris Cartusiæ ad eumdem post comitia datis, hujusmodi licentia extendebatur ad viginti Monachos, dummodo facultates Domus pro eorum victu et sustentatione sufficerent.

Quondam S. Catharinæ Senensis discipulus.

Process. Canonisat. c. 14.

Ex Charta 1410.

* Obiit 28 Maii 1413.

Ex Charta hujus anni.

JESU CHRISTI

ANNUS 1415.

Sed. Apostol. vac.	Ordin. Cartus.	Joannis III. Pr. Cart.
Ann. 1.	Ann. 332.	Ann. 6.

I. ANNO Christi quinto decimo supra mille quadringentos, Indictione octava, dum Ecclesia Dei Constantiæ congregata, ac velut sub triplici gemens capite, suorum filiorum animos de viis extinguendi schismatis ineundis, suspensos tenet ; Patres nostri, die 28 Aprilis ad comitia generalia celebranda in Matre Cartusia coacti, justoque timore perculsi ne novis excitatis turbis, Ordinis pax conturbaretur rursusque illius scinderetur unio, decernunt sapienter ad vitandam omnem factionis notam, ut nulla facta cujuspiam Pontificis mentione, preces per totum Ordinem indicerentur tantum « pro pace et reformatione status nostræ Sanctæ Matris Ecclesiæ, » ad quam citius a Deo obtinendam tricenarium de Spiritu Sancto per Chartam imperant. Deinde ad præcavendam, si schisma invalesceret, subditorum suorum dissentionem, prudentissime censuerunt nominandos esse ex omni natione Priores pietate et usu peritos, qui casu exigente ad Majorem Cartusiam a Joanne Griffomontio convocandi, de mediis ad unitatem Ordinis conservandam magis opportunis consultarent, quorum deliberationem totus Ordo sequi teneretur. Octo igitur in hunc finem viri prudentes delecti sunt, quorum hæc sunt nomina : Stephanus Maconus Papiensis Prior, non minus sanctitate quam judicio præstans, qui et ipse his comitiis cum Petrino de Agazariis Januensi Priore adfuerat, et tale

ORDINATIO CAPITULARIS

ad unitatem in Ordine servandam,

ANNUS 1415

forsan consilium dederat ; Nicolaus Albergatus Prior Bononiensis et Lombardiæ remotioris Visitator ad Episcopatum paulo post evehendus ; Bernardus de Berga Argentinensis Prior, et Ordinis in Concilio Constantiensi delegatus procurator ; Joannes Kesselerus Moguntinensis Prior et Rheni Visitator, vir grandævus et longa doctus experientia ; Lambertus Joannis Avenionensis Prior et provinciæ Provinciæ Visitator, qui licet olim Petro de Luna addictus fuisset, unitatis et pacis postea se amiciorem exhibuit; Andreas de Valleviridi Divionensis Prior et Franciæ Visitator, qui ante quinque annos in reconciliando Ordine suam posuerat operam ; Joannes Compatris et Philippus Rivelli Pomerii et Repausatorii Priores, ac Gebennensis provinciæ Visitatores. Paucis quidem verbis hujusmodi decretum pronunciatum est, sed quæ perspicacem Patrum providentiam ex se adeo commendant ut nihil maturius, nihil sapientius, nihil denique Cartusiana pietate ac simplicitate dignius, in tam ancipiti negotio ad continendos in officio animos excogitari potuerit. Sic autem se habet : « Exhortamur et obsecramus omnes personas Ordinis nostri in visceribus Jesu Christi, quatenus diligenter et devote orent pro bono statu Ecclesiæ Dei, et pro omnium membrorum ejus pacifica et quieta necnon universali unione; quæ si, nostris peccatis exigentibus, non sortiretur effectum, ordinamus et volumus quod nulla Domus se determinet ad aliquam partem, sed denunciet Reverendo Patri nostro Domno Cartusiæ qui tunc habebit convocare Priores sequentes : De Francia, Divionis et Avenionis ; de Sabaudia, Pomerii et Repausatorii ; de Italia, Papiæ et Bononiæ ; de Alemania, Moguntiæ et Argentinæ, qui cum eodem Reverendo Patre nostro possint celebrare Capitulum privatum, et quicquid Spiritu Sancto invocato determinaverint, habeat per totum Ordinem roboris firmitatem, nisi forte posset bono modo differi usque ad Capitulum generale. »

casu quo novum oriretur schisma.

Verum quia diu inter Monachos stare non potest animorum concordia ubi reperitur in regulari disciplina discrepantia, idcirco quosdam tum Monachos tum Moniales a

Item : de paupertate servanda,

cæteris in paupertatis observantia discordes, ad veram hujus virtutis tramitem, quæ est singulare monasticarum observationum fundamentum, revocare studuerunt, duplici juxta abusuum genus edicta ordinatione. Prima est simplex ad Monachos admonitio sub hac forma : « Admonemus personas Ordinis quibus usus communis librorum vel aliarum rerum conceditur vel est concessus per Præsidentes, ut vel resignandi vel aliis concedendi habeant animum paratum ne incidant in speciem proprietatis, attendentes formam Statutorum nostrorum. » Altera vero quæ solas Moniales spectat sub præcepto edicitur ; graviori namque morbo validius adhibendum est remedium. Quamobrem : « Quia percepimus, inquiunt, quod quædam Moniales Ordinis nostri non vivunt sine proprio contra observantiam regularem, districte injungimus Visitatoribus earum, quatenus eas cogant ut communiter vivant et nihil habeant nisi quod eis de communi ab Officialibus ministratur ; quod si obedire nollent (quod absit) vino careant, donec obedire sint paratæ. » Denique cum nec ipsa regularis disciplina diu stare potest nisi Visitationes Domorum rite fiant ; « ideo, inquiunt Patres, ordinamus et volumus expresse quod Domus Ordinis nostri quæ non fuerunt visitatæ a duobus annis citra, Visitatores eas visitant abhinc usque ad Capitulum generale proximum, et copias Chartarum mittant ad Domum Cartusiæ citius quam commode poterint expensis Domorum visitatarum, nisi magna necessitas excusaret. Et quia grave est et onerosum Patri nostro Cartusiæ dictas Chartas instante Capitulo generali visitare, ordinamus quod hi qui dictas Chartas habent præsentare, veniant bona hora, aliquantulum ante Capitulum generale. » Ab hoc tempore Visitatores cœperunt Chartas Visitationum ad Priorem Cartusiæ super annum mittere, quod etiamnum cum magno observantiæ fructu agitur.

ANNUS 1415

maxime a Monialibus ;

et de Visitationibus faciendis.

Charta Visitationis ad Domum Cartusiæ citius mittenda

II. Hispani Patres inter se satis concordes, cum matre Cartusia, quantum in se erat, etiam convenisse videntur, cum in comitiis suis eodem tempore habitis, « ordinant ut *Gloria in excelsis* dominicale cantetur prout est notatum in

HISPANORUM CONGRESSUS.

ANNUS 1415

libris; et quia etiam in Cartusia et communiter in cæteris Domibus sic cantatur. » Multa alia circa divinum Officium disposuerunt, ex quibus duo hic libet annotare. « Notificatur quod in evangelio secundum Lucam, quod incipit : *Quis vestrum habebit amicum,* et dicitur tertia die Capituli generalis in Missa, et subsequenter in Missa Rogationum, dictum evangelium *Quis vestrum* non incipit per punctum interrogans; nec sumitur ibi *Quis* interrogative, sed *Quis* id est *aliquis* vel *si aliquis*, secundum Glossam et alios Doctores qui de hoc tangunt : et est parabola et similitudo. Et ideo qui habent ibi punctum interrogans, corrigant, et cantetur per punctum elevatum; quod fiat ibi *media nocte*. Et inde fit versus ibi : *Et dicet illi*. Item in Cantico *Quicumque* ubi dicitur *non tres Dii,* sicut scribitur per duplex i, sic et legatur, pronuntietur et cantetur, non obstante vanitate Grammaticorum ; et idem in similibus observetur. »

Nulli certe mirum videri debet, si Patres Hispani in hujusmodi minutiis tempus ac cogitationes suas ponerent : cum enim paucæ essent Domus in eorum obedientia, et in eis vigeret Cartusiana disciplina, nihil magni momenti occurrebat disponendum. Nec etiam quidquam aut agere aut dicere præsumebant contra reliquum Ordinis corpus a quo se quocumque modo disjungi moleste ferebant, cum præsertim nonnisi inviti et a suo Pontifice et a Rege coacti hujusmodi conventus generales celebrarent.

CONCILII CONSTANT. PRIMÆ SESSIONES.

III. Sed ad Concilium Constantiense redeamus, in quo paulo post habita apud Nos comitia generalia, Joannes XXIII præsens et Gregorius XII absens quidem sed per legatos suos cessionem faciens, Papatu sunt abdicati. Etsi seriem fusius enarrare non sit nostri propositi cum omnibus satis nota sit, eam tamen prout a nostro Antonio de Macis autore coævo (sed cujus opus ineditum est) recensetur, libet hic subjicere : « Anno 1414 prædictus dominus Baldassar* Cossa, dictus Johannes Papa, ordinavit una cum novo Electo ad Imperium, illustrissimo videlicet domino, domino Sigismundo rege Hungariæ et Romanorum, ut celebraretur Conci-

Cap. 25.

* *al.* Balthasar.

lium in civitate Constantiæ; ad quod etiam dominus Gregorius Papa consensit, multipliciter approbando. Ad quod Concilium primo adiit ipse Johannes cum Cardinalibus suis; et missa Spiritus Sancti celebrata, videlicet XVI mensis Octobris, fuit facta prima sessio; et post adventum ipsius Regis multa tractata factaque fuerunt. In hoc Concilio patefacta sunt crimina et scelera præfati Johannis; depositusque ab omni jure papatus, datus est ad custodiam sub manu illustris domini, domini Ducis Bavariæ quondam novi electi imperatoris. In hoc Concilio dominus Gregorius misso magnifico domino Carolo, domino Ariminensi, et aliquibus suis Cardinalibus et prælatis, renunciavit plenissime papatui. Quam renunciationem Concilium libentissime acceptavit fecitque ipsum legatum in partibus Marchiæ, magnisque privilegiis dotavit. Unde cum percepisset abrenunciationem factam ut supra, celebrata Missa in pontificalibus in civitate Ariminensi, ut fertur, coram populo deposuit ornamenta papalia dicens cunctis audientibus : Ego non sum amplius Papa. Baldassar etiam dictus Johannes coram omnibus renunciavit juri suo, quem sacrum Concilium denunciavit esse simoniacum notorium, bonorumque et jurium necdum Romanæ Ecclesiæ sed etiam aliarum ecclesiarum et piorum locorum dilapidatorem notorium, malumque spiritualium et temporalium Ecclesiæ administratorem et dispensatorem fuisse et esse; et suis detestabilibus inhonestisque vita et moribus, Ecclesiam Dei et populum christianum notorie scandalizantem ante ejus assumptionem ad papatum; et in his et aliis incorrigibilem denuncians : ipsumque ab omni administratione spirituali et temporali deponens, ipsumque adstandum sub custodia tuta serenissimi principis domini Regis Romanorum decrevit, quamdiu dicto Concilio pro bono unionis et Ecclesiæ Dei videbitur condemnandum fore, et eædem sententiæ condemnaverunt. Alias vero pœnas quas inferre deberent juxta canonicas sanctiones, dictum Concilium suo arbitrio reservavit declarandas et infligendas, secundum quod rigor justitiæ vel misericordiæ ratio suadebit... »

ANNUS 1415

Gregorius Papa spontaneus papatui renunciat.

Joannes XIII deponitur.

ANNUS 1415

Benedictus XIII cedere respuit,

Raynal. ad ann. 1415, n. 5.

Ex Charta Cœtus Hispanorum anni 1417.

et ne vi caperetur, clanculum aufugit.

Sublatis e solio Apostolico duobus Pontificibus, tertius restabat Petrus de Luna, obstinate persistens in sententia sibi asserendæ Papalis dignitatis, cujus tandem simulationes hoc anno cunctis patefactæ sunt. Vidimus anno superiori Regem Aragoniæ Imperatori proposuisse Nicæam aut Perpinianum ad conferendum cum Petro de viis cessionis illius. Interim Amedæus Sabaudiæ comes, a Joanne nondum deposito rogatus hujusmodi colloquium suis studiis promovere, Joannem Placentis Petræ-castrensis cartusiæ Priorem ad Petrum et Regem miserat, utrique non solum præfatam urbem sed totum se ad pacem Ecclesiæ procurandam offerendi gratia. At inutile fuit urbanum Amedæi officium ; imo cum mihi constet præfatum ejus nuntium apud Petrum per aliquot annos posthac hæsisse et Capitulis generalibus Hispanorum Patrum quandoque interfuisse, hinc de eo merito suspicor quod sui Principis mandatum non satis ardenti studio apud Regem Aragoniæ persecutus sit. Petro itaque Nicæam adire recusante, Imperator Perpinianum se contulit, de cujus congressu hæc habent Acta vitæ nostri Bonifacii : « Congregabatur jam interim Concilium Constantiæ, ad quod tam magnus concursus Prælatorum et personarum memorabilium ex universis mundi partibus confluxit, qualis antea visus non fuerit. Anno igitur sequenti, videlicet 1415 convenerunt Perpinianum ipse Rex Aragonum, Benedictus Papa, Sigismundus Imperator, Domnus Bonifacius, frater ejus sanctus Vincentius, et quamplurimi Prælati, Cardinales et nonnulli Ambassiatores missi a Concilio : qui omnes ex parte Ecclesiæ Catholicæ rogaverunt per multos dies geminatis instantiis Benedictum ut dignaretur renunciare, quandoquidem alii duo competitores Joannes XXIII et Gregorius XII jam renunciaverant. Sed nec rationibus ullis promissionibusve induratum animum ejus immutare valuerunt ; quin potius, timens ne caperetur et per vim duceretur ad Concilium, in scapha per flumen secrete fugiens, devenit Paniscolam, ubi usque ad diem mortis suæ demoratus est cum quinque Cardinalibus et quibusdam Prælatis qui ei adhuc adhæ-

serunt. Sed Imperator, Rex ac cæteri Prælati qui Perpiniani erant, visa pertinacia et duritia Benedicti, et quod quamvis fuisset Papa indubius tenebatur in conscientia renunciare pro totius Ecclesiæ bono, decreverunt de communi consensu ut nullus ei obediret, sed exspectaretur determinatio Sacri Concilii. » Ex nostris Petrum, Paniscolam usque, secuti sunt Joannes Placentis supradictus et Fr. Franciscus Aranda Portæ Cœli Donatus sæpe annis superioribus commendatus, qui tamen, cognita illius pertinacia, eum penitus postea deseruerunt. Interea, peracta apud Constantiam vigesima sessione, plura capitula approbata sunt, quibus inter alios subscriptus legitur « Frater Bernardus, Prior Domus cartusiæ prope Argentinam, Procurator Prioris Majoris Cartusiæ. »

ANNUS 1415

IV. Cum sub initium Concilii variæ legationes ad illud, controversiæ inter Sigismundum Imperatorem et Antonium Brabantiæ ducem de Ducatu ortæ dirimendæ gratia mitterentur, Godwinus Comharus professus et Prior Diestensis cartusiæ ab ipso Antonio, qui præclaras animi illius dotes ac maxime singularem in rebus agendis solertiam optime noverat legatus, viriliter magnoque animo sui Principis causam contra ipsum Imperatorem præsentem egit, ut refert Edmundus Dinterix ejusdem Ducis a secretis, his verbis : « Sigismundus Imperator Constantiæ existens objici fecit Goswino Priori Cartusiensium de Zeelhem, Antonii Brabantiæ ducis legato, quod Imperio jus esset acquisitum in Ducatu Brabantiæ, et quod fœminæ non possint in eo succedere : cordate respondit bene informatus Prior, quod Duces Brabantiæ de successione filiarum sunt ab antiquo privilegiati a divis Imperatoribus et Regibus Romanorum. » Reversus a Concilio Godwinus honorem fugiens sibi merito a Duce reddendum, Prioratu abdicato adiit Cartusiam, ubi altera professione emissa, factus Procurator, negotia ejusdem Domus et Ordinis cum laude per plures annos promovit, donec in Daniam missus, ad novam cartusiam nomine Ordinis recipiendam, ibidem in Episcopum electus est.

GODWINUS CARTUSIANUS AD CONCILIUM MITTITUR,

Divœus, Rerum Brabantin. Lib. XVII.

Chronicon Brabant. Lib. VI. cap. 116.

a duce Brabantino.

ANNUS
1415

CARTUSIA PROPE SIERCK FUNDATUR.

V. Hoc anno Abbatia Monialium Ordinis Cisterciensis, dicta Rivulus Beatæ Mariæ in Lotharingia prope Sirkum, oppidum diœcesis Trevirensis, Ordini adscribitur autoritate summi Pontificis, obtento prius Cisterciensium Superiorum consensu ; quod quidem hoc ordine factum declarat Carolus Lotharingiæ dux, hujus translationis præcipuus autor et promotor : « Nos Carolus, Dei gratia Lotharingiæ dux et marchio, notum facimus, etc... quod ex seria meditatione omnium temporalium rerum, dominiorum, divitiarum, omniumque quibus humanus animus oblectari solet, deprehenderimus ea omnia esse vana et transitoria... compertum quoque habentes religiosissimum ac piissimum Ordinem Cartusiensem Regulæ ac Statutorum suorum esse observantissimum, adeo ut de primo suo rigore huc usque nihil remiserit : idcirco nostrum ac illustrissimæ principissæ sororis nostræ ac conjugis Margaretæ de Bavaria jamdudum fuit et hodiedum perseverat desiderium, aliquod prædicti Ordinis, de quo tam multa sparguntur bona et sic in veritate esse comperimus, fundandi monasterium ; sperantes hanc piam nostram intentionem, si ad opus perducta fuerit, non solum Lotharingiæ Domui, sed et universæ nostræ ditioni plurimum profuturam. Animadvertentes præterea monasterium Virginum Ordinis Cisterciensis, Mariæ Rivulus nuncupatum, et prope civitatem nostram et arcem Sirck situm, in dies tam in spiritualibus quam temporalibus deficere; necnon et aliud ejusdem Ordinis Virginum monasterium in *Freistorff* jam in tantum defecisse, ut Horæ canonicæ in eo uti prius consueverat amplius non cantentur ; sollicite curandum nobis putavimus quonammodo præfata monasteria conservari, et cultus divinus in ipsis instaurari posset. Videntes ergo monasterium illud Mariæ Rivulus dictum, juxta civitatem nostram et arcem Sirck in solitudine et inter montes situm, locum esse pro cartusia commodissimum, rogavimus Abbatissam cæterasque conventuales ut illud nobis committerent pro cartusia fundanda. Quibus nostræ petitioni annuentibus.... misimus admodum Reverendum

De primo rigore nil tunc remisit Ordo Cartusiæ.

Monasterium Monial. Cisterciensium pro nova cartusia concessum.

Dominum Joannem Abbatem nostrum, ejusdem Ordinis Cisterciensis in Weiler *, ad Reverendissimum dominum Abbatem Cisterciensem, et ad generale ejusdem Ordinis Capitulum pro confirmatione... qui dominam Abbatissam cum Monialibus transtulerunt in Freistorff. His ita peractis, misimus etiam ad Capitulum generale Ordinis Cartusiensis, tum in Domo Majoris Cartusiæ celebratum, rogantes ut placeret illis Mariæ Rivulum pro nova sui Ordinis plantatione suscipere, illucque Rectorem et sui Ordinis personas mittere. Misso igitur illuc V. Patre Adolpho de Essendia, cartusiæ prope Treverim Priore, cum aliquot sacerdotibus et fratribus, cœpimus cum eorum consilio prædictum monasterium ad morem Ordinis Cartusiensis reformare, nec prius a cœpto opere decrevimus desistere, quousque necessariis ædificiis instructum, et sufficientibus reditibus pro Priore et duodecim personis sustentandis sufficienter esset dotatum. Idque totum ad majorem Dei, Deiparæque Virginis laudem et honorem, pro salute animæ nostræ dilectissimæque sororis et consortis nostræ Margaretæ, parentum nostrorum et liberorum, sicut et pro consolatione et conservatione omnium nostrorum subditorum. »

ANNUS 1415

* in diœcesi Metensi ; gallice *Villers-Betnach.*

Rector novæ plantationi datur.

Sub initium itaque præsentis anni, noster Griffomontius, ad petitionem pii Principis Caroli et Margaretæ illius uxoris, mulieris sanctæ, et ad relationem Visitatorum, Adolphum de Essendia (de quo in præfatis literis) piissimum virum, a Prioratu cartusiæ Trevirensis absolutum, in Rectorem novæ illius plantationis instituit, cui statim per Chartam hujus anni Patres sequentem dant licentiam : « Rectori novæ plantationis in Domo Rivuli B. Mariæ prope Sirck in Ducatu Lotharingiæ non fit misericordia, et concedimus ei quod recipere possit personas ad Ordinem cum consilio Visitatorum vel saltem unius eorum. » Ad præsentem igitur annum revocanda est hujus Domus fundatio, licet altius referatur a Browero, qui ejus initia ab anno hujus sæculi sexto repetens, videtur tantum tempus designare quo primum Dux de translatione Monialium et Nostrorum in earum locum sub-

ANNUS
1415

stitutione cum utriusque Ordinis Superioribus agere cœpit. Præter diruta antiqui monasterii ædificia pii fundatoris sum ptibus ad usum nostrum refecta, alia quoque sumptuosus Princeps, sua quidem digna magnificentia, a fundamentis erigi præceperat, sed quia eorum constructio splendidior visa est quam monachos decebat, eam ad Cartusianam simplicitatem reduci Patres voluerunt per Chartam capitularem, « admonentes Rectorem Rivuli B. Mariæ ne de cætero faciat fieri ædificia nimis curiosa. » Porro quoad dotem novæ hujus fundationis, multa quidem tenuioribus parthenii facultatibus adjicere volebat Fundator, ut ex his duodecim saltem monachi sacerdotes præter Priorem et Fratres laicos ali possent, sed arduis tum publicæ tum domesticæ rei negotiis ac maxime bellicis tumultibus impeditus, suam plene voluntatem explere non potuit. Sicque, post quindecim annos ab introductione Nostrorum in monasterium Sirckense moriens, novam suam cartusiam indotatam reliquit; cujus tamen singularem in Nos benevolentiam, precibus post illius mortem per totum Ordinem edictis, Patres remunerarunt ut discimus ex Charta anni trigesimi primi præsentis sæculi, quæ obitum illius his verbis denunciat : « Obiit illustrissimus Princeps dominus dominus Carolus, dux Lotharingiæ, qui impetravit Domum prope Sirck incorporari Ordini, habens tricenarium, etc. » Obierat anno præcedenti juxta Sammarthanos. Vivens etiam quandoque orationibus commendatus fuerat cum sua piissima conjuge Margareta Bavara, quæ multum quoque laboraverat in transferendo Rivuli B. Mariæ monasterio ex Ordine Cisterciensi ad Cartusiensem. Ex quo certe non parvum lucrum percepit : nam Cartusiensibus ibidem demorantibus, inter quos erat sanctissimus ille Dominicus Trevirensis, plurimum ex eorum consuetudine in virtutis cultu profecit; maxime vero ex directione venerandi Adolphi de Essendia (primi, ut diximus, hujus fundationis Rectoris qui Ducissæ fuit a sacris) et ex lectione cujusdam libelli ab amœnis hortorum, ut solet, rosariis ducta metaphora inscripti, quem ipse Adolphus conscripserat, quo

Ne nimis curiosa ædificia fieri permittat admonetur.

Carolus Lotharingiæ dux, Domus fautor, precibus Ordinis commendatur,

Histor. Geneal. Franc. Lib. XI.

sicut et Margareta Bavara ejus uxor sanctissima,

Rader. Bavaria Sancta, III.

Christi Dei Deique Matris res olim in terris gestas complexus est. Obiit illa die 27 Augusti anno 1434 cum opinione sanctitatis, cujus vitam admirabilem ipse Adolphus conscripsit, qui loquens de illius charitate erga infirmos et quomodo sordidiorum vulnera curaret, sese deprimendi occasionem arripit sic dicens : « Multo mirabiliora fuerant ipsius exercitia circa infirmorum etiam valde horribilium curam et medicamina et consolamina, in tantum etiam quod pedisequæ suæ nobiles, et etiam aliæ famulæ non nobiles, excepta una sola Lucia appellata, horrebant videre talia, nec volebant juvare ad lavandum vulnera.... Et ego ipse confiteor peccatum, et fœmineum cor meum in comparatione ad cor virile hujus Dominæ ; ego delectabar bene a longo stare et aspicere quomodo illa mulier sancta circa tales infirmos se haberet et quomodo ageret ; sed non audebam, imo horrebam valde (alibi tamen fatetur seipsum ad hujusmodi lotionem vas tenuisse) illas immunditias, spurcitias fœtidas et horribilissimas videre, quanto minus tangere, aut cum illa sancta muliere mundare, lavare sive ligare. Ergo sicut etiam dignum fuit, ego nullum infirmum talem potui curare sive sanare, quemadmodum et ipsa tantos ac tot infirmos a variis plagis et infirmitatibus, Jesu et Maria cooperantibus, sanavit, quod eorum numerus soli Deo est cognitus. » Hæc ille. Nihilominus quia preces pro mortuorum liberatione nunquam inutiliter funduntur, tricenarium defunctorum per totum Ordinem in gratiam acceptorum ab ea beneficiorum, per Chartas capitulares pro illius animæ refrigerio imperatum est. Mortuo itaque Carolo fundatore, cum nulla spes esset dotis conficiendæ Conventui alendo sufficientis, locum Nostri dereliquissent, nisi occasio pinguioris fortunæ sese eodem tempore eis obtulisset, ut dicemus suo loco.

ANNUS 1415

cujus admiranda charitas hic valde laudatur.

Ex Charta 1435.

VI. Hoc anno mortalitatem exuit Tydemannus Grawert, qui et Tilmannus vocatur, patria Ultrajectinus. Hic olim in seculo doctissimus ac pingui sacerdotio præditus, statum humilem ac pauperem divitiis et honoribus anteponens, solum Christum sequi elegit, factus monachus Cartusiensis in

DOMNUS T. GRAWERT PIE DECESSIT.

ANNUS 1415

Ex Chartis 1378 et 1380.

Domo San-Gertrudensi in Hollandia circa annum 1370. Paucis post professionem annis Prior ejusdem Domus a Conventu eligitur, sed ad majora vocatus a Capitulo generali Domui Leodiensi præficitur. Ibi studium suum, nascente Ecclesiæ schismate, pro conservanda nostri Ordinis unitate sub uno capite nobilitavit, neutralitatem per aliquot annos secutus. At Præsulis populique exemplo Pontifici Romano postea adhærens, Belgarum etiam Cartusiensium animos, Brugensis Prior institutus et istius Provinciæ Visitator, in Urbani fide continuit. Zwedero Gaesbekio potenti viro ancipiti cura ex stupenda visione jactato, cujus studiorum olim vel socius vel ductor fuerat, autor fuit (ut fusius alibi diximus) ad cartusiam Ultrajectinam erigendam, cujus propterea spiritualis ædificii architectus a Patribus Urbanistis nominatus est. Cumque statum utrumque novæ plantationis probe rexisset, sibi soli vacaturus solitudinem repetiit, ubi satis diu durioribus pœnitentiæ Cartusianæ exercitiis addictus vixit; cum interim aliquod breve tempus Domum Sylvæ sancti Martini ad incitas redactam, meliorem in locum restituisset. Denique ad Ultrajectinam cartusiam rediens, ubi alteram emiserat professionem, brevi post expiravit, hoc videlicet anno die 6 Octobris; « mortuus in Domo Monichusen ubi tunc Conventus Ultrajectinus (ut habetur in ejus Chronico) morabatur, propter primam ejus divisionem, occasione aggerum in Zeelandia factam. » Pleni monachatus per totum Ordinem de quo bene meritus erat, beneficium accepit.

Ex Charta Urban. 1390.

Vide ann. 1391.

Protorector Domus Ultraject.

Obitus Theodor. de Brederode,

Eodem anno pia fine consummatus est Theodoricus de Brederode, religiosissimus sacerdos, Raynaldi viri nobilissimi ex genere Comitum Hollandiæ filius primogenitus, qui spretis mundi illecebris, factus est primum Canonicus Diestæ, deinde juxta Christi consilium omnibus quæ possidebat renuntians, Clerici Redditi statum in cartusia Arnhemensi amplexus est, ut discimus ex Charta capitulari Urbanistarum anni 1391, qua Patres concedunt Priori et Conventui dictæ Domus, « ut frater Theodoricus de Brederode ibidem

J. de Leydis, in Chronico Belg. Liber XXXI, cap. 28.

ANNUS 1415

Redditus licite possit profiteri in statu Clerici Redditi, non obstantibus quibuscumque irregularitatibus quibus esset forsan irretitus. » Ex his arguuntur autores, qui Raynaldum Theodorici patrem dicunt obiisse anno superioris sæculi nonagesimo ; nam si tantum mortuus est anno post filii in solitudinem secessum ut quidam volunt, necessario signandus est nonagesimus primus, vel etiam secundus, ut quidam alii posuerunt. Jam ultra decennium Theodoricus optimi Clerici Redditi partes impleverat in Domo Arnhemensi, cum Diestemum se transferre obtinuit ut Joannem fratrem suum natu minorem, cujus animi levitatem optime noverat, Conversi habitu ibidem jam indutum, suis verbis et exemplis ad perseverandum excitaret. Quod ut facilius exequeretur, secundam ibidem pronuntiavit votorum formulam, quam Patres hoc decreto approbavere. « Confirmamus et approbamus professionem fratris Theodorici de Brederode olim professi Domus Gelriæ (factam in Domo Diestensi), præsertim visa litera Domus Gelriæ (cujus conventuales iterandæ professioni consensum præbuerant) missa Domui de Diest, ac nobis præsentata. » Quantos vero in defectione perfidi fratris ab Ordine angores animi conceperit, quantos pœnitentiæ labores ad ejus conversionem e cœlo obtinendam sustinuerit, solus novit Deus qui eum paulo ante Joannis necem ad se vocare voluit, ne ex pessimo ejus exitio cor illius dolore scinderetur. Placide igitur ac devotissime, ut vixerat, ineunte hoc anno mortuus est, a Patribus tricenarii beneficio ob fidem Ordini servatam donatus. Joannes vero, non sine speciali Dei providentia, misere, ut alibi diximus, in pugna Azincuriana die 25 Octobris interiit, cum alio suæ perfidiæ socio Landino Anglo. Hic quondam in sæculo nobilis, et aliquando monasticæ vitæ sectator ac tandem desertor, viginti militibus belle instructus, regi Henrico jamjam navem cum exercitu inscendenti arma sua omnemque suam suorumque operam obtulerat. At Rex perfuga monacho religiosior, nolens copias suas tali consortio quasi contaminare, Londinum secessere jubet. Ille indignationis et iræ

Clerici Redditi et sacerdotis.

Rittershus., in genealog. Breder.

Frater erat istius Joannis de Brederode apostatæ.

Ex Charta Capit. Seiz., ann. 1403.

Harpsfeld. Hist. Eccles. Anglic. Sect. XV, cap. 3.

ANNUS 1415

aculeis exagitatus, a Rege, ut prius a claustro, ad Gallorum castra profugit, statimque suæ infidelitatis pœnas luit, ab ipsis Anglis in præfato prælio occisus. Sic divina justitia homines hujusmodi non sinit diu impunitos abire, quos in ultionem læsæ Religionis ac offensionis Fratribus illatæ, sæpissime videmus funesto interitu absumi.

AMICI ORDINIS TRICENARIO DONATI.

Ex Charta 1412.

VII. In Charta hujus anni, inter mortuos tricenarii beneficio ab Ordine in gratiam benevolentiæ Nostris exhibitæ donatos denunciatur : Thomas Arundel, archiepiscopus Cantuariensis celeberrimus, Roberti Arundellii nostri Ordinis in Anglia ardentissimi fautoris filius, qui etiam vivens quandoque precibus Ordinis commendabatur. Eum jam a duobus annis obiisse dicunt Angli scriptores, unde miror quod in nostra Charta dicatur nuper defunctus. Cum eo, in eadem Charta, mortuus designatur « dominus Nicolaus Cormaille (al. Cornualle) sacerdos et canonicus Cantuariensis », et Joannes de Ponte decanus Ecclesiæ Antwerpiensis. «Item obiit R. P. D. Angelus de Senis, Narniensis episcopus, nuper defunctus, » ex citata Charta, sed hunc etiam ab Ughello dicitur obiisse ante triennium. « Magister Joannes Leonis sacerdos, doctor in theologia, Fratrum Minorum. Soror Philippa abbatissa monasterii sancti Marcelli prope Parisios », Ordinis S. Francisci. Item, « soror Catharina Gheti de Senis, Ordinis sancti Dominici. »

JESU CHRISTI

ANNUS 1416.

Sed. Apostol. vac.	Ordin. Cartus.	Joannis III. Pr. Cart.
Ann. 2.	Ann. 333.	Ann. 7.

I. MILLESIMUS quadringentesimus decimus sextus Christi Redemptoris annus incipit, Indictione nona, quo Petrus de Luna ab Hispanis populis derelinquitur, juxta deliberata anno superiori in Conventu Perpiniacensi cui adfuerat, ut ibi diximus, noster Bonifacius, qui fratris sui B. Vincentii exhortationes suo exemplo confirmaturus, causam Petri omnino abjecit. Quod ita factum fuisse narratur in Vita Stephani Maconi. « Is, nimirum Bonifacius, cum omnem industriam, artem, litterarumque præsidia quibus egregie admodum instructus erat, conatusque denique omnes in eo contulisset ut Pontifex Benedictus, quem pene invitus Avenione Tarraconem usque secutus fuerat, pontificatu abiret pro universa rei ecclesiasticæ sarcienda concordia, et nihilominus actum agere se cerneret, cum in dies magis pervicacior Benedicti animus fieret in sua asserenda tuendaque sententia ; statuit omnino una cum germano fratre Vincentio e Dominicana Familia sodali, divina uterque afflati aspiratione, eumdem Benedictum deserere. Sed antequam discessionem facerent ab eo, ultima experiundi cœpere consilium ; sed nequidquam omnia conati, ad extremum Bonifacius autor fuit Ferdinando Tarraconensi regi, ut regio suo edicto caveret ne toto regno ullus hominum Benedicto audiens dicto esset, neque uti justus legitimusque Pontifex haberetur ; quin etiam omne obsequium, omnem

HISPANIA PETRUM DE LUNA DESERIT.

Lib. IV. c. 8.

ANNUS 1416

venerationem fidemque omnem illi abrogaret, quam ad eam usque diem præstiterat ipse, et ab aliis illi præstari jusserat. Id quod publica sanctione peractum fuit Nonis Januarii hoc, quem exequimur, anno 1416. Quæ res ita belle cecidit, hoc est tanto cum dedecore Benedicti processit in vulgus, ut in solitudine pene ab omnibus sit desertus. Præcipuum enim Ferdinandus habebat honorem Bonifacio, tantumque illi tribuebat, ut nihil hæsitaret ad ea quæ Ferrerius noster consuleret facienda ; recordatus vel maxime non mediocriter Cartusianum ipsum Patrem Bonifacium jussu vel præcipue Benedicti pro se desudasse, disceptando ut in successionem regni Tarraconensis uti justus hæres adscisceretur ; cujus causa cum in controversia jam tum versaretur, externos alios competitores inique patiebatur. Hæc cum Bonifacius omni ope ingeniique viribus conatus esset, conjunctus maxime cum germano fratre, ut diximus, ad rem optime gerendam apud Benedictum salutaria quæque aspernantem, consilia pro Christianæ rei dignitate reintegranda, tantam detestati proterviam, summa animorum consensione, ipsum, veluti Pseudopontificem jam tandem deseruerunt; et quæ decora munera prolixe offerebat, intrepide aspernati, religiosa castra ex aula Dei Spiritu acti repetiere ; cum re catholica jam tum agi præclare interpretantes ut idipsum fortiter agerent, palam vel maxime testati, divinam nunquam non gloriam Ecclesiæque decus quotidie sibi obversari in pontificia Curia degentibus. » Et ita factum est, pergit autor Vitæ ipsius Bonifacii, post verba quæ superiori anno retulimus, « ut die Epiphaniæ, post concionem a S. Vincentio factam publicaretur edictum de mandato Regis, quo cavebatur ne ullus vassallus ejus revereretur eum ut Papam ; et hoc facto, soluta est congregatio illa Prælatorum ; nam unusquisque ad sua reversus est. Et D. Bonifacius similiter ad Domum Vallis Christi profectus est, » ubi Capitulum suum generale celebravit quidem ; sed quid tunc sancitum sit non habemus. Verisimile tamen est Ordinem nostrum integra unione anno sequenti fruiturum fuisse, nisi ipso Bonifacio interim decedente, qui-

Instigante præsertim Bonifacio Ferrerio

ejusque fratre S. Vincentio.

dam e Nostris iterum callidis fraudulentisque Petri Lunensis argutiis decepti, divisionem ex simplicitate potius quam ex malitia produxissent.

ORDINATIONES GENERALIS CAPITULI.

II. Congregatis vero, ut moris est, apud Majorem Cartusiam comitiis, ubi inter Diffinitores annumeratus fuit Albertus Harhusenius Horti Christi Prior, et unus e procuratoribus Ordinis apud Concilium Constantiense, eædem pro pace Ecclesiæ preces edictæ sunt, ac pia illa exhortatio confirmata et iterum cunctis audientibus perlecta, qua omnes personas Ordinis ad orationes « pro universali unione » fundendas Patres adhortantur, iisdem prorsus verbis quæ anno superiori retulimus. Deinde ad roboranda quæ contra proprietatis vitium promulgaverant decreta, iis publicatis et confirmatis sic adjiciunt : « Ordinamus et volumus quod quidquid datum fuerit cuicumque Moniali vel Conversæ Ordinis nostri teneantur ad plenum illud offerre Priorissæ, et de ejus licentia et beneplacito illo utantur et non aliter. » Et ne nonnulli hujusmodi ordinationem, quæ solas Moniales spectare videbatur aspernarentur, eam ad omnes Ordinis personas solemni extendunt decreto, sub his verbis : « Ut præcludatur via quæ ducit ad vitium proprietatis, audita querimonia de quibusdam personis Ordinis nostri quæ de quibusdam pecuniis sibi oblatis et per eas conservatis, sive in manibus earum aut in manibus aliarum personarum, hactenus voluerunt et exigerunt, ut pro libito suo expenderentur et converterentur aut in species aut alias res exquisitas, sive comestibiles sive potabiles aut alterius usus : ordinamus et volumus quod quidquid de cætero fuerit datum vel oblatum cuicumque personæ Ordinis, nullum jus singulare vel proprium in ea possit allegare vel prætendere, sed per Præsidentium suorum auctoritatem et licentiam possint eis uti et non alias. Prohibemus insuper ne aliquis Prior, Rector, Vicarius aut Procurator Domus cujuscumque Ordinis nostri, consentiat ut persona aliqua sæcularis, cujuscumque conditionis aut status, seu etiam volens intrare Religionem nostram, donet aliquid contra formam Ordinis et Statutorum Domui cuicumque Or-

Decretum anni præcedentis de paupertate servanda confirmatur,

et ad alia extenditur.

ANNUS 1416

dinis nostri sub obtentu seu conditione vel pacto quod de ipsis pecuniis, vel bonis aliis oblatis vel donatis, fiat aliqua pitantia Conventui, seu aliquid aliud comestibile vel potabile detur alicui vel aliquibus personis dictarum Domorum, aut ad tempus seu in perpetuum; omni spe dispensationis in contrarium adempta. Et quæ contra prædicta in abusum devenerunt volumus penitus resecari et extirpari. »

INITIUM CARTUSIÆ APUD LIGNITZ IN SILESIA.

III. Ad hunc annum cartusiæ Passionis Christi apud Lignicium urbem Silesiæ inferioris nobilissimam amplissimamque, in diœcesi Wratislaviensi, initia referuntur in Chronico Domus Erfordiensis ubi hæc de nova Domo habentur : « Eodem fere anno 1416 vel circiter cœpit Domus Passionis Christi prope Lignitz in Silesia, ad quam inchoandam regendamque ex hac Domo nostra cum aliis sacerdotibus et filiis ejusdem, missus est D. Henricus Frolich Procurator, novæ plantationis Rector designatus. » Qui quidem Henricus, abdicato Rectoratu, Erfordium repetiit, ibique anno 1423 solitarius decessit. Fundatorem hujus cartusiæ agnovimus Ludovicum Lignicensem ac Brigensem ducem in Silesia (unde et aliquando in nostris Chartis simpliciter Dux Silesiæ dicitur), comitemque Trintschirensem in Hungaria, Sigismundo Cæsari gratissimum, de quo Mathias de Michovia scribens, hujus monasterii erectionem tardius refert cum dicit : « Hic, anno 1423, Domum et Ordinem Cartusiensium in nemore prope Lignicium fundavit in die SS. Felicis et Adaucti. » Hic autor chronico Erfordiensi præsentem annum designanti non est contrarius : nam chronicon loquitur tantum de initiis fundationis, ille autem annum et diem quibus Literæ dotales datæ sunt, describit. Novem annorum spatio, dote, ædificiis et cunctis aliis ad complementum unius cartusiæ necessariis a splendidissimo fundatore abunde confectis, Patres Ordinis, renunciante Joanne Rotlosio, Erfordiensi Priore et Alemaniæ inferioris Visitatore, ac tunc in comitiis Diffinitore, hunc recentem surculum corpori Cartusiensi adscripserunt, his verbis : « Novam plantationem fundatam per illustrissimum Principem dominum Ludovicum ducem Lignicensem

J. Pistor, in Genealogia Ducum Siles.

Chronicon Polon. Lib. IV. cap. 51.

Ex Charta 1427.

Corpori adscribitur Cartusiensi,

et Brigensem, sub titulo Passionis Christi, Ordini nostro incorporamus : Domnum Petrum (Andernacium, Erfordiæ professum) Rectorem ejusdem, in Priorem ibidem præficientes ; committimusque Priori Erfordiæ, cum commode poterit, ut eam cum socio visitet, et ei terminos congruos secundum formam Ordinis constituat et assignet, cum plenaria Capituli generalis potestate, quam sibi usque ad Capitulum futurum concedimus. » Quinquennio post incorporationem, hæc cartusia Provinciæ Saxoniæ tanquam ei vicinior, subdita fuit, sed sequenti anno : « Quia minus consulte et deliberate Domus Passionis Christi provinciæ Saxoniæ annexa fuit, ideo ipsam ad affectuosas preces illustrissimi Principis Ducis Brigensis fundatoris e converso reunimus provinciæ Alemaniæ Inferioris : committentes autoritatem Capituli generalis super eamdem Priori Erfordiæ, prout prænominatus illustris Princeps petit. » Ex his patet quam benevole res etiam nostras præfatus Dux complecteretur, cui, gratitudinis erga, monachatus concessus est cum Anniversario sub die 26 Decembris, quo dicitur obiisse in Charta capitulari, licet quidam autores ad mensem Aprilem anni 1436 illum referant. Eo mortuo et in sua cartusia sepulto, satis molestum negotium nostris Lignicensibus Episcopus Constantiensis facessit, quod sic accidit. Tempore Concilii Constantiensis, cui magnificus Princeps centum et quinquaginta stipatus equitibus adfuerat, quamdam pecuniæ summam ad peregrinationem Jerosolimitanam conficiendam a nummulariis Constantiensibus mutuatus fuerat ; quam cum integram non restitueret, ab ipso Episcopo, ad instantiam creditorum, pro more horum temporum excommunicatus et ante solutionem mortuus est. Nihilominus Lignicenses Cartusienses quos forsan latebat Episcopi in fundatorem lata sententia, corpus ejus in suo templo sepulturæ tradiderunt. Quo audito, iratus Præsul Priorem Passionis Christi ad cadaver effodiendum compellere volebat, gravibus de eodem et toto illius Conventu querelis ad nostra comitia delatis. Quamobrem Patres Ordinis Joanni Rotlosio jam superius nominato hanc con-

ANNUS 1416

Ex Chartis 1432 et 1433.

et Provincia Alemaniæ Inferioris subditur.

Ex Charta 1438.

Henning., in genealogia Duc. Siles.

In templo novæ cartusiæ sepelitur fundator.

ANNUS 1416

troversiam cum Episcopi probatione sedandam demandarunt hoc Decreto : « Quoniam R. P. dominus Episcopus Constantiensis, Capitulum et Consulatus civitatis ibidem graves querelas litteratorie ad Capitulum generale perduxerunt super sepultura recolendæ memoriæ Ducis in Silesia, qui dicitur excommunicatus fuisse tempore sepulturæ, instantes eum exhumari usque ad solutionem certorum debitorum : ideo injungimus Priori Erfordiæ, quatenus mox visis præsentibus, assumpto Priore vel Monacho, Domum Passionis Jesu Christi in Lignitz visitet et de prædictis diligenter se informet, ac secundum juris dispositionem, de mortuo exhumando et de personis Ordinis reconciliandis se dirigat; ad quæ lenius et securius facienda mittimus eidem literas et instructiones generali Capitulo directas. » Verum res ulterius non est progressa ; Ludovici hæredes, ut verisimile est, creditoribus satisfecerunt, vel etiam nostris Lignicensibus quorumdam debitorum solutionem in se suscipientibus, ut recte conjicimus ex Charta capitulari anni 1445 in qua Patres « seriose injungunt Joanni Osteriovio, Passionis Christi Priori et ejus Conventui, ad vitandum scandalum et querelas sæcularium, ut quantocius studeant satisfacere et contentare Henricum Wanhoff civem Constantiensem, ne Ordo querelis ejus amplius fatigetur, et ille ad duriora remedia recurrere compellatur. » Hic usus debitores cogendi ad satisfaciendum creditoribus per censuras ecclesiasticas olim satis vulgaris fuit, ut ex Jure canonico a Patribus Capituli generalis citato discimus, et alio exemplo post aliquot annos probabimus. Sed de his consulenda sunt opusculum gallice editum *de Restitutione Procerum* et *Spicilegium Dacherii*.

Ex Charta 1440.

Exinde lites, et quare ?

Spicileg. VI. 494.

Fautores præcipui hujus Domus :

Duas fundator uxores duxerat, Elizabetham Ungaram, quam ante nostræ cartusiæ erectionem obiisse credimus, et alteram Elizabetham, Frederici electoris Brandeburgensis filiam, et Joannis fautoris nostri Ordinis ac benefactoris sororem, cujus obitus duodecim post illius mariti mortem annis, sic in nostris Chartis denunciatur : « Obiit illustrissima domina Elizabeth, ducissa Silesiæ, marchionissa Brande-

Ducissa Silesiæ,

burgensis et domina Lignicensis, fundatrix Domus Passionis Christi prope Lignitz, habens plenum monachatum sub vigilia Omnium Sanctorum. » Duas filias ex ea Ludovicus suscepit, quarum primogenita, Hedwigis nomine, nupsit Joanni duci Lubensi suo consanguineo, de quo mox infra. Ejus vero obitus habetur in Chartis, ubi dicitur ducissa Silesiæ, ac marchionissa Brandeburgensis. Nostro fundatori in Ducatu successit Ludovicus dux Lubensis, ejus ex fratre nepos, qui patrui erga nos pietatem imitatus, tot nascenti cartusiæ bona contulit ut fundatoris nomen obtinuerit, ei per Chartam concessum cum titulo Ducis Lignicensis et beneficio pleni monachatus sub die obitus sui, qui fuit 29 Aprilis anni quinquagesimi quinti vel superioris; unde arguuntur qui mortem illius ad annum trigesimum primum ejusdem sæculi referunt, nisi sit error typographi. Joannes filius ejus et præfatæ Hedwigis maritus, obiit ante patrem, relicto unico filio Friderico, hujus Domus benefactore, qui anno ejusdem sæculi octogesimo octavo defunctus, per Chartam sequentis anni tricenarium habuit. Joannes præfati Friderici primogenitus et hæres, septennio post patrem ante nuptias decessit, et magnus benefactor Passionis Christi per totum Ordinem declaratur. Fridericus frater ejus et hæres, cum per plures annos et fautorem et beneficum erga Nos se exhibuisset, reformata (ut vocant) religione Silesiam corripiente, primus inter Principes eam suscipiens, nostram simul cartusiam occupavit, ut suo loco dicemus.

ANNUS 1416

Ex Charta 1450.

Dux Lubensis,

Rittershus., in genealogia Duc. Siles.

et plures alii ejusdem familiæ.

Ex Charta 1496.

Ex benefactoribus hujus Domus hi in nostris monumentis occurrunt. « Honorabilis vir Warnerus Norvag, qui attentis magnis beneficiis per eum Domibus Portæ B. Mariæ et novæ plantationi prope Lignitz exhibitis, habet tricenarium et Anniversarium per totum Ordinem sub 16 Kalendas Novembris » quo die obierat anno 1422 ; unde patet, contra Michovium superius citatum, hanc Domum citius quam posuit inchoatam fuisse. « Joannes de Liechtenberg, canonicus sancti Joannis Vratislaviensis, sacerdos, habens plenum monachatum in Alemania inferiori sub 1 Maii. Dominus Mathias

Benefactores.

Ex Chartis 1423 et 1424.

Ex Charta 1454.

ANNUS 1416

[a] Ex Charta 1479.
[b] Ex Charta 1498.
[c] Ex Charta 1512.

Carsael[a], civis Lignicensis. Sigismundus Altzer[b] licentiatus in decretis et Præpositus Ecclesiæ Lignicensis. Nicolaus Zehbron. Strenuus miles Henricus de Zedlitz[c], » ex nobilissima Zedlitzorum familia in Silesia famosissima. Ex bonis tam a fundatoribus quam a benefactoribus concessis, alebantur in hac Domo quindecim monachi cum sex fratribus Conversis.

OBIERUNT EX NOSTRIS :

Everardus, scriptor,

IV. Ex Monachis alicujus notæ inter Nos qui hoc anno obierunt, Everardus monachus sacerdos Domus Diestensis signatur mortuus in Charta. Eamdem Domum olim per aliquod tempus moderatus fuerat, sed vita privata officiorum sollicitudinibus prælata, cellam repetiit, ubi tempus ab exercitiis Cartusianis vacuum utiliter terens, scripsit : de Accessu et conversione cordis ad Deum ; de Origine insurgentium tentationum et de remediis earumdem ; sermones aliquot insignes ; Epistolas varias spiritalis gratiæ dulcedinem redolentes ; De interna cordis tranquillitate, idiomate materno, atque alia nonnulla, ut asserit Petreius.

J. Obredon secundus Londoniensis Prior,

* *vel* O'Bredon.

Joannes Obredon * ex primis cartusiæ Londoniensis professis, ac secundus ejusdem Domus Prior, quam per duodecim annos laudabiliter et fortiter rexit. Henrico IV regi Angliæ carus fuit, sed honores fugiens, invitis filiis suis spiritualibus, invitis et Patribus Ordinis, abdicato Prioratu, solitudinem repetiit ubi per sex annos Deo et sibi soli vacans, magnaque in infirmitatibus quibus per totam vitam probatus fuerat exhibita patientia, in cella spiritum Deo reddidit die 14 Februarii hujus anni. Cujus singularia merita, etsi soli Deo nota, nobis tamen satis innotescunt ex pleno monachatu quem ei velut de Ordine bene merito per Chartam concesserunt cum Anniversario sub præfata obitus illius die. Simili Anniversarii beneficio donatus est Hermannus, Gemnicensis cartusiæ professus, quem jam grandævum Patres novæ plantationi Plectriacensi, quæ virum eximiæ virtutis requirebat, in primum Rectorem et Priorem præfecerunt. Annis novem in utroque statu stabiliendo, non sine magno labore transactis, absolutionem obtinuit ; jussus tamen in

Hermannus Gemnicensis,

Ex Charta 1413.

eadem Domo remanere, ut quos Cartusianarum virtutum præceptionibus imbuerat, suo exemplo in sancto proposito confirmare pergeret. Quod ut melius exequeretur, alteram ibidem emisit professionem, ac tandem triennio post, die 20 Novembris expiravit.

ANNUS 1416

Ante eum, die videlicet tertia Martii, soror Agnes Voens, parthenonis Brugensis monialis, et ejusdem quondam Priorissa obierat, quæ in Charta hujus anni tricenarium habuit cum duabus aliis, Catharina de Tult et Anna Vos, quas paulo ante præcesserant sorores Beatrix Groffalci monialis et Margarita Lupi Conversa, eodem donatæ beneficio. Hæ omnes suæ erga Pontificem Romanum fidelitatis illustre specimen quondam ediderant. At præcipue Agnes Priorissa, quæ Clementinorum sophismatibus optime extricatis, suum Conventum in obedientia Urbani continuit, et per sex annos cum tanta sapientia et utriusque status profectu gubernavit, ut juxta Patrum testimonium, vicinis esset « in exemplum probitatis et sanctitatis ; » cum invicta patientia eximiam conjunxit humilitatem ad quam securius colendam officium abdicavit, et per tredecim annos quibus in cella vixit perfectam obedientiæ filiam se omni in re præbuit.

Agnes Voens, Brugensis.

Ex Charta 1398.

V. Duo alii hoc anno pro defensione jurium Domus suæ animam suam posuerunt, videlicet D. Joannes Naugius, cartusiæ Vernensis in Provincia Prior, et D. Petrus Bovis ejus Procurator. Naugius ergo, e regimine Montis Rivi ad Vernense ante quatuor annos Capituli generalis autoritate translatus, majorem bonorum partem intestini belli temporibus vel distractam vel a vicinis Nobilibus occupatam reperit. Horum restitutionem dum urget, suo Procuratore comitatus, uterque intra suæ Domus terminos a quibusdam Nobilibus interceptus, in quoddam castrum conducitur. Ibi per septem dies detenti, tandem minis continuisque molestiis cedentes, quoddam jus quo Vernensis cartusia a sua fundatione potita fuerat, horum Nobilium semper fuisse, extorto scripto, profiteri coguntur. Interea Conventus mirifice sollicitus quidnam de suo Priore et Procuratore actum esset, audita tantum

PRIOR ET PROCURATOR VERNÆ IN CARCEREM DETRUDUNTUR

Ex Charta 1412.

a quibusdam Nobilibus.

ANNUS 1416

post tres aut quatuor dies eorum detentione, Petrum Rocelli suum Vicarium ad dictos Nobiles delegat, qui captivos Patres requireret. Adest igitur Vicarius ad januam castri et per notarium, interposita contestatione, sequens Instrumentum partibus significat : « Anno Domini 1416, die vero 24 mensis Maii, notum sit omnibus, etc... quod controversia vertebatur inter fratres Domus Vernæ, Ordinis Cartusiensis et nobiles Rossolinum de.... et Jacobum de.... vicarium dicti Rossolini et actorem seu procuratorem ejus. Ideo in præsentia mei notarii et testium infrascriptorum, constitutus personaliter venerabilis et religiosus vir frater Petrus Rocelli, Vicarius dictæ Domus seu monasterii de Verna, qui pro controversia declaranda coram dicto Jacobo de.... in absentia dicti Rossolini præsentialiter exposuit dicens quod.... hodie quarta dies est quod dictus Rossolinus, sequens vestigia patris sui Rossolini qui multas injurias, violentias et damna insuportabilia fratribus et aliis de familia dictæ Domus Vernæ faciebat, et dictus Jacobus de.... venando cum illo per territorium dictæ Domus et ibidem, invenientes V. P. D. Joannem Nauge, Priorem dictæ Domus et Petrum Bovis Procuratorem ejusdem, et eos compellentes vi et violentia, duxerunt ad suum castrum de...., et ibidem detinentes affligunt eos ut alias fecerat dictus Rossolinus.... D. Bernardo de Vallebona tunc Priori dictæ Domus, nec sinunt eos exire et abire.

Reclamat Vicarius Domus,

Hinc est quod dictus fr. Petrus Rocelli requisivit dictum Jacobum de.... tanquam vicarium et actorem dicti Rossolini in hunc qui sequitur modum dicens : Ego f. Petrus Rocelli, Vicarius dictæ Domus Vernæ missus sum ad vos et ad dictum Rossolinum ab omnibus fratribus dictæ Domus, ad requirendum vos ut velitis educere dictum D. Joannem Nauge Priorem nostrum et D. Petrum Bovis Procuratorem dictæ Domus e fortalitio vestro quos detinetis captivos, ut alias fecerat dictus Rossolinus de Venerabili D. Bernardo de Vallebona ; alioquin protestor contra vos et dictum Rossolinum de omni injuria et violentia eis facta et de omni malo

sed frustra.

quod eis evenire poterit, etc. » Sed nihil tunc profecit Vica-

ANNUS 1416

rius cui solum a Jacobo responsum fuit Priorem et Procuratorem non in castro detineri, sed simul cum Rossolino Tolonem ad quædam negotia peragenda petiisse. Tribus post diebus, uterque dimissus cum apographis eorum quæ per vim suo chirographo firmaverant, vix elapsis duobus mensibus præ dolore et languore ex toleratis molestiis contracto moriuntur. Naugio in Prioratu successit prædictus Petrus Rocelli qui querelis ad regem Siciliæ Ludovicum II de utroque Nobili delatis, mandatum statim obtinuit ambos vocandi in jus. At illi sibi merito metuentes, deserto vadimonio, et per amicos efflagitata a Nostris compositione, in hanc Domum se contulerunt, ubi petita venia restitutisque omnibus tam a se quam ab antecessoribus olim ablatis, cum Nostris reconciliati sunt et a Rege in gratiam recepti. Extat de his prolixum Instrumentum, die 3 Octobris hujus anni datum, in quo de captivitate et morte Prioris et Procuratoris hæc habentur : « Cum religiosus vir frater Petrus Rocelli in mense Maii ultimate prolapso, tunc Vicarius, nunc autem Prior Domus Vernæ protestatus esset contra domicellos Rossolinum et Jacobum de.... eo quod detinebant in suo castro et fortalitio vi et violentia V.V. Patres J. Nauge tunc Priorem et P. de Bovis, Procuratorem dictæ Domus. Et cum post septimum diem eduxissent eos e castro et circa duos menses exinde obiissent : ob eam rem, dictus Petrus Rocelli obtinuerat literas regias patentes quibus oportebat dictos Domicellos in propria persona comparere coram Rege : qui ire parati erant secum ducentes plures testes fide dignos ut testimonium perhiberent quod nullam molestiam intulissent, nec malum erga dictos Fratres defunctos fecissent. Et cum utraque pars suam causam vix probare posset, omnem controversiam mediantibus amicis, ad fugiendas lites et expensas, pro bono pacis remiserunt mandato seu mandamentis proborum virorum etc. »

Ex languore in carcere contracto moriuntur Prior et Procurator.

Nobiles vero, Regis metu, Nostrorum in gratiam redeunt.

VI. Ex amicis et fautoribus Ordinis designantur mortui : « R. P. D. Cardinalis Aniciensis, habens tricenarium ; » sed jam obierat anno præcedenti. Hic ab anno 1394 fere semper

EX AMICIS ORDINIS DESIGNANTUR MORTUI :

ANNUS 1416

Ex Chartis 1394 ad 1425.

Cardinalis Aniciensis,

commendatus fuit in Chartis in quibus dicitur « misisse eleemosynam Capitulo generali, » ac proinde mandant Diffinitores ut pro eo septem Psalmi ab unoquoque recitarentur; sed anno superiori, cum jam se morti appropinquare sentiret, ardentius preces Ordinis expetivit : quamobrem sancitum est ut præter septem Psalmos a Monachis non promotis dicendos, missa de Spiritu Sancto ab unoquoque sacerdote privatim celebraretur. Ex his arguuntur qui mortem illius ad annum 1417 producunt.

26 Ulcienses Canonici,

Item obierunt « viginti sex Canonici monasterii Ulciensis quorum obitus fuerant præsenti Capitulo denunciati. » Ulciense monasterium in Delphinatu est cum quo societatem spiritualem jam diu ante Major Cartusia inierat.

quidam Nobiles in prælio Azincurtio.

Ex Principibus et Nobilibus qui anno superiori, prælio Azincurtio perierant, hi denunciantur in Charta cum beneficio tricenarii : « Illustrissimi Principes Antonius dux Brabantiæ et dominus Philippus comes Nivernensis frater ejus, filii Philippi Audacis, ducis Burgundiæ, cartusiæ Divionensis fundatoris. Illustrissimus dux Princeps Alenconiæ, scilicet Joannes, benefactor cartusiæ Vallis Dei. Illustrissimus Princeps dux Barri Eduardus, et marchio Pontis * frater ejus Joannes. Item dominus Alebreti conestabularius Franciæ. » Præter illos notantur « illustrissimus Princeps Ludovicus Domini Regis Franciæ primogenitus, » qui eodem anno Parisiis decesserat die 25 Decembris. « Magnificus et potens dominus Senescallus Hannoniæ, » ex fundatoribus Domus Tornacensis, qui in præfata pugna etiam occubuerat. « Egregii milites dominus Guichardus Dalphini, dudum gubernator Delphinatus Viennensis, et Robertus de Chaslus.

* Mussiponti

« Willelmus de Breda decanus S. Mariæ Trajecti superioris. Item Albertus de Griffenberg et uxor ejus, cum multis aliis defunctis de genere suo ; « consanguinei Prioris Cartusiæ. »

G. Comhar, magnus benefactor Ordinis, et pater D. Goswini Comhar.

« Honorabilis vir Gerardus Comhar de Daventria, magnus benefactor Ordinis. » Obierat anno præcedenti, die undecimo Decembris, scripto hærede Goswino, tum cartusiæ Diestensis

ANNUS
1416

Priore, filio suo unigeno, quem susceperat e Berta conjuge sua legitima. Cum vero illa ante quinque circiter annos decessisset, bona illius juxta morem patriæ Goswino et ejus Conventui hæreditario jure obligabant. At ille cæterique Diestenses monachi in gratiam beneficiorum ab utroque conjuge acceptorum, matris hæreditatem in patrem transtulere. Ipse vero vicissim professus est filium suum sive Conventum Diestensem nomine illius suos legitimos fore hæredes, si sine alia prole obiret. Ea de re contractum inierunt in quo sic fit mentio hujus pactionis : « Goswinus Prior, nomine suo et sui Conventus, intuitu multiplicum beneficiorum sibi et suo Conventui a patre suo præstitorum et adhuc de gratia Dei et ipsius benevolentia præstandorum, præfato patri suo Gerardo supportavit et resignavit omnia bona mobilia et immobilia quæ præfato D. Goswino Priori vel suo Conventui ex parte Bertæ quondam matris suæ piæ memoriæ competere poterant vel potuerunt, præfatumque patrem suum..... de omnibus sic acquitavit.... Præterea, præfatus Gerardus Comhar, pater prædicti Domni Goswini, recognoscens se in præsentiarum nullum alium habere hæredem proximiorem quam dictum Domnum Goswinum ac Conventum Domus in Zeelhem ratione ipsius, cupiensque sua bona temporalia pro æternis commutare, voluit in casu quo præfatus Domnus Goswinus Prior ante eum ex hac vita decederet, Fratres antedictæ Domus suos veros et legitimos esse successores et hæredes ad omnia bona sua mobilia et immobilia..... Verumtamen, in casu quo contingeret præfatum Gherardum posthæc prolem legitimam procreare et sibi superstitem relinquere, tunc voluit quod Fratres sæpedictæ Domus in Zeelhem succedant sibi tantum pro portione unius liberorum, etc.... Acta fuerunt hæc in sæpedicta Domo Cartusiensi, in cella Prioris prædicti, anno Nativitatis Domini 1410, Indictione tertia, die 8 Octobris, hora Primæ vel quasi. » Deinde aliquot ante obitum suum diebus, condito suo testamento, revocatis quibuscumque aliis codicillis, declarat « nihil in particulari aut expresse specificare vel ordinare vo-

In gratiam beneficii a cartusia Diestensi recepti

hanc Domum universalem suorum bonorum constituit,

scripto super hac re testamento.

48 *f*

ANNUS 1416

luisse de cunctis bonis suis, sed totum commisisse ac commissum esse cum effectu discretioni et arbitrio religiosi viri Domni Goswini, filii sui legitimi secundum carnem, Ordinis Cartusiensis, quem super hoc de mente sua sufficienter se informasse asseruit; volens ut quicquid et quemadmodum idem D. Goswinus circa præfatam provisionem bonorum suorum, aut eorum distributionem viva voce vel scriptis ordinandum vel disponendum duxerit, perpetui roboris firmitatem habeat, atque ab executoribus dicti testamenti observari debeat. Inde eligit suæ ultimæ voluntatis procuratores et executores Ruthgerum de Insula præsbyterum, Goswinum Comhar filium sororis suæ, Theodoricum Comhar filium sororis ejusdem Goswini, Joannem Terporten, Gerardum de Russene et Henricum de Leyden. Actum anno Nativitatis Domini 1415, die 7 Decembris. »

Goswinus Comhar ex paterna hereditate,

Ex Chartis 1420 et 1426.

ad tunicellas in Domo Cartusiæ singulis annis distribuendas reditus assignat.

Mortuo itaque Gerardo, noster Goswinus ad Majorem Cartusiam, ut jam alias notavimus, se contulit, ubi altera professione emissa, Procuratorem per aliquot annos egit, et sæpe inter Diffinitores Capituli generalis pro Conventu assumptus est. Cumque testandi, sive potius voluntatis paternæ exequendæ licentiam a Capitulo generali obtinuisset, cuncta bona sibi relicta inter matrem Cartusiam et Domum Diestensem divisit; ac præsertim viginti scuta monetæ Franciæ perpetui reditus assignavit, ut ex eis pannus emeretur ad conficiendas et « dandas quolibet anno circa festum Omnium Sanctorum cuilibet Monacho et fratri Converso dictæ Domus Cartusiæ, quousque valor se extenderit, singulas tunicellas; qui novas recipientes, veteres reddere debent pauperibus » (quod etiamnum singulis annis observatur), cum recommendatione animæ patris sui erogandæ. Quamdam etiam partem eorumdem bonorum, quorum dominium Majori Cartusiæ adscribebat, Goswino Comhar amitino suo et Ruthgero de Insula suo etiam consanguineo, quamdiu viverent distribuendam destinavit. Cuncta hæc approbaverunt et confirmarunt Prior et Conventus Majoris Cartusiæ, scripto Instrumento in parvo claustro, ipso nostro Goswino præsente,

anno 1422, die 5 Augusti. Quo etiam anno Goswinus Diesthemum se transferens, multa cum Brunone Priore et Conventu ejusdem Domus Diestensis de eisdem bonis transegit. Denique, in quibusdam aliis, juxta voluntatem paternam, disponendi potestatem in aliud tempus sibi reservavit. ANNUS 1416

Certe hujusmodi testandi licentia parum nostro statui convenit, cum per Imperatorias leges et S. Benedicti Regulam prohibeatur; sed non fuisse uniformem et eamdem ubique ea de re disciplinam docte observat Mabilonius. Hæc vero licentia non videtur potuisse Goswino a Patribus denegari cum juxta Flandriæ usus, monachis etiam post vota emissa, paternam hæreditatem licebat recuperare.

De Re diplomatica, Lib.I, cap. 2. n. X.

JESU CHRISTI

ANNUS 1417.

Sed. Apostol. vac.	Ordin. Cartus.	Joannis III. Pr. Cart.
Ann. 3.	Ann. 334.	Ann. 8.

ACTA CAPITULI.

I. ANNUS a Virgineo partu millesimus quadringentesimus decimus septimus, Indictione decima, rursum vidit Cartusiensium animos anxio jactatos timore, ne Ecclesia Dei summo adhuc privata capite, ac Petro Lunensi in pertinacia populum retinendi magis ac magis obfirmato, novæ saltem inter Nos turbæ moverentur. Id non absurde colligimus ex Actis capitularibus hujus anni, in quibus post supplicationum « pro pace et reformatione status sanctæ matris nostræ Ecclesiæ » a biennio decretarum renovationem, quamdam taxam (ut vocant) pro sumptibus tam Capituli generalis quam Patrum qui Concilio Constantiensi nomine Ordinis intererant, annis superioribus præscriptam confirmant; « volentes, inquiunt, eam deduci ad effectum, et pro præsenti continuari, donec interim videatur quid in statu et unione Ecclesiæ extiterit ordinatum.» Et præterea sanciunt ut « ordinatio annorum præteritorum quæ incipit : Exhortamur et obsecramus omnes personas Ordinis, etc., in qua agitur quod si unio Ecclesiæ suum non sortiretur effectum, nullus se determinet ad aliquam partem, habeatur pro repetita. » Nec certe inanis fuit eorum metus, quandoquidem mortuo interim Bonifacio Ferrerio, in cujus studio et prudentia omnes spem perfectæ adipiscendæ Ordinis reconciliationis positam habebant, Patres Hispani Petro Lunensi, velint nolint, obedire coguntur, ut mox vide-

Ordinatio « pro pace Ecclesiæ » *confirmatur.*

bimus, postquam cætera hujus Capituli Acta prosecuti fuerimus.

ANNUS 1417

Priori Neapolitanæ Domus non fit misericordia,

Domui Neapolitanæ ac toti Lombardiæ remotioris provinciæ tunc præerat Bonifacius Trana, patria Amalphitanus, vulgo dictus de Scalis, vir quidem disciplinæ Cartusiensis promovendæ studiosus, sed in rebus temporalibus non admodum versatus. Hunc sui Conventuales de gradu ac loco dejiciendum contendebant, propterea quod incaute se gesserat in cujusdam honesti viri deposito apud se custodiendo ; qui casus, si cum Bonifacio summo jure actum fuisset, absolutionis pœnam importabat : quæ ut suo Priori infligeretur Cartusienses Neapolitani eo ardentius per suas literas a Capitulo generali efflagitabant, quo certissime sperabant Diffinitores Stephanum Maconum a præfectura Papiensis cartusiæ amoveri cupientem, et quem propterea sibi præfici expetierant, in Bonifacii locum per Chartam suffecturos fore. Haud dubie rati, inquit autor Vitæ Stephani, tanto sub capite qua sui monasterii damna resarcitum, qua omnes turbulentos motus brevi depulsum iri. At Prioris causa maturius examinata, non adeo reus visus est ut dejectionis pœnam promereretur : quamobrem Patres generali cœtui præsidentes monachorum petitiones et desideria hoc decreto comprimenda duxerunt : « Priori Domus sancti Martini prope Neapolim non fit misericordia ; et imponimus silentium Conventui in petendo D. Stephanum Priorem Papiæ, quia non est rationabilis petitio eorum : sed sic se habeant cum Priore suo ut non oporteat eum absolvi ab officio suo, sed supportent eum in charitate. Et in consiliis habendis, consulant D. Stephanum Priorem Papiæ. » Et præterea eumdem Priorem in Visitatoris munere confirmant, cui specialiter commendant ut de libris quos petit Domus Lucæ a Domo Capri, faciat justitiæ complementum.

prout petierant ejus Conventuales.

Vita Steph. Maconi, Lib. IV, cap. 8.

Priores Angliæ ad Capitulum anno tantum bissextili ascendere tenentur.

Adfuerat his Comitiis et inter Diffinitores assumptus Joannes Maplystedius *, Londoniensis cartusiæ Prior et unus ex Angliæ Visitatoribus, cujus commonitione Patres « concesserunt Domibus Angliæ, quod non teneantur venire ad Ca-

* *al.* Maplestede.

ANNUS 1417

pitulum generale nisi anno bissextili, in quo veniat unus Visitatorum si commode fieri poterit, vel alius Prior nomine ipsorum, sub expensis Provinciæ. In aliis autem singulis annis mittant literas Provinciæ suæ Prioribus sibi propinquioribus provinciæ Picardiæ remotioris, videlicet Brugis, Hollandiæ, Gelriæ vel Antwerpiæ citra mare, qui expediunt negotia sua contribuendo vel satisfaciendo eisdem in expensis secundum bonam eorum discretionem. »

SANCTE MORITUR BONIFACIUS FERRERIUS

II. Hoc itaque anno, ut jam obiter monuimus, Bonifacius Ferrerius Prior quondam Cartusiæ ac totius Ordinis Generalis, in humanis esse desiit, de cujus obitu sic loquitur autor Vitæ illius : « Multa quidem pericula pertulit, diversaque itinera confecit devotus Pater Bonifacius, pro procuranda pace ac unitate Ecclesiæ; sed quamvis meruit videre tria capita, quæ illum turbabant, abscissa, finem tamen ultimum schismatis non prævaluit conspicere : nam Domum Vallis Christi reversus ac pietatis exercitiis deditus, cœpit animam suam ad discessum præparare, quem ex invaletudine ac virium imbecillitate imminere de proximo suspicabatur. Et ita contigit ; nam ingravescente infirmitate, receptisque ecclesiasticis sacramentis, magna cum devotione ac pietate die 27 (melius 29) Aprilis anni 1417 animam suam Conditori tradidit, cum ætatis esset 66 annorum, Religionis vero 21, Generalatus denique 15. Sepultus fuit in cœmeterio communi absque ulla pompa et apparatu sæculari ; sed ut sepulchrum ejus ab aliis distingueretur, pergrandis lapis ei superpositus fuit, qui permanet usque adhuc. »

Vita ms. Bonif. Ferr. §. 19.

in Domo Vallis Christi

sepultura usus communi.

In Charta Capituli Hispanorum de quo infra, ejus obitus his verbis statim vulgatus est : « Obiit Reverendus Pater noster Domnus Bonifacius Ferrerii, Prior Cartusiæ, die penultima Aprilis, habens plenum cum psalterio monachatum, etc. » Et biennio post Patribus Hispanis cum toto Ordine reconciliatis, iterum per totum Ordinem mors ejus denunciata est in Charta Capituli Cartusiæ Majoris cum eodem monachatus beneficio; sed quia dies obitus Nostris notus non erat, jam tertio significatus est anno sequenti sic : « Notum sit omnibus quod

Dies obitus notatur.

Ex Chartis 1419 et 1420.

ANNUS
1417

dies obitus D. Bonifacii Ferrerii, quondam Prioris Cartusiæ, qui ut per Chartam anni præteriti apparet, habet plenum monachatum, habendus est in Calendariis in pænultima Aprilis. » Ex his arguendi sunt qui scribunt Bonifacium obiisse post fratrem suum S. Vincentium, quem constat adhuc duobus annis in vivis fuisse. De eo per quamplures autores mentionem honorificam faciunt. Ex quibus paucos lubet hic audire : « Hic Prior, inquit autor suppar Chronici Cartusiæ Majoris, fuit Doctor decretorum, magnæ eloquentiæ, atque magnus in mundo quia unus de septem regentibus regnum Valentiæ, et de concilio Domini Benedicti Papæ tertii decimi ; fuit etiam magnus zelator Ordinis, communiter portans Statuta Ordinis in manu sua, et faciens stricte servare Statuta et observationes Ordinis. Senioribus tamen, debilibus et infirmis benignum se exhibuit, eosque et alios tentatos ac desolatos visitare, eisque verba consolatoria impendere sedulus atque sollicitus fuit. Habebat insuper de consuetudine singulis diebus Dominicis Adventus et Quadragesimæ, in Capitulo Monachorum super Evangelio vel Epistola facere aliquam collationem, unde audientes magnam recipiebant ædificationem. Tempore ipsius, prædicante fratre ejus magistro Vincentio et populum verbis et exemplis ad pœnitentiam provocante, multi Ordinem intraverunt, maxime in Domo Cartusiæ. Per istos enim duos fratres miraculose Deus operabatur : nam quos ille verbo prædicationis ad pœnitentiam provocabat, eos ad Religionis habitum ipse suscipiebat. Inter illos autem qui ad Religionem venerunt, fuit quidam vir quadraginta annorum, qui ab ipso Priore petivit recipi ad Ordinem. Dictus vero Prior cum videret hominem jam ætate provectum, et aliquantulum dissimularet sibi dare responsum, ille dilatationem diu non ferens, prædictum Priorem adiit eique dixit : Habeo mecum quadraginta francos, quos vobis offero, si vobis placet me recipere ad Ordinem. Ad quod verbum dictus Prior tale dedit responsum : Ego nondum deliberaveram super receptione vestra ; in oblatione vero pecuniæ vestræ, factum vestrum

A multis laudatus.

Chronicon Major. Cart. cap. 25.

Magnus zelator Ordinis,

Qui multos, non indiscrete quidem, ad habitum recepit.

ANNUS 1417

penitus impedivistis. Ideo quam citius abite, quia hic minime recipi poteritis. » Porro eum suo tempore multos ad nostrum Ordinem in matre Cartusia recepisse, discimus ex Tractatu quem conscripsit de cæremoniis nostri Ordinis, ubi describens modum et ordinem recipiendi et induendi novitios, « sicut, inquit, ego in Cartusia eodem modo recepi quinque simul eadem hora. » Hieronymus Blancas eum vocat « hominem justum, natura bonum, prudentem et laudatum. » A Zurita dicitur « vir singularis doctrinæ et religionis, et valde celebris apud omnes nationes. » Vincentius Justinianus Hispanus in Vita sancti Vincentii per capitulum integrum de Bonifacio honorifice loquitur; quod et fecerunt Franciscus Diego et Franciscus Gomez, Ordinis S. Dominici in Vita ejusdem sancti Vincentii. Alphonsus Remon, Ordinis de Mercede, in Historia sui Ordinis, et Gaspar Escolanus eum Beati titulo cohonestant. Ejus quoque encomium prolixe satis composuit F. Joannes Marieta in Historia Sanctorum qui in Hispania floruerunt. Taceo Trithemium, Bostium, Eisengrenium, Possevinum, nostrosque Dorlandum, Sutorem et plures alios recentiores, qui eum non ut doctum tantummodo sed ut sanctum prædicant. Cujus quidem sanctitatem adeo quandoque etiam legimus decoratam miraculis, ex quibus autor Vitæ illius hæc suo tempore patrata recenset.

In Commentar. Reg. Aragon.

Annal. Arag. Lib. XII. c. 73.

I Pars. Lib. X, c. 19.

Mar. Lib. XVIII, cap. 25.

A quibusdam Beati titulo cohonestatur.

Sunt etiam qui dicunt eum signa fecisse.

« Sepulchrum ejus licet in cœmeterio communi jaceat, ut diximus, multi visitant et frequentant, sperantes a Deo suarum necessitatum et ægritudinum remedia ejus interventu assequi posse; et multi non sunt fraudati a desideriis suis, ut ex parte cognosci poterit ex paucis quæ subjungemus. Quidam eremita, nomine Munoz, probatæ sanctitatis vir, tanta devotione Patrem Bonifacium prosequebatur ut velut patronum et advocatum suum specialem haberet. Dum enim habitaret in eremitorio sancti Juliani juxta Domum Vallis Christi, incidit in magnam febrim et statim perrexit ad sepulchrum Domni Bonifacii, et osculando lapidem superpositum herbasque colligendo, dixit cum omni simplicitate

ANNUS 1417

et devotione : Pater Bonifaci, vides qualiter crucior ? Non hinc discedam donec sanaveris me. Mira res ! incontinenti reliquit eum febris et sanitatem recepit. Dum alia vice infirmaretur residens adhuc in eodem eremitorio, invocavit Patrem Bonifacium, et cum nox esset et in tenebris moraretur, vidit lucem quamdam lucidam ingredientem ad se et ad caput suum usque appropinquantem, et audivit vocem de luce dicentem sibi : Mox sanaberis quia invocasti me, sed iterum revertetur febris ; sic enim est voluntas Dei et tibi expedit. Et hoc dicto statim disparuit lux, et ipse sanus inventus est ; sed post triduum iterum febricitare cœpit. Et ex his et aliis similibus favoribus receptis per intercessionem Beati Patris, adeo illum colebat ut omnes qui ad eum veniebant postulantes suffragium suarum orationum (erat namque vir magnæ existimationis apud omnes), mittebat eos ad sepulchrum sancti Patris Bonifacii ; et sicut ipsemet retulit nobis (me præsente), multi infirmi ac debiles sanati fuerunt. »

Ipse vero miracula a Nostris edita parvi ducebat.

Per hanc mirabilem vim quam Deus herbis sepulchri illius ad morbos curandos quandoque indidit, videtur approbasse ac remunerasse sanctum despicatum cui Bonifacius visus fuerat ducere miracula a suis edita, in quibus non prodigia sed solidas virtutes requirebat. Et ne viventes monachi ex miraculis quæ ad Fratrum suorum tumulos fiebant, inanis gloriæ vento jactarentur, solebat e cœmeterio Cartusiæ homines arcere, quos deprehendebat herbam, pietatis erga, evellentes ; quod se aliquando fecisse dum Cartusiæ præerat, ipsemet testatur in Tractatu quem scripsit : *Cur in nostro Ordine tam pauci sint canonizati, et cur tam rara fierent inter Nos miracula.* Sic enim ibi loquitur : « Gentes, sicut auditis, recipiunt de herbis nostri cœmeterii pro curatione specialiter febrium, sicut frequenter est probatum. Sed ut videatis quomodo non curamus nos Cartusienses de miraculis ; quadam die venit ad me qui videbatur agricola esse dicens mihi : Domine, ubi sunt herbæ illæ quibus morbi curantur ? Et nolui ei ostendere nec curavi, quia Nos magis recumbimus in aliis probationibus sanctitatis, quam in mi-

ANNUS 1417

raculis. Et in hoc est totus labor noster et studium ut acquiramus regnum æternum; et ista est summa et totalis sanctitas.... et ideo cuidam juristæ volenti infra annum novitiatus recedere ab hac Domo, tentatus quia viderat sepeliri quemdam monachum cum cinere et cilicio et sine omni pompa, apparuit Angelus dicens ei : Ex hoc vis recedere, frater? Revertere quia omnes in hoc cœmeterio sepulti, sunt in gloria æterna, excepto uno Converso proprietario, etc. »

Tractatum : Cur pauci inter Nos canonizati, scripsit Bonifacius.

Hujus Tractatus autor nullus habendus est præter nostrum Bonifacium, non solum quia id asserunt Bostius, Trithemius et alii, sed quia idem constat ex variis illius exemplaribus quæ vidi cum nomine Bonifacii, licet sub diversis titulis : quædam enim sic inscribuntur : « Interrogatio cujusdam monachi ad Priorem Cartusiæ contra illos qui detrahunt Ordini Cartusiensi : Pater Reverende, aliqui petunt a me quare non habemus hic aliquos Sanctos canonizatos et facientes miracula? dignetur vestra Paternitas benigne aliquid super hoc respondere. Responsio R. P. Domni Bonifacii quondam Prioris Majoris Domus Cartusiæ ad quemdam alium Bonifacium monachum dicti Ordinis eumdem Patrem interrogantem, cur tam pauci essent in dicto Ordine Sancti canonizati. » Quorumdam aliorum inscriptio talis est : « Quædam declarationes et responsiones super quibusdam dubiis ad Domnum Bonifacium, monachum in Majori Cartusia, percontantem et rationem perquirentem quare non habeamus Sanctos canonizatos et miracula facientes; per R. P. Domnum Bonifacium ad quæsita responsio. » Cuncta vero hujus Tractatus apographa post inscriptiones tale habent exordium : « Domne Bonifaci, dubitare de sanctitate et puritate Ordinis nostri non solum est sacrilegum, sed etiam blasphemum, etc.; » hisque verbis expliciunt : « Ista ad vestram importunam instantiam et petitionem festinantissime et breviter compilavi et scripsi. Nec credebam me ad tanta extendere, sed non volui calamum retinere, nec potui verbis compositis, ut decuit, ordinare, sed grossis et rudibus, propter Capituli generalis imminentiam. Sed illa teneatis apud

vos : et respirans modicum, ponam Deo disponente in alia minus mala forma cum allegationibus et autoritatibus, ut melius potero ; præstante Deo et Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre, etc... » Hæc paulo fusius observavimus, ne quis decipiatur, ex quorumdam scriptorum alias doctissimorum et accuratissimorum hallucinatione, qui legentes inter opera celeberrimi Gersonis opusculum sic inscriptum : « Contra impugnantes Ordinem Cartusiensium quod pauca in eis reperiantur miracula, » ex hac tituli similitudine eumdem esse tractatum censuerunt, quem ideo velut Gersoni suppositum, nostro Bonifacio restituendum paulo festinantius pronunciarunt, in hoc se nostro Ordini, cui semper benevoli fuerunt, gratificaturos rati. Sed singulis utriusque Tractatus partibus accurate examinatis et inter se collatis, non unum sed duos esse diversos animadvertimus : nam præter quinque aut sex periodos eisdem verbis in utroque conceptos, quos noster Bonifacius vel quidam Tractatus illius exscriptor a Gersone mutuatus est, cætera penitus ab invicem differunt, ut etiam verbis nostri Bonifacii superius exscriptis certissime constat, quæ non reperiuntur in tractatu Gersonis. Præterea vidi et codicem circa annum 1450, a quodam nostri Ordinis monacho conscriptum, in quo continetur idem opusculum prout editum habetur inter Gersonis opera, et cum hoc epigrapho non absimili : « Scripta egregii sacræ paginæ Doctoris magistri Johannis Gerson Cancellarii Parisiensis, contra impugnantes Ordinem Cartusiensem quomodo pauca in eo reperiuntur facta miracula, quasi exinde vilior sit censendus, cum tamen contrarium verum existat. » Sunt itaque duo opuscula eamdem materiam tractantia ; unum a Gersone editum, alterum a Bonifacio. Scripsit etiam Bonifacius, teste Petreio, nobilem Tractatum *de Confirmatione et Approbatione Ordinis Cartusiensis,* quem alium quoque crederem ab illo tractatulo cujus autor est laudatus Gerson, sed illud Bonifacii opus non vidi, sicut nec librum *de Cæremoniis Ordinis nostri,* quem autor Vitæ illius dicit asservari in cartusia Portæ Cœli cum amplissimo Tra-

Alius ab illo quem fecit Gerson.

Ph. Labbe, in Dissertat. historic. de Scriptor. eccles.

Theophil. Reynaud; Stylita mysticus, p. 10.

Cætera Bonifacii opera.

ANNUS 1417

ctatu *de Schismate,* ex quo quædam fragmenta annis superioribus dedimus.

IN CONGREGATIONE PATRUM HISPANORUM GENERALIS ELIGITUR

III. Mortuo igitur Bonifacio spes revocandi universi Ordinis ad pristinam concordiam ad tempus evanuit. Petrus namque Lunensis, ut cæteros Cartusienses Hispanos quos velut pretiosiores allisæ suæ navis reliquias habebat, in suo retineret obsequio, audito periculoso Bonifacii morbo, data bulla, ad cunctos hujus gentis Priores jussit Capitulum generale pro more apud Domum Vallis Christi haberi et ibi successorem ejus (si interim moreretur) eligi, tum a Prioribus congregatis, tum a Conventu Vallis Christi et aliis Majoris Cartusiæ monachis qui illuc Bonifacium suum Priorem olim secuti fuerant. Die igitur octavo et sequentibus mensis Maii, suum generale Capitulum Hispani Patres agunt, ac primum promulgata Bonifacii morte, et precibus ut diximus per suam obedientiam pro eo injunctis, hos Diffinitores nominant : Joannem Bertrand Scalæ Dei, Joannem Sancium S. Pauli de Maritima, Franciscum Maresme Portæ Cœli, Dominicum de Bonafide Montis Hilaris, Joannem Placentis Petræ-castri, Joannem Blanchium Jesu Nazareni, Sancium Martinez de Paulari Domorum Priores, et D. Petrum de Podiolo Domus Vallis Christi Rectorem. Referendarii quoque designati sunt : Bernardus de Zafabrega (sive de Fabrica) ejusdem Domus Vallis Christi correrius, et Martinus de Calesio professus Majoris Cartusiæ et in eadem Vallis Christi cartusia tunc commoratus. Ab his itaque et cæteris monachis Conventum Vallis Christi facientibus, in successorem Bonifacii et Priorem Cartusiæ autoritate Petri de Luna, quem velut Papam colebant, eligitur Guillelmus de Mota, tunc Vallis Christi hospes monachus, olim Procurator Matris Cartusiæ. Decretum electionis ejus plenis in comitiis pronunciatum est, statimque preces consuetæ ordinantur « pro R. P. nostro Domno Guillelmo de Mota Priore Cartusiæ, et pro quibus intendit. » Deinde ipse Petrus Lunensis qui et eleemosynam consuetam, quamvis tunc divitiis non affluens, ad hunc cœtum juxta consuetudinem miserat, orationibus Or-

Guillelmus de Mota.

dinis commendatur sub nomine Benedicti summi Pontificis. Preces pariter indicuntur « pro excellentissimis Dominis Regibus Aragonum et Castellæ ac Dominis Reginis, eorum matribus. » Unde colligimus utrumque Regem, etsi suos Legatos ad Concilium Constantiense misisset, a Petro tamen nondum se suosque subditos penitus sejunxisse. Quod etiam maxime constat ex conventu Cleri Aragonii apud Paniscolam post electionem Martini V, die 26 Decembris habito, præsidente ipso Petro Lunensi, cui Præsules suadere conati sunt ut ad reliquias schismatis abolendas, insignia Pontificia poneret sineretque Martinum coli ut verum ac legitimum Christi Vicarium. Porro noster Guillelmus quem ante biennium vidimus ab Alexandro V ad Benedictum Bonifacii suasu deflexisse, ejusdem exemplo et consilio ante illius mortem habito, videtur suæ electioni tantum consensisse ut facilius Ordinem disjunctum denuo suis curis connecteret. Hancque illius mentem fuisse satis ostendit, cum post electionem novi Papæ in Concilio factam, ex qua universa Ecclesiæ pax pendebat, totis viribus integram Nostrorum reconciliationem acceleravit. Statim post suam electionem, ad Canonicos Ecclesiæ Barcinonensis scripsit epistolam, cujus tantum initium habemus sub his verbis : « Credo vos non latere quomodo post obitum felicis recommendationis Domni Bonifacii, Prioris Cartusiæ, cujus in pace anima requiescat, substitutus sum in locum ejus, cujus non sum dignus vestigia pedum aspicere.... »

ANNUS 1417

Videtur munus non defugisse ut unionem Ordinis procuraret.

In his Patrum Hispanorum comitiis, preces etiam fundunt « pro honorabili et religioso viro Domino Francisco de Aranda, Donato Portæ Cœli, promotore Ordinis nostri », qui ineunte anno, Petri Lunensis pertinacia offensus, ad claustrum se receperat, nullo tamen offensæ edito signo, sed alia sui recessus obducta causa, quam autor Vitæ illius his refert verbis : « Moratus est cum Papa usque ad mensem Januarii 1417. Tunc enim instantissime ac geminatis instantiis rogavit Pontificem ut facultatem sibi impertiri dignaretur revertendi ad Domum suam, qui defatigatus atque pertæ-

Ad claustrum redit Franciscus Aranda.

Vita ms. Fr. Aranda, §. 8.

ANNUS 1417

sus erat usque ad summum Principum secularium atque curiarum suarum per tot annos. Quam petitionem Pontifex rationabilem judicavit, et pio affectu illi compatiens in senectute jam posito et laboribus et infirmitatibus confracto, præcepit in virtute sanctæ obedientiæ, ut in posterum carnibus vesceretur (quia etsi ratione sui status videlicet Donati, eas manducare potuisset a tempore quo Ordinem intravit, tamen propter suam abstinentiam et vitæ rigorem et observantiam, nunquam eas manducaverat). Priori quoque præsentis Domus mandavit Papa, ut carnes ei ministraret vel ministrari faceret, non obstantibus nostri Ordinis Statutis carnium usum seu administrationem stricte prohibentibus. Tenor autem bullæ quam super hoc præbuit talis est : « Benedictus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam. Grata quam plurimum et accepta servitia quæ dilectus filius Franciscus Aranda, Donatus Domus Portæ Cœli Cartusiensis Ordinis, Valentinæ diœcesis, nobis et Romanæ Ecclesiæ fideliter ac ferventer impendit, merito nos inducunt ut ad illa visceraliter intendamus quæ eidem Francisco conspicimus fore opportuna. Cum itaque ipse Franciscus ad dictam Domum de nostri licentia revertatur, eidem attenta suæ dispositione personæ, ut carnibus vescatur in virtute sanctæ obedientiæ præcepimus.... » Cum vero paulo post noster Franciscus, audita Martini V electione, a Petro Lunensi penitus se alienaverit ut anno sequenti videbimus, recte dubitant Hispani Patres an hujusmodi licentia vir austerus unquam sit usus.

Ei ministrare carnes jubet Benedictus XIII.

Data etiam ad hoc bulla.

An licentia usus sit, dubitandum.

MARTINUS PAPA V ELIGITUR.

IV. Hoc itaque anno, die undecimo Novembris, Otho de Columna, Romanus, Diaconus cardinalis S. Georgii ad velum aureum, a Cardinalibus, qui antea vel Joanni vel Gregorio vel Benedicto adhæserant, numero viginti tribus, et a cæteris electoribus ab universo Concilio nominatis, in summum Pontificem eligitur, et ut talis a cunctis Patribus agnoscitur, dictusque est Martinus V quod ejus electio in divi Martini celebritate habita fuisset. Præstat hic electionem ejus ex Chronico cartusiæ Montellanæ referre, propter quamdam observationem quam ejus autor coævus de Gregorio XI facit:

Cap. 23.

ANNUS 1417

« Anno 1417, Dominus Angelus Corrario, quondam Gregorius Papa, cum esset in partibus legationis suæ, jubente Domino in pace quievit. Et cum essent Cardinales dispositi ad electionem summi Pontificis accedere, nunquam potuit eorum voluntas concurrere, nutu Dei ut fertur, donec eis nunciatus fuit obitus felix præmissi Domini Angeli ; prout mihi R. Pater Dominus Episcopus Tarvisinus retulit. Unde satis clare apparuit a Domino factum ; ne forte illo vivente aliqua pars sæculi adhuc claudicaret. Quo facto, ingressi sunt Conclavium cum gaudio, et Altissimo concedente optatus finis pestiferi schismatis tunc mirabiliter adfuit, cum omnes unanimiter convenerunt in Reverendissimum tunc dominum Oddonem de Columna cardinalem, civemque nobilissimum Romanum, in die videlicet S. Martini : unde et ipsum in summum Pontificem assumentes Martinum appellaverunt. Et ex tunc (Deo gratias) pene totus Christicolarum orbis eidem obedientiam dedit, verumque Apostolicum Romanæ Sedis Præsulem cognoverunt. In præmisso Concilio multa laudabilia sunt a Patribus instituta, de quibus hic facere mentionem omnino nequeo, propter inopiam exemplarium. » Ubi Priores qui Ordinis nomine Concilio intererant, novi Papæ pedes osculati sunt, diversas sed necessarias ab eo gratias requisierunt ad tollendas anxietates et scrupulos quibus quædam personæ Ordinis, variis ex causis quandoque torquebantur. Has paulo post Martinus viva voce concessit, adhuc hærens Constantiæ, die videlicet 6 Decembris ; jussitque Joanni Dominici, cardinali Ordinis Prædicatorum, literas super his conficere, quæ exstant editæ inter privilegia Ordinis ad calcem antiquorum Statutorum. His vero inter cætera Martinus largitur plenam Indulgentiam in articulo mortis ; Priori vero Cartusiæ et decem aliis Cartusiensibus Prioribus dat potestatem per viginti annos duraturam, absolvendi ac dispensandi cum quibuscumque personis Ordinis nostri de casibus Sedi apostolicæ reservatis ; « necnon cum eisdem personis (sunt verba privilegii) super singulis irregularitatibus et inhabilitatibus quavis causa contractis : præ-

Plures nobis gratias confirmat novus Pontifex.

Bullar. Cartusiens. n. 109.

Indulgentiam in articulo mortis largitur.

ANNUS 1417

terquam pro voluntaria cæde, mutilatione vel debilitatione membri, ac hæresi, et injectione manuum in quemquam Prælatum de vestra religione minime existentem.... dispensandi et habilitandi. » Hos tamen quatuor casus sic per hoc privilegium exceptos Sixtus IV postea concessit, ut alibi dicemus.

Quis sit mortis articulus ?

Porro, circa hujusmodi concessiones quæ in articulo mortis conceduntur, fuit olim, ait Rodericus, orta magna dubitatio quis articulus mortis dicatur ut ea Indulgentia concedi possit, de quo agunt divus Antoninus et Navarrus, qui dicunt quod articulus mortis in hac materia sufficit quod sit præsumptus, et non est necessarium quod sit verus, si nihil aliud in gratia exprimatur ; sicut et extremus vitæ finis in quo solo extrema unctio danda est, non est necessarium quod sit verus, sed sufficiat quod sit præsumptus. Unde probabiliter moriturus uti potest Indulgentia sibi concessa pro articulo mortis, et lucrabitur eam quamvis non moriatur. Sed postea uti ea non poterit amplius, etiamsi convalescat et postea in articulo mortis vero uti ea velit. Dixi si nihil aliud exprimatur in gratia, quoniam si quid exprimeretur, id servandum esset. Si enim exprimeretur, quod toties uti posset quoties in præsumpto mortis articulo constitueretur, ille usus esset ei utilis. Si autem exprimeretur quod daretur pro articulo mortis vero, nihil prodesset usus ejus in articulo mortis præsumpto. Neque secundum Navarrum refert an confessarius dicat id quod sanctus Antoninus et Felinus aiunt dicere debere, scilicet quod concedit eam Indulgentiam ea conditione : si ex illa ægritudine obierit; alioquin reservat illam pro vero articulo mortis, quia nullo jure ad id adstringitur confessarius, et ejus reservatio vel reservationis omissio non potest mutare gratiam Papæ.

Roderic. Tom. II. quæst. Regul. quæst. 87. A. 9.

S. Antonin. I P. Summ. Tit. 10, c. 3. §. 5.

BEATUS NICOLAUS FIT BONONIENSIS EPISCOPUS.

V. Hoc anno beatus Nicolaus Albergatus, vir innocentissimæ vitæ ac rarissimi exempli, non modo nostri Ordinis sed Ecclesiæ Sanctæ decus et ornamentum, ex cartusiæ Bononiensis Priore et provinciæ Tusciæ Visitatore, ad Bononiensem episcopatum quantumvis invitus evehitur; quomodo

vero quove ordine id factum sit, ex variis autoribus sanctitatem illius prædicantibus libet hic enarrare. Joanne episcopo Bononiensi IV Nonas Januarii mortuo, Magistratus, penes quos ipsa fuerat Respublica collocata, jus eligendi Episcopi ad se recidisse interpretantes, sexaginta viris quorum injussu nihil constitui poterat advocatis pridie Nonas Januarii, plures eximiæ doctrinæ probitatisque viros nominaverunt ; qui singulis diligenti atque accurata ratione propensis, unum Nicolaum Albergatum Priorem cartusiæ, spectatæ illa tempestate virtutis sanctitatisque virum, prætulere. Eorum vero judicium deinde Antiani ac reliqui Magistratus, ac demum universum sexcentorum Concilium ita probavit, ut nemo plane de illius dignitate meritisque dissenserit. Itaque Concilio tertia noctis hora dimisso, multi, patefacta urbis porta, magna properatione ut tanti nuncii fructum præriperent, cartusiam adierunt ac Nicolao judicium et decretum civitatis aperuerunt. At ille prostratus in terram ne se quiete ac pace sua privarent rogare et obsecrare cœpit : impotem se omnino tanto operi, inexpertum, imperitum, indignissimum esse. Illis vero magna vi, omni prece atque suasione, ut electioni de se factæ annueret exorantibus, nullo tamen pacto adduci potuit ut morem gereret. Sed quanto illi ardentius insistebant, tanto ipse obstinatius recusabat. Per hunc modum integro semestri Bononiensis Ecclesia pastore desolata jacuit, illis neminem nisi Nicolaum volentibus, eo autem constantissime detrectante. Interim novas artes cives excogitarunt, ut desiderio potirentur suo.

ANNUS 1417

Carol. Sigonius in Vita B. Nicolai Albergati, cap. 3.

Approbante universa plebe

Id. de Episcop. Bononiens. Lib. IV.

Jac. Zenus in Vita Nicol. Alberg. c. 3.

ipso vero renitente.

« Timentes enim, inquit autor coævus, ne clam fugam arriperet, Domum undique populo circumdante, vi licet honesta ad Dominorum palatium deduxerunt, sub fida honestaque custodia includentes, donec præberet eis desideratum assensum. Ipse vero cupiens pio dolo populum ipsum decipere, dilationem et libertatem peroptans, imitatus quondam sanctissimum Hugonem Lincolniensem episcopum prælibati Ordinis antequam de monasterio educeretur, dixit nullatenus assentire se illis, nisi prius consensus adesset Prioris magnæ

Donec acquiescat, sub custodia servatur

Chronicon ms. de Montello, cap. 23.

ANNUS
1417

Prioris Cartusiæ consensum adesse requirit.

Cartusiæ. Dum igitur pararentur solemnes nuntii, præmisit ipse electus clanculo fidum nuntium ad ipsum Domnum Cartusiæ, rogans et obsecrans lacrymabilibus literis ne præberet consensum, timens ne forte tanti regiminis opprimeretur gravedine. At cum Nuntii festinato applicuissent gradu ad memoratum Priorem Cartusiæ, et Bononiensium exposuissent vota fideliter, ipse vero Deo plenus, dulciter ac benigne suscipiens, similem apologiam dedisse fertur : Experiar, inquiens, ut Dominus dederit, quæ sit voluntas ejus ; et tunc non modo meum, sed Dei dabo responsum. Et cum plus solito coram Altissimo deprecationem flammigeram præmisisset, tale Domino proposuit paradigma : Domine, si tua est voluntas, quæ est invariabilis, ut frater noster Præsulatum assumat Bononiæ, da signum in bonum servo tuo petenti, ut crastina die videlicet Conventus noster Cartusiæ nemine discrepante interrogatus consentiat ; sin autem, pars altera contradicat omnino. Mira res prorsus insolitaque nostris temporibus ! Mane ergo lucescente, missaque conventualiter decantata Paracleti Spiritus, congregatis Fratribus Domus Cartusiæ, proposuit Reverendus Pater Prior cunctis audientibus vota præmissi populi de facto electionis. Tunc omnes, nemine discrepante, una voce Priori dederunt responsum dulcissimum : ut electus videlicet Antistes intrepide regimen oblatum omnino assumeret, quia Domini erat voluntas. Quæ cum audisset Pater Cartusiæ : Vere, inquit, Domini est voluntas, quoniam talem Domino protuli propositionem. Sicque ambassatoribus, Conventus de voluntate, Altissimi assensum præbuit et responsa. Illi vero acceptis epistolis pii Patris, magno cum gaudio ad propria remearunt. » Hujus legationis caput fuisse Antonium Albergatum, Jurisconsultum, nostro Nicolao arcta necessitudine junctum scribit Sigonius. Accepta igitur Patrum matris Cartusiæ sententia, Concilium Bononiense novis nunciis missis, « Nicolaum ad se venire rogavit, cujus ille voluntati non obsequi turpe ratus, accessit. Ibi vero ad accipiendam (quæ tanto civium studio deferebatur) Ecclesiam obsecratus, primum indignum

Quod non fit absque miraculo.

Cap. 4.

Apud Garnefeldt. p. 76.

se nec tanto oneri sustinendo parem excusavit, deinde illorum precibus defatigatus, sic se assensurum adjunxit si populi prærogativam Cleri judicium confirmasset : neque enim æquum videri quemquam Clero præesse, quem non Cleri ipsius testimonium approbasset. Qua re audita, Concilium statim Canonicos coire, et Nicolaum a se editum jussit deligere. Ita Canonici, Capitulo advocato, sua sententia comitia populi confirmarunt. Hoc vero ubi Nicolaus præter opinionem accidisse suam animadvertit, in Concilium reversus, ut alio moræ genere decreto animi sui aliquid subsidii compararet, nequaquam se vacante Romana Sede, sine Archiepiscopi Ravennatis autoritate ejusmodi honorem initurum asseruit ; atque extemplo Petrum Ramponum et Andream Brunum Canonicos, Procuratores suos ad Archiepiscopum destinavit. Verum et hi mense Maio Ferrariam, ubi Archiepiscopus versabatur, profecti, nullo negotio illius assensionem obtinuerunt. Quibus decretis Nicolaus evictus, tandem ad supplicationes se contulit, et ne se ascitam deserere disciplinam, et susceptum secretioris vitæ propositum subigerent obsecravit. Populus autem ejus preces aspernatus, atque eo vehementius ad ipsum evocandum accensus, Archiepiscopum ad eum consecrandum accivit. Is, cum in exitu Junii accessisset, hominem ad se in palatium accersivit, et benigne ac comiter appellatum, ut adhuc recto populi reluctantem studio sensit, haud leviter commotus, pertinaciam ejus vehementius incusavit ; atque ab eo se, ni pareret, rationem ovium sibi a Deo commissarum in conspectu divini Judicis repetiturum esse denuntiavit. Nimirum haud sine divino Numine tantum populi in eum consensum esse commotum, quod grave nefas committeret, si qua ratione contemneret. Quibus verbis quasi ex ipsius Dei ore emissis Nicolaus exterritus, atque ultra repugnare non ausus, se facturum, quod populus peteret, atque ille suaderet ostendit ; » sub his tamen conditionibus. Primum ut omnia bona et castella quæ distracta erant, Ecclesiæ restituerentur ; tum ne quid expenderet pro confirmatione Pontificis, sibi enim nummos non esse ; quæ vero

Consensum Cleri Bononiensis,

et Ravennat. Archiepiscopi expostulat Nicolaus.

Consentire tandem in electionem promittit.

Quibus conditionibus suscipit episcopatum.

ANNUS 1417

Fr. Poggius in Oratione funebri Nicol. Albergati, p. 55.

ab Ecclesia subministrarentur in alios usus, hoc est in pauperum alimenta distribuenda sibi esse asseverabat ; quod utrumque est vir sanctissimus assecutus. « Ita rebus constitutis, IV Nonas Julias ab archiepiscopo in æde cartusiæ, ingenti populi, qui avide confluxit, astante frequentia, solemnem consecrationem accepit. Quo facto, porta sancti Stephani, ut moris est, universa obviam effusa, cum Magistratibus civitatem ingressus, usque ad ædem S. Stephani eques sub holoserica umbella processit : inde positis calceis, pedes ad basilicam sancti Petri contendit, atque Ecclesiæ possessionem, ipso assidue plaudente præ lætitia populo, iniit. Exemplum inde Petronii atque eorum qui priscis temporibus floruerunt antistitum imitatus, Episcopi partes ita suscepit, ut se tamen monachum esse haud fuerit oblitus ; nec se magis sancti Zamæ primi Bononiensis Ecclesiæ episcopi successorem, quam beati Brunonis Cartusiensium Ordinis Institutoris, æmulatorem esse meminerit. Etenim cum episcopali dignitate simul et monasticam disciplinam in omnibus officiorum generibus conservavit. Siquidem eamdem in corde humilitatem, in vestitu præsertim intimo vilitatem, in aspectu pudorem, in cibo potuque tenuitatem, in cilicio et jejuniis asperitatem, in fundendis ad Deum precibus assiduitatem, Episcopus tenuit quæ Monachus ascriptus ascivit. Nam et carne perpetuo abstinuit, et in culcitra non se collocavit, sed victum, cultum ac stratum idem servavit, quibus se monachalis primum vinculo legis astrinxit. Tantum autem sibi de facultatibus Ecclesiæ reservavit quantum familiæ suæ (quam moribus magis quam numero spectatam alebat) sat esset ; reliquum inopibus sustentandis, et maxime puellis nubilibus quæ dote carerent collocandis, impertiri solitus fuit. Pauperes qui egestatem erubescebant, occulte perquirens, frumento aut pecunia clanculum domum missa sublevabat. Confluentibus undecumque mendicis victum publice largiebatur. De viduis quoque magnam habens curam, Religiosum quemdam ad reddendum depositum mulieri viduæ quod negabat, re certis conjecturis cognita, licet reluctantem coegit. Primum in id maxime mul-

Consecratio-nem accipit.

Monasticam disciplinam conservat.

Omnibus pater beneficus existit.

Sigon. ubi supra. cap. 5.

ANNUS 1417

tis reluctantibus incubuit ut Clerus qui ad eam diem dissolutior fuerat, non solum vestibus sed moribus quoque compositioribus uteretur, quem etiam sacris officiis majori frequentia et insigniori modestia interesse præcepit. Tum populum a lascivia ad frugalitatem deflexit, non solum verbo sed exemplo, quod plurimum valet ad animos hominum commovendos.

Martinus V ejus electionem confirmat.

Interim post longas Patrum dissentiones Martinus V, ut jam diximus, Pontifex declaratus est. Quod ut ipse audivit continuo ab eo Apostolicam episcopalis dignitatis a populo cleroque delatæ confirmationem poposcit, seque totum ejus autoritati et judicio permisit. Quod Martinus, comperta hominis virtute ac sanctitate permotus, sine ulla detrectatione, licet non mediocriter ipsi a se alienatæ civitati offensus, non assensit solum, sed etiam apud Mutinensem et Imolensem Episcopos jusjurandum solemne eum concipere jusserit, ne sui adeundi laborem suscipere cogeretur ; scriptis hac de re anno sequenti literis quas Sigonius publici juris fecit.

NICOLAO IN OFFICIO PRIORIS SUCCEDIT LUDOVICUS DE GENUA.

VI. Nicolao in officiis Prioris ac Visitatoris successit Ludovicus de Genua, vir ætate et virtute maturus. Hic ejusdem Domus Bononiensis professus, cum aliquot annis ibidem, multa summæ pietatis ac religionis signa præbuisset, ad Casularum cartusiam observantiæ suo exemplo restituendæ gratia missus est. Inde pietatis illius fama Visitatorum relatu ad comitia Seizentia pervolante, Prior Montellanæ Domus per Chartam 1394 institutus, munus illud cum magna laude per annum tantum sustinuit, omnes enim honores fugiens ac delitescere deligens, suis instantibus precibus ita apud Diffinitores egit, ut anno sequenti et ab officio absolutus sit et ad claustrum Bononiense remissus. Cum vero viginti et duobus annis in eo transactis, a Deo cui plus notus erat quam hominibus, laborum quos in solitudine contra nostræ salutis inimicos constantissime tulerat, mercedem expectaret, nullus a Conventu dignior inventus est qui locum Nicolai teneret. Electioni suæ obsistere voluit, sed a Priore Cartusiæ

Chronicon Montellanum, cap. 16.

ANNUS 1417

Ex Charta 1419.

jussus, collum obedientiæ et oneri submisit ; imo et in sequentibus comitiis confirmatus, curam quoque visitandæ Provinciæ sumere cogitur. Sed vir annis et austeritatibus fractus, utriusque officii ponderi succubuit, cum illud duobus tantum aut paulo amplius annis magno spiritus fervore sustinuisset; signatus inter mortuos in Charta anni hujus sæculi vigesimi, beneficio tricenarii donatus est.

Rolandus Prior Coloniensis moritur.

Hoc eodem anno Constantiæ pie decessit Rolandus de Luysteringen, Coloniensis cartusiæ Prior et Rhenanæ provinciæ Visitator ac nostri Ordinis nomine Concilii Legatus. De quo Chronicon Coloniense celebrem facit mentionem his verbis : « Celeberrimus iste vir, cum esset decanus cathedralis ecclesiæ Paderbonensis, et nobilitate, doctrina, autoritate in seculo floreret atque ad honores majores spe fulciretur, hæc omnia ob Christi amorem repudiavit, et omnibus mundi illecebris et vanitatibus rejectis ad Christi vexillum convolavit, Crucisque ignominiam seculi splendori prætulit. Ad hanc itaque Domum ceu portum salutis advolans, gratiose susceptus est, brevique tempore animum omnibus religiosæ disciplinæ exercitationibus adeo excoluit, ut paulo post in Vicarium, dein sublato antecessore in Priorem assumptus, sic laudabiliter ac strenue, juvante illum gratia divina præfuit, ut non modicam benedictionem paupercula fundatio ista per ejus sedulam administrationem reportarit. Siquidem industria sua magna procuravit bona dominorum de Hardehusen (juxta Bonnam sita) ad valorem trium fere millium florenorum, et alia hinc inde. Fuit quoque annis aliquot Convisitator provinciæ Rheni, atque ob ingentem litteraturam et famam a Capitulo generali Majoris Cartusiæ (tunc enim Ordo unitus erat) destinatus ad Concilium magnum Constantiense, in quo dum egregie muneri suo satisfecit, pestilentia præventus ibidem cessit e vita anno 1417, die 9 Augusti, anno Prioratus sui tertio decimo. » Anno sequenti in Charta designatur cum pleni monachatus beneficio. Quod etiam conceditur Joanni de Lingonis, viro ob zelum observantiæ, prudentiam in agendis ac diuturnum

Legatus Ordinis ad Concilium Constantiense.

cartusiæ Noviomensis regimen, inter Nos commendabili. In officio Visitatoris Picardiæ de Ordine benemeritus, obiit die 16 Augusti, juxta necrologium ejusdem Domus, vel sequenti, ut habetur in Charta.

EX AMICIS ORDINIS MORTUI DENUNCIANTUR.

VII. Ex amicis et fautoribus Ordinis hoc anno mortui denunciantur : « R. P. D. Raymundus abbas Cluniacensis, pro quo debet dici in qualibet Domo Ordinis Agenda cum missa in Conventu juxta Statuta nostra, et ultra hoc fiat unum tricenarium. Joannes Montaille, sacerdos canonicus Ebroicensis. » Ex Principibus, « illustrissimus Princeps dominus Joannes, primogenitus Domini Regis Franciæ, Delphinus Viennensis; illustrissimus Princeps dominus Joannes, dux Bituricensis » pro eo sæpissime preces per totum Ordinem edicebantur, in gratiarum actionem de beneficiis quibus Capitulum generale, Majorem Cartusiam et alias nostri Ordinis Domos in dies cumulabat. In calendario cartusiæ Parisiensis dicitur « dedisse tria millia francorum auri, sacelli sancti Hugonis Lincolniensis fundationem imperfectam absolvisse, Reliquias sancti Joannis Baptistæ sibi a Clemente VII oblatas, cum vase argenteo in pondere 25 marcarum ac multum supellectilem pretiosissimam in ornamentum ecclesiæ contulisse. » Similia beneficia Domui Divionensi largitus est, in cujus necrologio hæc de eo habentur : « Obiit illustrissimus Princeps dominus Joannes dux Bituriæ, comes Pictaviæ et Alverniæ, filius Regis Franciæ, et frater germanus Domini Philippi fundatoris nostri : qui dedit nobis pro fundatione et sustentatione altaris S. Joannis, quod est retro magnum altare, mille scuta aurea in reditibus ponenda ; pulchram casulam panni aurei cum duobus aliis pannis quibus paratur altare in magnis solemnitatibus, et unum jocale argenteum in superiori parte tripartitum, in quo sunt Reliquiæ trium Apostolorum cum pulchra tabula de ebore. »

Abbas Cluniacensis Raymundus,

Joannes Franciæ Viennensis Delphinus,

Joannes dux Bituriæ.

Ex Nobilibus : « Joannes de S. Genesio cum uxore sua, et Joannes Gasconis quondam secretarius domini Ducis Sabaudiæ. » Et in Charta Capituli generalis Hispanorum : « Rogerius de Monte Cateno, miles. »

ANNUS 1417

DUX EXONIÆ QUINQUE CELLAS FUNDAT IN DOMO MONTIS-GRATIÆ.

VIII. Hoc anno vel præcedenti Thomas de Beaufort dux Exoniæ, Henrici regis Angliæ patruus, quinque cellas in Domo Montis-gratiæ ædificat et dotat, sepulturamque suam in ea eligit, obtenta prius a Capitulo generali licentia quæ per Chartam hujus anni his verbis conceditur : « Priori et Conventui Domus Montis-gratiæ concedimus sepulturam illustrissimi Principis Exoniensis, qui in eadem quinque cellas extruxit et fundavit : quam quidem fundationem et dotationem confirmamus. » Jam ab anno 1412, idem Princeps preces per omnes cartusias obtinuerat velut insignis totius Ordinis fautor et benefactor, et aliquando dicebatur « Admirallus Angliæ. » Sed post præfatam fundationem singulis annis usque ad obitum suum his verbis commendatus est : « Pro Domino Duce de Exestre qui misit eleemosynam Capitulo generali, dicatur in qualibet Domo Ordinis una missa de Beata Maria in Conventu, et non celebrantes dicant septem Psalmos, etc. ; » tandemque defunctus sic denuntiatur in Charta anni 1427 : « Obiit illustrissimus Princeps dominus Thomas, dux Exoniæ, magnus et continuus benefactor Capituli generalis et multarum Domorum nostri Ordinis, habens tricenarium. » Eo sine sobole mortuo, ducatus Exonius Joanni Hollando, ex primi fundatoris Montis-gratiæ progenie, restitutus est.

Insignis fautor Ordinis.

INITIUM HABET CARTUSIA APUD WESEL,

IX. Hoc pariter anno, ut constat ex Charta capitulari, non vero citius ut quidam scripserunt, initium habuit cartusia sub appellatione *Insulæ Reginæ Cœli* apud Wesaliam, ducatus Clivensis urbem, in diœcesi Coloniensi, et loco sive prædio dicto Grave, intra Rhenum et Vardapium fluvios. « De nova plantatione, inquiunt Diffinitores hujus anni, quam inchoare et effectualiter perficere intendit nobilis dominus Comes Cliviæ et Marchiæ in dominio suo, committimus Patribus Prioribus Domorum Coloniæ et Monichusen, quatenus visis præsentibus, quando commode poterunt, assumpto monacho quem ad hoc opus habilem reputabunt, vadant ad prædictum Comitem, et insinuent sibi difficultatem Ordinis in recipiendo novas plantationes. Et si tunc

viderint eum dispositum ad perseverantiam, ponant supradictum monachum in Rectorem, adjuncto sibi socio vel sociis secundum quod sibi viderint expedire. » Rolandus Luysteringenus, Prior Coloniæ, intererat tunc Concilio Constantiensi, ubi mense Augusti, ut jam diximus, peste consumptus est : unde solus Prior de Monichusen, Alphardus nomine, videtur ad prædictum Comitem accessisse, mentem Ordinis exponendi gratia. Nisi dicamus id jam præstitum fuisse ab ipso Rolando in eodem Concilio, cui tunc etiam adfuit ipse fundator, Adolphus videlicet hujus nominis XI, comes Marcanus, et ex parte aviæ post patrem suum comes quoque Clivensis, qui et ibidem a Sigismundo Imperatore primus Cliviæ dux creatus est. Ut ut sit, constat ex tabulario Domus Adolphum, jam Ducem factum, manum statim operi admovisse. « Ingenti namque laterum, calcis, lapidum lignorumque coacervata copia, novam cœpit Domum ædificare die sexta Augusti. Consiliariis vero ignaris quid moliretur Princeps eumque illud Cassiani interrogantibus : cui bono ? Tum ipse non sine panico interrogantium metu respondit se parasitorum, lenonum, adulterorum, omnisque generis impostorum carcerem ergastulis distinctum ibidem conditurum. Cum vero postea conspicerent cellulas Cartusiensium aptari, ingesserunt Adolpho ingentes eos sumptus fisco patriæque nihil aut parum emolumenti allaturos. At pius Princeps, sapientissima hac voce ora eorum obturavit : Si vos, o amici, panum et carnium reliquias pauperibus, spe mercedis a Deo consequendæ sponte largimini ; an non ego jure longe potiori ad alendas sanctas Religiosorum animas hic successive perpetuo habituras, pro me, meis et Ducatu hoc assidue Deum interpellaturas ista conferam ? Maxime cum non tam accipientibus quam erogantibus prosit eleemosyna ? »

Interea multis jam constructis ædificiis, Joannes Deldon dictæ Domus de Monichusen professus, a præfato Alfardo novo operi præpositus, in Rectorem anno sequenti circa festum S. Barnabæ apostoli instituitur, dato ei in socium et Procuratorem Alberto Kivetio, pietate et doctrina insigni.

ANNUS 1417

Adolpho comite Marcano fundatore.

Naucler. gener. 48, ad hunc annum.

Ex Mss. Domus.

Rector novæ Domus instituitur Joan. Deldon.

ANNUS 1417

Ipso die Purificationis B. Mariæ anni hujus sæculi decimi noni, Literas dotales munificus fundator confici curavit, quibus ad comitia Ordinis subsecuta missis, incorporationem suæ Domus fieri enixe rogabat. At Patres pro ingenita sua libertate, petitionem illius constanter admittere recusarunt donec dotem in eisdem Literis designatam, quam non sufficientem judicarunt, ampliorem redderet. Neque hac repulsa offensus Princeps, imo ardentior effectus, decem millibus antiquorum aureorum scutorum quinque alia millia adjecit, scripto propterea anno sequenti, eadem die Purificationis novo diplomate in quo tum ipse, tum Maria, Joannis Intrepidi Burgundiæ ducis filia, ejus uxor, novis reditibus stabilitis, sic studium suum erga Nos his verbis significant : «...Et nos Adolphus, Dei gratia, dux Cliviæ et comes de Marka ; et nos Maria de Burgundia et Flandriæ eadem divina favente gratia ducissa Cliviæ et comitissa de Marka, hanc supradictam hæreditatem, bona, reditus, etc... pro nobis, nostris hæredibus et posteris transcripsimus, etc... Pecuniam quam omnipotenti Deo et Cartusiensium Ordini promisimus debemus : nempe quindecim millia probatorum antiquorum aureorum scutorum ex puro auro, et quæ sint justi ponderis, sitque moneta Romanorum Imperatoris vel Regis Galliæ justa, proba et usitata, etc. Actum anno a partu Virginis 1420, die Purificationis divæ Virginis Mariæ. » Nec mora, his novis Literis a Patribus visis, Domus Ordini adscribitur per Chartam ejusdem anni, his verbis : « Domum novam Ducis Clivensis, autoritate Capituli generalis Ordini nostro Cartusiensi incorporamus ; et volumus eam appellari Domum Insulæ Reginæ Cœli, Rectoremque dictæ Domus D. Joannem Deldon præficimus in Priorem ejusdem. »

Dotem auget fundator.

Domus adscribitur Ordini.

Per triginta annos quibus superfuit, illustrissimus Fundator res temporales hujus Domus adeo auxit ut viginti quatuor monachi ex eis alerentur paulo post illius mortem, quæ accidit anno quadragesimo octavo hujus sæculi, die 24 Septembris sub quo habuit per Chartam anni sequentis plenum per totum Ordinem monachatum. Principi in extremis agenti

Ex Charta Visitatorum a 1454 ad 1470.

astitit Henricus de Piro, Prior ejusdem Domus, et eum suis piis sermonibus consolatus est. Cum decenti pompa in ecclesia hujus cartusiæ accepit sepulturam, quam Hæretici pro more suo polluere. Ei quindecim annis superstes fuit Maria Burgunda, illius uxor, quæ defuncta anno sexagesimo tertio hujus sæculi, simile beneficium cum fundatricis titulo obtinuit sub penultima die Octobris. Alibi vidimus nostri fundatoris antecessores erga nostrum Ordinem beneficos : Engelbertum ejus propatruum, Leodiensem episcopum, cartusiæ ejusdem urbis fundatorem, et alterum Engelbertum de Marka ejusdem præsulis vel fratrem vel fratris filium, qui cum filio suo Majorem Cartusiam suis beneficiis ornavit. Successores vero Adolphi eodem studio nostros sibi devinxerunt. Engelberta de Clivis, comitissa Mursensis denuntiatur in Charta 1459 ; soror erat ejusdem nostri fundatoris, et nupserat Friderico comiti Mursensi cujus obitus signatus fuerat in Charta 1449, in qua cum dicatur « junior Comes », videtur hinc conjici posse patrem ejus adhuc in vivis fuisse. Catharina de Clivis et de Marka obiit die 2 mensis Septembris anni 1459, et notatur in Charta anni sequentis : erat altera Adolphi soror, quam quidam volunt nupsisse regulo Morenberchio, alii dicunt virginem obiisse ; et his magis assentimus quod in citata Charta nominetur solum « de Clivis et de Marka, » nulla facta tituli maritalis mentione contra morem nostri Ordinis.

In ea sepulturam accepit fundator.

Langius, in Chronico ad ann. 1417.

Henning., in Famil. Mark.

Rittershus. in Tab. Clivien.

Ex Maria conjuge noster Adolphus plures habuit liberos nostri Ordinis amantes. Joannes primogenitus et dux Cliviæ, fundationem patris confirmavit et auxit, unde post mortem quam oppetiit die 1 Septembris anno hujus sæculi octuagesimo primo, beneficium tricenarii per totum Ordinem promeruit ; sicut et frater illius minor natu, Adolphus dominus de Ravenstein [a]. Ex Anna Burgunda [b] (quæ etiam inter benefactrices Ordinis annumeratur) Philippum procreavit de cartusia Capellæ optime meritum. Margareta Adolphi fundatoris filia cartusiam Bonilapidis cum marito suo Ulrico Wirtembergensi comite fundavit. Catharina altera filia nupsit

Adolphi filii et nepotes Nostris favent.

[a] Ex Ch. 1493.
[b] Obiit 1508, ex Charta.

ANNUS 1417

Arnoldo duci Gelriæ qui pietate uxoris motus, multa bona fecit Cartusiensibus Arnhemensibus. Joannes hujus nominis II, dux Cliviæ et comes de Marka, prænominati Joannis filius, habuit anniversarium perpetuum sub die 15 Martii per Chartam anni 1522, ubi statim post illius obitum additur : « illustris domina Maria de Horst, soror ejus » ; ex quibus verbis arguuntur qui eam dicunt non sororem sed filiam ejusdem Joannis. Mechtildis de Hossia ejusdem Joannis uxor, tot bona nostris Wesaliensibus fecit ut nomen fundatricis inde meruerit. Hæc præterea, sive ex pietate sive ex curiositate, licentiam intrandi suam cartusiam a summo Pontifice obtinuit ; quam cum Nostri prohibere non potuissent, hanc saltem cautionem cum Domum ingrederetur adhiberi præceperunt : « Quia illustri dominæ Ducissæ Clivensi, fundatrici Domus Wesaliæ, licentiam intrandi aliquando eamdem Domum concessa est ; volumus ut hoc tantum fiat, præsentibus Priore, Vicario, Procuratore et Sacrista, cæteris in cellis manentibus. » Ejus obitus reperitur in Charta 1506. Engelbertus alter Joannis I filius, fuit comes Nivernensis ; nostrum etiam Ordinem dilexit, ut colligimus ex beneficio tricenarii defunctorum ei post obitum concesso. Joannes, Joannis II filius, dux Cliviæ et ex parte uxoris suæ Mariæ, dux Juliæ et Montensis, singularis nostri Ordinis fautor ac protector extitit, et Catholicæ fidei acerrimus defensor, de quo et ejus hæredibus plura dicere in aliud tempus reservamus.

Ex Charta 1490.

Ex Charta 1507.

Benefactores minores hujus Domus.

Ex minoribus hujus Domus benefactoribus hi etiam in nostris Chartis inter mortuos recensentur : « Dominus Willelmus Rener[a] præpositus Embricæ, » quæ est civitas ducatus Cliviæ. « Dominus Joannes de Loncava[b] præpositus Ecclesiæ Xantensis, in eodem Ducatu. Joannes de Francofordia[c] decanus Wesaliensis. Nobilis dominus Joannes de Alpen[d] miles, cum Jutta uxore ejus, et Jacobus et Ymgardis parentes ejus, et Ymgardis, et Gertrudis et Eva filiæ eorum. » Ex eadem familia fuit nobilis ac generosa domina Catharina de Alpen, quæ in Charta anni vigesimi septimi supra mil-

[a] Ex Charta 1425.
[b] Ex Charta 1440.
[c] Ex Charta 1457.
[d] Ex Charta 1492.

lesimum quingentesimum dicitur cum viro suo tres cellas ædificasse. « Diricus[a] canonicus Xantensis. Guillelmus Wondorf[b] canonicus, archidiaconus ac scholasticus ecclesiæ collegiatæ Xantensis, » qui dicitur magnus promotor hujus Domus in ejus ædificatione apud Xantum, habuitque Anniversarium perpetuum sub die 14 Septembris.

ANNUS 1417

[a] Ex Charta 1504.

[b] Ex Charta 1670.

TRIA CISTERCII MONASTERIA

X. Denique hoc anno Conventuales trium monasteriorum Ordinis Cisterciensis in diœcesi Trajectensi : videlicet Iselstenii, Warmondæ et Zebekelensis, meliora sectantes charismata, sanctum inter se regularis restaurandæ disciplinæ pactum inierunt, simulque decreverunt Cartusiensium morem extra habitum amplecti, postulata prius licentia ab Abbate Cisterciensi, totius Ordinis capite, qui pium eorum consilium et fœdus non improbans, totum negotium examinandum commisit Abbatibus Campensi et Scholæ Dei, ejusdem Ordinis, datis ad eos amplis literis quas Joannes Lindebornius suæ Historiæ Episcopatus Daventrensis inseruit, in quibus inter cætera sic loquitur :

Cartusiensium morem amplecti decernunt.

Cap. 7. §. 4.

« Nos frater Joannes, abbas Cistercii, generalis Capituli fungens autoritate, religiosis in Christo nobis dilectis Coabbatibus Campensi Coloniensis diœcesis, et Boyngo alias abbati in Schola Dei salutem.... Ad nostrum noveritis auditum certa relatione deductum, qualiter dilecti filii nostri et fratres Domini Priores monasteriorum Iselstein, Galilææ (alias in Zebekele) et Warmondæ, Ordinis nostri Cistercii et diœcesis Trajectensis, cum eorum suppositis, toto nisu omnimodæ puritati regularis observantiæ juxta primas Ordinis nostri traditiones et instituta nituntur inservire. De quorum laudabili proposito ipsis paterno congaudemus affectu.... Et verum quod pro parte dictorum Priorum et suppositorum eorumdem fuerat coram nobis propositum quod ut Deo liberius, cui se solemni voto devoverunt, possent deservire, vellent more sanctæ plantationis Ordinis Cartusiensis perpetuo includi, Prioribus et Procuratoribus eorumdem, quorum sollicitudini exteriorum incumbit sollicitudo, duntaxat exceptis.... Nos vero vobis his præsentibus damus in com-

ANNUS 1417

missis, ut convocatis dictis Prioribus cum tribus senioribus et auditis eorum motivis et rationibus, quæ ad Dei honorem et nostri Ordinis decus, etiamsi præter Ordinis nostri instituta fuerint vel aliquibus obviantia, et quæ ipsorum sancto proposito magis videritis posse deservire, decreveritis ordinanda, vobis vices nostras et autoritatem qua fungimur capitularem, ad ea confirmanda his præsentibus gratiose impertimur. Datum in sacrosancto Constantiensi Concilio, anno 1417, 5 Julii, Sede vacante. »

Hanc voluntatem approbat Abbas Generalis Cisterciensium.

Hoc igitur accepto mandato, Joannes abbas Campensis et Boyngus abbas Scholæ Dei, diœcesis Bremensis, ad monasterium B. Mariæ in Galilæa de Zedekelo se transferentes, articulos a præfatis conventualibus sibi oblatos judicarunt, (ut in suis literis inde confectis loquuntur) pene omnium voce, suo sancto posse deservire proposito, nec ipso invenerunt nimium a communibus Ordinis Cisterc. institutis exorbitantes. Primo articulo sancitum erat ut hi tres Conventus in perpetuum manerent Prioratus. Cæteri articuli numero viginti Cartusianismum omnino redolebant, hi maxime qui de Priorum electione et Visitationibus instituendis agebant. Horum Priorum nomina sunt hæc : Petrus, Prior Montis Dominæ nostræ in Iselstein ; Joannes Leydis, Prior B. Mariæ de Galilæa in Zebekelo, vir sanctus qui hujusce reformationis promotor fuit principalis ; et Gerardus Prior Portus B. Mariæ in Warmonda. In hanc quoque sanctam confederationem admissæ fuerunt sanctimoniales in Jesse ; cunctaque ab iisdem Abbatibus commissariis approbata fuere et confirmata, scripto fusissimo Instrumento in Prioratu Zebekelensi, in præsentia Hermanni abbatis S. Benedicti in Menterna, anno proxime sequenti, feria secunda post diem sanctæ Pentecostes.

JESU CHRISTI

ANNUS 1418.

Martini PP. V	Ordin. Cartus.	Joannis III. Pr. Cart.
Ann. 1.	Ann. 335.	Ann. 9.

I. ANNO Redemptoris decimo octavo supra millesimum quadringentesimum, Indictione undecima, perseverante adhuc synodo Constantiensi, quæ tantum die 22 Aprilis dissoluta est, Cardinales qui hactenus Petro Lunensi mordicus adhæserant, et quidam alii Præsules congregati Paniscolæ, eum totis viribus ad Papatus dignitatem, qua fere tantum velut imaginaria tunc fruebatur, Martino cedendam cohortantur. Noster quoque Franciscus Aranda, Portæ-cœli Donatus, a quo Petrum jam ab anno superiori desertum vidimus, per literas multis ac gravissimis rationibus ei cessionem persuadere connititur. « Videns enim, inquit autor Vitæ illius, Martinum in universali Concilio Constantiensi electum fuisse in Pontificem maximum, et ut verum ac indubium Papam a tota Ecclesia Catholica habitum esse et reveritum, scripsit Benedicto moranti Paniscolæ ut desineret jam vocari Papa, et obtemperaret determinationi et electioni canonicæ in Concilio factæ; sed licet multis rationibus et precibus hoc suadere ei tentaverit, nihil tamen profecit : nam in sua obstinatione et obduratione perseveravit usque ad mortem. Quapropter Franciscus noster illum deseruit et abalienavit se ab eo in perpetuum. Et optata cellæ ac solitudinis quiete et pace fruens, totus exercitiis spiritualibus occupabatur, die noctuque chorum et actus conventuales sequens, ac in omni virtute

BENEDICT. XIII CEDERE OMNINO RENUIT.

Vita ms. Francisci Arand. §. 8.

ANNUS 1418

et sanctitate cunctis Fratribus exemplar perfectissimum ex se præbens, per viginti annos quibus supervixit, nunquam e terminis Domus pedem extrahens. »

Hispani Cartusienses ad modicum in sua perseverant obedientia,

Rayn. ad hunc ann. n. 15.

Nec dubium quin cæteri Hispaniæ Cartusienses, Francisci ac præsertim Bonifacii Ferrerii, anno superiori, ut diximus, demortui exemplo, pseudopapam statim post Martini electionem deseruissent, nisi ab Alphonso Aragonum rege, quem hominis pervicaciam suis persuasionibus frangere nitentem sciebant, suam cum Ecclesia et Ordine reconciliationem per aliquot menses adhuc prorogare coacti fuissent. Guillelmus vero de Mota, eorum Generalis, ut Regi facilius suum celaret consilium, quod de prompta suorum cum Matre Cartusia conjunctione resarcienda ab anno superiori conceperat, cunctis suæ obedientiæ Prioribus apud Vallem Christi, die 2 Aprilis accersitis, Capitulum generale celebrat, ubi exhibitis Petri Lunensis literis, quibus homo vafer et simulationibus assuetus « statum sanctæ Matris Ecclesiæ et suum precibus Ordinis devote recommendabat, » censuit ne Rex irritaretur, eum adhuc summi Pontificis nomine designari ut annis superioribus, in hoc imitatus Clerum Hispanicum, ac maxime Cardinales qui licet tunc ad Martinum transfugere decrevissent, Petrum nihilominus Sanctitatis ac Beatissimi Patris titulis cohonestare non desierant. Preces etiam consuetæ « pro excellentissimis Principibus Rege Aragoniæ et Regina consorte ejus, ac Rege Castellæ et Regina Matre ejus » indictæ sunt. Spe tamen magna ductus, totam Hispaniam brevi Martino adhæsuram, hacque via totum Ordinem certissime in pristinum unitatis et pacis statum fere restituendum, hoc decretum ab Hispanis Patribus fieri obtinuit : « Ordinamus quod si super facto Ecclesiæ aliquid de novo emergat, eo casu Domnus Cartusiæ habeat vocare indilate omnes Priores Ordinis suæ obedientiæ. » Cum igitur anno exeunte Alamanus cardinalis, quem Martinus in Aragoniam Legatum destinaverat ut Petrum ad decretis Concilii obediendum cogeret, Regis animum flexisse videretur, hac occasione arrepta, noster Guillelmus, juxta potestatem sibi in præfatis comitiis

Eumque in Charta Capituli Pontificem vocant.

Rayn. ubi supra. n. 12.

Zurita, Annal. Aragon. Lib. XII, c. 72.

Sed, arrepta occasione, de unione Ordinis tractare serio incipiunt.

factam, Hispanos Patres, inter quos erat Joannes Placentis Petræ-castri Prioris nomen gerens, iterum convocat; eorumque omnium approbatione facile captata, Franciscum Maresmium et Joannem Sansium, Portæ-cœli ac Vallis Christi Priores ad Cartusiam delegat, qui nomine totius congregationis, Generalatum ac Prioratus Cartusiæ dignitatem apud Conventuales Matris Cartusiæ abdicaret, ea quidem conditione a Patribus Hispanis interposita, ut et Joannes Griffomontius idem præstaret : verum secreto Guillelmus Patribus legatis suam simplicem abdicationem syngrapho obsignatam dedit, significans præterea nolle Griffomontium ad hujusmodi pactum servandum cogi. Quo vero ordine hæc transacta sint anno sequenti narrabimus.

ANNUS 1418

Vita ms. Francisc. Maresmii, §. 2.

II. Sed in Gallias revertentes, quid in comitiis apud Majorem Cartusiam habitis actum sit videamus. Ibi Martino vero summo Pontifici pronunciato preces per totum Ordinem conceduntur, ac beneficia anno superiori ab eo collata his verbis declarantur : « Pro sanctissimo Domino nostro, Domino Martino Papa V, qui de novo concessit R. P. Domno Cartusiæ ac decem Prioribus Ordinis per eum eligendis autoritatem absolvendi et dispensandi cum personis Ordinis in casibus Sedi apostolicæ reservatis, quatuor exceptis, usque ad viginti annos, et gratiam generalem ac perpetuam fecit omnibus personis ac etiam Donatis Ordinis nostri, ut possint in mortis articulo absolvi ab omnibus peccatis cum plenitudine potestatis : fiat tricenarium de Spiritu Sancto, etc. » more consueto. Deinde Diffinitores Griffomontio gratulati de rebus Ordinis studio suo et suorum Legatorum diligentia in Concilio Constantiensi procuratis, eum obsecrant in visceribus D. N. Jesu Christi, ut habeat patientiam in laboribus suis. « Volumusque, inquiunt, et ordinamus quod attentis immensis expensis per eum factis in Constantia, taxa hactenus persoluta etiam anno futuro persolvatur. »

DECRETA CAPITULI GENERALIS IN MAJOR. CARTUSIA HABITI.

III. Inter hæc, nondum absoluto Concilio, Martinus Papa a Prioribus qui nomine Ordinis ibidem aderant rogatus, bul-

PRIVILEGIA NOBIS A MARTINO PAPA CONCESSA.

ANNUS 1418

lam concesserat qua Domum Cartusiæ et Capitulum generale cum omnibus eorum personis et bonis sub sua et B. Petri protectione suscipit ; libertates et immunitates a prædecessoribus suis Romanis Pontificibus sive per privilegia sive per Indulgentias eis collatas, necnon et exemptiones sæcularium exactionum a Regibus, Principibus et aliis Christi fidelibus eisdem indultas confirmat. Data est bulla Constantiæ, tertio Nonas Aprilis, Pontificatus illius anno primo ; deinde post Patrum dimissionem, Gebennam se conferens, ibique per aliquot menses demoratus, quatuor Cardinales Petri Lunensis in gratiam recepit, novamque edidit constitutionem qua prohibet ne Religiosi mendicantes possint transire ad alium Ordinem monachalem sive non mendicantium, sine speciali Pontificis Romani licentia, præterquam ad Cartusiensem. Hanc scribit S. Antonius decretam fuisse in Concilio, quæ tamen in ejus actis non reperitur ; imo constat eam post Concilii solutionem, a Martino datam fuisse Gebennis quarto calendas Augusti. Id enim probatur ex coævo autore Chronici Montelli, qui postquam multa de Concilio et de summo Pontifice in eo electo retulit, de Martino et præfata illius constitutione sic loquitur : « Præfatus summus Pontifex inter alia decreta instituit ut Mendicantes non possint habitum sumere monasticum nisi Cartusiensem. Propterea de verbo ad verbum exemplar hic infra notare curavi ad laudem Dei et Ordinis nostri. » Deinde integram illam exscribit sub anno et die præfatis, prout etiam postea relata fuit inter Extravagantes communes et inter Privilegia nostra ad calcem Statutorum antiquorum edita cum quibusdam tamen immutatis, sed non essentialibus.

Mendicantes ad alium Ordinem, præterquam ad Cartusiensem, transire non possunt.

S. Antonin. Tit. XXII, cap. 6. § 9.

Chronicon Montell. c. 23.

Privil. n. 118.

Per hanc porro Martini Papæ constitutionem, ut observat noster Bohicius, quæstionis a sancto Bonaventura olim agitatæ nodus plane solvitur. Quærit sanctus Doctor si de Religione S. Francisci possit aliquis ire ad aliam post factam in ea professionem, et respondet id licite fieri non posse, nisi per dispensationem Sedis apostolicæ, cum hoc expresse in Regula ejusdem Sancti caveatur et prohibeatur. Ex cujus

Bohic. Annal. Ordinis Cartus. ms. ad hunc ann. n. 3.

Regulæ textu recte concluditur quod Frater Minor qui ad Cartusiensem Ordinem sine licentia Apostolica transiret, retro aspiceret. Sed post Martini constitutionem, non solum Minores sed et omnes Mendicantes ad Nos transire possunt tuta conscientia; quandoquidem, ut plures Doctores observant, Martinus in hac sua Extravaganti Ordinem nostrum absolute excepit. Quidam contrarium censent. Nos vero hodie vix hujusmodi homines inter Nos recipimus, quos sæpius ex levitate animi ad hunc transitum inductos experimur. Utrum vero liceat Monacho Cartusiensi transire ad Mendicantes alibi tractavimus.

Navarr. Lib. III Concil.

Sylv. verbo Relig. IV. q. 6.

Ad cartusiam Papiensem summus Pontifex divertit.

N. III.

Lib. IV. c. 8.

Martinus adhuc Genevæ hærens, conservatorium Ordini nostro per Joannem XXII concessum renovavit amplissimis codicillis secundo calendas Septembris datis, quas habes inter Privilegia. Posthac Italiam petens, ad cartusiam Papiensem divertit. « Ubi Ticinum appulit III Nonas Octobris, inquit Vitæ Stephani Maconi autor, obvium habuit Insubrum ducem Philippum. Ergo recentis ejusdem amplissimi Cartusiani cœnobii fama quotidie magis longe lateque vagante, illico ejus videndi desiderio exarsit. Novam itaque ejus basilicam ex itinere ingressus, cuncta diligenter inspexit, et magnam rerum approbationem omnium præ se ferens, non potuit prece maxime cœnobiarchæ Stephani nostri motus, spiritualia Indulgentiarum munera totius Ordinis nostri cultoribus lætus ac libens non largiri, qui pietatis erga, eamdem basilicam pro voto viserent; » Pontificio diplomate paulo post, quarto videlicet Idus Octobris, Mediolani dato.

Ecclesiam ejus visitantibus Indulgentias elargitur.

PRIORATUS ONUS EXCUTERE MACONUS INTENDIT, SED TUNC INCASSUM,

IV. Eidem Stephano in comitiis hujus anni plura adhuc demandata fuerant circa quorumdam Priorum et Monachorum dispositionem, quod ille satis ægre ferens eo quod sibi soli vacare cuperet, Prioratus etiam onus, licet tum incassum, excutere voluit, ut fuse narrat citatus autor : « Cum in dies singulos Stephani ætas ingravesceret, et omnes spes suas ad eam usque diem fractas ac debilitatas habuisset ut optata consequeretur ad monasterii gubernacula deserenda; habuit tamen per id tempus unde desiderium suum leniret, totum-

ANNUS
1418

que se amico homini aperiret qui esset secundum cor suum. Namque cum per eos dies Angelus Salvettus Senensis, e Franciscana familia sodalis, in generalibus comitiis Mantuæ hoc anno habitis summus totius Ordinis sui Præfectus esset renunciatus, Stephanum tota de re pro amicitia certiorem facere voluit, ei indicans quanto cum animi sui mœrore gravem provinciam suscepisset, nec effugium habuisset unde evitare onus potuisset; licet etiam tunc perplexus et confusus animo, mentem minime deposuisset qua demandatum sibi onus renueret. Cui Stephanus pari voluntatis mœrore rescribens, animum sic effudit in epistolam, ut ejus exemplum his inserere placuerit : Nuncius, inquit, quem ex tuis literis accepi, Reverende Pater, de onere humeris tuis imposito præter animi tui sententiam atque adeo voluntatem, refricuit ejus recordatione animi mei dolores : eo quod apud Patres meos ut mei misereantur, hoc est ut gravi hoc onere me levent, misericordiæ locum adhuc non invenerim ; summopere cupiens meum spiritum cum tuo uniri per vitæ privatæ degendæ rationem ac sancta desideria Deo liberius vacandi. Id a me expostulant singularia munera et beneficia, quæ ab ipso indulgentissimo parente Deo accepi, id exigit religiosæ vitæ professio ac studium Dei inhærendi, id denique requirit affecta mea jam ætas mihi aliisque onerosa : scilicet ut quidquid pœnitentiæ spatii donaverit, totum insumam ad annos meos recogitandos in amaritudine animæ meæ. Ora proinde, Pater Reverende, Deum ipsum Patrem misericordiæ, ne me propter ingrati animi mei vitium deserat in tempore malo. Quod scribis de fratre Bernardino Albizescho * lætor vehementer, constare ejus in Ecclesia Dei excolenda uberes virtutis ac charitatis fructus. Et quamvis multi multa de eo diversa dicant, nos tamen qui sensus pro consuetudine excitatos habere debemus ad discretionem boni et mali, videamus an ejus facta et opera congruant cum iis quæ aliis ille deprædicat, et utraque ad Dei gloriam si referat. Siquidem, ut optime nosti, nos vitam ac mores nostros ita pie ac pure coram Deo et hominibus traducere debemus, ut ante justum

Loco supra dicto, Lib. IV, cap. 9.

licet ad hoc obtinendum plura introduxisset argumenta.

* Sanctus Bernardinus Senensis.

Dei tribunal dijudicent nos innoxios ab omni superbia vitæ. Eum novi jam inde ab adolescentia magni desiderii juvenem, et etiam jam tum sublimium appetentem. Episcopus Bononiæ scribit ejus vitam et doctrinam sibi probari, perinde quasi divini præconis. Christus Jesus nos suæ misericordiæ muneribus augeat, nos protegat ac tueatur. Ex Papia. »

ANNUS 1418

V. Episcopus Bononiensis cujus noster Stephanus in his literis meminit ipse est Nicolaus Albergatus, qui suæ diœcesi repurgandæ totus deditus, synodum hoc anno, XIII calendas Junii celebravit, ubi præclaras constitutiones olim a Bernardo episcopo editas, ad antiquam Cleri disciplinam revocandam instauravit. Tum ad monasteria quæ tristi superiorum temporum calamitate perierant, renovanda conversus, multa præclara ad observantiam ubique restituendam sanxit. Oculis etiam in laicorum mores conjectis, ludos aleatorios magno animi dolore sic per urbem vulgo celebrari animadvertit, ut non solum ejus eo cum insigni divinæ legis contemptu, et magno patrimoniorum dispendio convenirent, sed etiam publicum ex ea re vectigal institutum haberent. Quam consuetudinem ipse adeo improbavit, ut edicto graviori proposito et vectigal et conventicula illa damnarit. Cum Judæos quoque sine discrimine inter Christianos versantes videret, rem mali exempli ratus, circulum eos jussit luteum, ut a cæteris dignoscerentur, in pectore gestare, et festis diebus clausas tabernas habere, et quadragesimali tempore ab emendis carnibus abstinere. Postremo basilicam atque episcopium contemplatus, cum multas partes vetustate obsolescentes instauratione egere videret, ne id quidem sibi putavit esse prætermittendum. Itaque campanarii fastigium ex ligneo lapideum fecit, ac totum laminis plumbeis cooperuit. In episcopio aulam insignem et multa cubicula ædificavit, ac bibliothecam publico usui magna supellectile librorum instruxit. Has omnes laudes apud populum cumulavit singularis humanitas ac facilitas admirabilis, quod aditus ad eum non minus patebat Episcopum ac si privatus in ædibus suis egisset, aut monachus adhuc in humili cella consideret. Qui-

NICOLAUS AL-BERG. SUBDITOS SUOS REFORMARE NITITUR

Sigon. c. 6.

in omni statu.

Cunctis se facilem præbet.

ANNUS
1418

bus et ejusmodi aliis præclaris ad vitæ sanctioris opinionem institutis, eam apud omnes homines virtutis usque innocentiæ famam adeptus est ut eum non solum cives admirarentur, sed insolito etiam his temporibus cultu venerarentur. Siquidem et genua prætereunti ponebant et capita inflectebant, et in supplicationibus publicis incedentem multi nudis pedibus, honoris ejus ac reverentiæ causa prosequebantur. »

PRIOR PRAGENSIS URBEM DECLINAT,

Æneas Sylv. Hist. Bohem., cap. 26.

ut Hussitarum insidias vitare possit.

Balb. in Bohem Sacr. P. I. §. 67.

VI. Post damnationem Joannis Hussi et Hieronymi Pragensis socii ejus in Concilio Constantiensi annis superioribus factam, et supplicium de utroque sumptum, discipuli eorum sequacesque omnes in unum convenientes, memoriam defunctorum imprimis consecrant, celebrandamque quotannis decernunt. Exin, per amicos nonnullas ecclesias a Wenceslao rege sibi tradi extorquent. Neque his contenti, monasteria quædam et ecclesias passim evertunt, variosque tumultus concitant. Marquardus cartusiæ ejusdem civitatis Prior, ac Czenconis Wartembergii summi regni Præfecti consanguineus, si non frater vel patruus, Hussi acerrimus insectator, accusator et sectatorum ejus malleus, ab iis maxime designabatur ad cædem : totque ac tam multiplices erant insidiæ, ut de communi amicorum et Catholicorum consilio, cedere tempori, et Praga Brunam velut in exilium discedere cogeretur. Monachi de suo Priore (quem diligebant) solliciti, supplicant Patribus hoc anno ad comitia congregatis, ut aliquem Brunam mittant qui eum consolaretur. Hinc per Chartam Diffinitores, Leonardo et Nicolao, Gemnicensis et Brunensis cartusiarum Prioribus et Provinciæ Visitatoribus, « injungunt (sunt verba Chartæ) quatenus prout Conventus Domus Pragæ Capitulo generali scripsit, Priorem ejus visitent indilate, eidem Domui provisuri prout viderint opportunum. » Hæc Marquardi fuga opportuna eum ejusque itineris comites morti subtraxit, ut anno sequenti videbimus.

DOMUS EXCUBIARUM MONACHIS NOSTRIS RESTITUITUR.

VII. Monialibus Permaniæ quas ad Domum Excubiensium ante viginti et sex annos transferri vidimus, iterum hoc anno ad parthenonem Pratimollensem translatis, ipsa Domus Excubiarum solis Monachis restituitur, in alium tamen

locum transplantanda. Cum enim antiquus Excubiensis locus arctior esset et gravis nimis ad portandum jugum Domini (ut habetur in quodam Instrumento), cartusiam in loco dicto de *Revesti* reædificandam esse Patres hoc anno decreverunt. Hic locus situs est intra antiquos Excubiarum terminos, ibique Nostri pistrinum habebant quod in variis diplomatibus vocatur molendinum de Revesti. Cum igitur Revestus satis aptus ob cœlum paulo salubrius censeretur, Theobaldus Le Gay, quem Patres Rectorem novæ fabricæ instituerant, novæ cartusiæ hoc anno fundamenta jecit. Sed eo biennio post aut paulo amplius defuncto, cum Joannes de Belloforti Vallis Sanctæ monachus, ejus successor, Patribus planum fecisset impossibile esse ut opus inchoatum ad perfectionem unquam propter modicos reditus deduceretur, Guillelmus de Mota, Prior Cartusiæ, Diffinitoribus suasit satius esse totam Domum cum illis bonis penitus deserere, quam ibi duos aut tres monachos sine ulla observantia regulari sustentare. Quod et post quatuor annos factum videbimus.

ANNUS 1418

Ast in loco de Revesti collocatur.

Ex Charta 1420.

Parum abfuit quin eamdem sortem Domus Januæ Paradisi sita in Capitanata provincia regni Neapolitani prope Guillonisium experta fuerit. Cum enim facultates illius, ex continuis bellorum tumultibus quibus ab annis triginta hæc Domus agitata fuerat, in nihilum fere redactæ fuerant, nec spes esset melioris adipiscendæ fortunæ, Visitatoribus demandatum fuit ut eam omnino dimitterent. At juxta amicorum consilium, optimum factu Patres judicarunt si cum aliqua alia Domo Ordinis uniretur; quamobrem iisdem Visitatoribus per Chartam anni sequentis committitur ut procurent quantum potuerint cum fundatoribus et civibus, si illa Domus poterit uniri cum aliqua alia Domo Ordinis, quod et factum est anno hujus sæculi vigesimo.

De unione Domus Guillonisii cum alia cartusia agitur.

Ex Chartis ab anno 1380 ad 1419.

VIII. Cum anno superiori Henricus, Angliæ rex, armatis rursum copiis, in Galliam transnavigasset totamque fere Normanniam brevi spatio occupasset, monachi Benedictini Abbatiarum hujus provinciæ, quorum bona nascenti cartusiæ Shenensi et aliis monasteriis, ut alibi diximus, tradita

MONACHORUM S. EBRULFI AD SHENENSES CARTUSIENSES EPISTOLA,

ANNUS 1418

pro restitutione bonorum a Rege Henrico concessorum.

fuerant, amplam suas facultates recuperandi occasionem nacti fuisse rati, ad Nostros, et ut verisimile est ad alios suorum bonorum occupatores, urbanas scribunt literas quibus sua jura rationibus tuentes, bonorum quoque restitutionem sibi fieri modeste satis flagitant. Epistola ad Shenenses Cartusienses scripta, cum aliis documentis hoc negotium tangentibus a R. P. Hyppolito Gemeticensis Abbatiæ procuratore, Congregationis S. Mauri, olim perhumaniter nobis communicata sunt, cujus epistolæ apographum hic subjicimus : « Venerabilibus religiosis et orthodoxæ fidei zelantissimis Priori et Conventui Domus cartusiæ Jesu de Bethleem de Shene, Michael permissione divina humilis abbas monasterii S. Ebrulfi in Normannia, Ordinis S. Benedicti, Lexoviensis diœcesis, totusque Conventus ejusdem ecclesiæ, veritatem et justitiam colere in Filio Virginis gloriosæ. Vestræ vocationi, viri Patres et Fratres, favorem in Christo cupimus largiter impertiri ; vestræ fundationi charitas congratulari compellit, gaudemus et exultamus dum intelligimus religionem atque sanctimoniam in vobis coalescere, et Christum habitare in cordibus vestris : propterea solliciti sumus vos commonefacere ne iniquum et invalidum jaciatis fundamentum, ne deinde ex alieno execrandum offeratis sacrificium, ne postremo violati juris apud æternum et districtum Judicem horrendam subeatis ultionem. Hoc facere nos urget charitas, adstringit justitia, et cogit professionis ac jurisjurandi sacramentum. Non credimus vos ignorare, viri Patres et Fratres, ecclesiam nostram a primæva sui institutione per inclytos ac pios Reges Angliæ tunc Normanniæ Duces, per Comites Leycestriæ et alios nobiles ac potentes Dominos in Angliæ regno, pro majori parte fundatam esse ac dotatam.

Ex eo quod ista amiserunt bona,

Unde ante bellorum quæ supervenerunt initia, ex reditibus Angliæ 2000 librarum nostræ monetæ percipiebamus. Sævientibus vero bellis, Angliæ Reges prædictos reditus per nostros Religiosos, quos illuc pro solito mittebamus, levari colligique fecerunt ; at ea suscipientes, in sua commoda verterunt. Inde paulatim ecclesia nostra defluere ac minui cœpit,

et quæ quondam XL Deo psallentes habebat, vix retinet xx Religiosos ; qui tum incessanter Missarum solemnia et assiduiter Dei cultum, et animas præscriptorum Principum Deo commendare, et viventium salutem ac prosperitatem precari non desistunt. Nihilominus cum in minori numero divinus minoratur cultus, fraudantur benefactorum intentiones, illuduntur piæ fundatorum devotiones. Noviter vero religiosus quidam frater Richardus Baussain ad nos venit, habens ex injuncto aliqua ex intentione serenissimi Domini nostri Regis Angliæ nobis explicare : inter quæ illud est præcipuum, prædictum illustrissimum Principem Domum quamdam Cartusiæ fundavisse, ibi vos instituisse, vobis antescriptos reditus nostros concessisse, et quod gravius est, suæ intentionis esse, proprietate hæreditaria nostrarum terrarum et redituum vos investire. Hoc, viri Patres et Fratres, non patitur justitia, non sinit religio, non permittit Patrum traditio. Alienum accipere, invito Domino tenere, nemo abigit esse injustum. Hos vero reditus justo titulo recepimus, tenuimus, diu possedimus. Nostrum titulum confirmavere summi Pontifices, Angliæ Reges et Principes, Archiepiscopi et Episcopi ; nullus mortalium hoc nostrum jus tam diurnum atque tot modis confirmatum jure potest surripere ; nec quod nostrum est a nobis aufert aut alteri tradit bellorum frequentia, quoniam a bellis excipimur ; pacem poscimus, pacem colimus, odia, dissidia, bellorumque strages nescimus ; sicut omni culpa belli caremus, sic propter bella jure nostro privari non possumus. Nec obest terrarum distantia, cum etiam in longe distantioribus terris ex opibus regni possit sustentari Religio. Quo jure itaque poterit esse vestrum, quod nostrum fuit, quod nullo jure perdidimus ? An jure regio ? At Regis jam non est quod Rex donavit. Non est filiorum, quod pater transtulit. Quod si sola voluntate ex nostris reditibus modernus Princeps vos instituit, videte si hoc revocare poterunt forsan melius consulti successores. An jure summi Pontificis ? At data est sibi potestas in ædificationem non in destructionem. Deinde mos est summorum Pontificum solum ea quæ

ANNUS 1418

Dei cultus minoratur.

Omnes hæc bona confirmarunt,

nemoque hæc posset auferre,

rite justeque statuta sunt confirmare. Fugite igitur, viri Patres et Fratres, hoc injustitiæ fundamentum, nam justitia velut basi nititur immaculata Religio ; et ponite ante oculos vestros si vobis velletis hæc fieri, si vestræ fundationis partem a vobis eripi velletis ut alteri donaretur ecclesiæ? profecto fatebimini vos hoc nolle. Nolite igitur in proximos committere quod in vobis non velletis admittere. Hoc enim irreligiosum foret, et charitati et præcepto fidei dissonum. Postremo hæc inconcussa est Patrum traditio, non ex alieno eleemosynas facere, non ex rapinis immolare ; quæ omnia, si nobis invitis nostra suscipitis, perpetratum iri videbimini. Hæc, viri Patres et Fratres, essent infausta vestræ Religionis initia, hæc essent nefanda et infelicia vestri Ordinis incrementa. Prohibeat hæc Omnipotens, et potentissimi ac ditissimi Regis in animo ponat de suo ecclesias fundare perpetuas, bene institutas, et fundatas non evertere; patrum suorum Regum christianissimorum intentiones ac devotiones non infringere. Vobis vero voluntatem misericorditer inspiret nostræ fundationis reditus et bona nullatenus suscipiendi. Non destruat ecclesia ecclesiam, nec fervor zeli novelli sanctæ vetustatis fundamenta concutiat ; sed cum eadem professi sumus, cum uni Principi Deo pariter serviamus, eamdem ingrediamur viam atque in alterutrum virtutis impendamus obsequia. Et si quos vultis inire tractatus, justas vias aperite ut illis utriusque jure possimus pro nostra vocatione, piissimorum fundatorum nostrorum votis satisfacere, ac vitam incolere religiosam; quod vobis concedat Jesus Christus. Datum in nostri cœnobii Capitulo, hora capitulandi, cum pulsu campanæ ac more solito congregato, die XXVII Octobris anni Domini 1416. »

absque gravi injustitia.

Ecclesia ergo ecclesiam non destruat.

His literis subjiciebatur descriptio redituum ac jurium quæ ratione Prioratus de Helingues ad Abbatiam Gemeticensem pertinebant, quorum redituum summa erat septingentorum triginta aureorum. Quid vero responsi a Nostris datum sit, ignoramus ; verisimile tamen est eos Regis, sine quo nihil agere sibi licitum erat, donationem et autoritatem

opposuisse, quamobrem ad Henricum refugere Benedictinis opus fuit, ut anno sequenti videbimus.

HOC ANNO MORIUNTUR:

IX. Obiit hoc anno Joannes de Doetzeim, Prior Basileæ, natione et professione Moguntinensis. Cartusiam ejusdem urbis per biennium rexerat. Eum diptycha ejusdem Domus « monachum devotum ac pium vitæque religiosæ exemplis illustrem » nominant. Henrico Calcariensi carus fuit, ad quem plures ejus literæ et similiter ejusdem Henrici ad Joannem ibidem asservari dicuntur. Mortuo Protopriori Basileensi suffectus, per novennium eamdem plantationem in utroque statu multum promovit, ut probatur ex Chronico ejusdem cartusiæ, in quo dicitur « vir commendatione dignus, suis et extraneis bene gratus, et discessisse die SS. martyrum Dionysii et sociorum ex pestilentia tunc Basileæ ac circum-circa graviter vigente, et Domum hanc non solum suo Priore, sed et Procuratore (Henrico de Lohe) et sacrista (Henrico de Spira), necnon et uno Converso spoliante. » De cujus patris morte non parum « contristati fuerunt filii ejus (nempe monachi) et Domus fundator (sive potius fundatoris filius), quia pater multum activus fuit et fidelis. »

Joannes Prior Basileæ,

Chronicon Bas. cap. 18 et seqq.

Ex Charta 1419.

In Belgio quoque pestis videtur sæviisse ac Domos nostras invasisse, et maxime cartusiam Monachorum Gosnaiensium in qua Rector cum sex Fratribus defuncti sunt, et tricenarium in Charta hujus anni habuerunt.

septem Fratres in Domo de Gosnay, peste correpti,

Obiit etiam die octava Augusti Bonifacius de Gorzano, Burgundiæ Visitator et Prior Domus Montis Merulæ, cui et toti Provinciæ ante quinque annos, ex procuratore Majoris Cartusiæ suæ professionis præfectus fuerat. Hic est cujus efflagitatu Bonifacius Ferrerii Tractatum edidit quo rationem reddidit cur pauca in Ordine Cartusiensi patrantur miracula. Anniversarium perpetuum habuit per totum Ordinem. Duobus post mensibus, die videlicet quinta decima Octobris, Maria de Vos Monialium Brugensium Priorissa, spiritum Christo sponso suo reddidit. Hæc filia Balduini de Vos, alterius ex fundatoribus ejusdem parthenii, singulari privilegio sed non sine speciali Dei Providentia, annis tantum quatuor

Maria de Vos Brugensis Priorissa.

ANNUS 1418

nata, monasterium ingressa est ; deinde adolescentula effecta, nostrum institutum amplexa est et per plures annos vitam privatam duxit, quam tandem ob gravitatem morum ac modestiam et conversationem Moniales elegerunt in Matrem ; cujus partes per quindecim annos cum tanta laude sustinuit et adimplevit, ut post illius obitum, ne memoria ejus unquam periret, corpus ejus ante summum ecclesiæ altare sepeliendum filiæ suæ a Patribus Ordinis obtinuerint.

EX AMICIS VERO ORDINIS :

Patriarcha Constantinop.

X. In Charta Capituli Hispanorum, inter mortuos recensetur « Reverendissimus Pater dominus Alphonsus patriarcha Constantinopolitanus, et administrator Ecclesiæ Hispalensis, qui habet plenum cum psalteriis monachatum, sub die 9 mensis Junii », anni videlicet superioris : quod beneficium iterum per totum Ordinem denunciatum fuit in Charta Majoris Cartusiæ anni sequentis. Ab anno 1412, singulis annis missa de SS. Trinitate in Conventu celebranda, per omnes Domos Hispaniæ indicta fuerat pro illius prosperitate, et in Chartis vocabatur magnus benefactor et protector Ordinis, cujus negotia apud Petrum Lunensem, cui semper adhæsit, promovebat.

Præpositus Ulciensis,

Anna ducissa Borbonii.

In Charta Majoris Cartusiæ, plures etiam mortui denunciantur, nostri Ordinis vel benefactores vel fautores, quorum hæc sunt nomina : « Fr. Joannes Pollerii sacerdos Ordinis S. Joannis de Jerusalem, benefactor Domus Cartusiæ; dominus Aymarus sacerdos, præpositus ecclesiæ Ulciensis » quæ associationem habet cum Cartusia ; « dominus Joannes Veteris, olim Consiliarius Delphinalis, » qui fuit ex amicis ejusdem matris ecclesiæ. « Nobilis vir dominus Antonius de Vironcio; et illustrissima domina Anna ducissa Borbonii, » quæ videtur esse uxor Ludovici ducis a Borbonio, de quo alibi in his Annalibus egimus.

NOTABILIORES ORDINATIONES CAPITULI.

De ætate recipiendorum.

XI. Denique in comitiis hujus anni, præter ea quæ jam superius retulimus, plura adhuc ordinata sunt ex quibus hæc sunt notabiliora :

1. « Monemus Priores Ordinis ut amodo non recipiant Novitios ætate minores, sed serventur Statuta, nisi de licen-

tia Capituli generalis, aut R. Patris nostri Domni Cartusiæ.

2. « Declaratur quod in festo sanctæ Agathæ, Conversi non debent cessare ab operibus.

3. « Ordinamus quod de cætero, quando festum Annunciationis B. V. Mariæ transfertur usque post Pascha, tunc ab omnibus operibus cessetur, et ad plenum cum totali solemnitate celebretur.

4. « Declaramus quod in solemnitatibus Sanctificationis, Purificationis et Annunciationis B. V. Mariæ, debet dici *Gloria in excelsis Deo* quocumque occurrant tempore. »

Qui onus Prioratus detraxerat dure punitur.

In eodem Capitulo, quidam monachus Vallisclaræ qui a Visitatoribus in Priorem Caturcensis cartusiæ institutus, onus impositum nimis obstinate detraxit, durissime reprehenditur ac punitur his verbis : « Ordinamus quod quia Domnus Guillelmus Guichardi fuit inobediens Visitatoribus ad receptionem Prioratus Caturci, sit in disciplina generali per sex menses a receptione præsentium computandos. »

De hora Missæ conventualis, apud Hispanos Patres.

Patres vero Hispani quemdam Priorem suæ obedientiæ admonuerunt « ut reprehendat Vicarium super hoc quod nimis facit festinare divinum Officium. Item ut faciat observari quod diebus ferialibus in æstate a signo Primæ usque ad signum primum Missæ conventualis detur pro Prima dicenda et confessionibus audiendis una hora. In hyeme autem, antequam pulsetur pro primo signo Missæ, sacrista *evigilet* monachos pro confessionibus faciendis per dimidiam horam ante primum signum Missæ conventualis. Et quia sæculares scandalizantur quod tam mane in Domo ipsa prandium agitur, ordinamus quod diebus quibus bis comeditur, pulsetur ad Sextam in nona hora horologii, et in jejuniis Ordinis in decima hora; in jejuniis autem præcipuis hora decima cum dimidia in hyeme, in æstate vero decima hora propter calores. Diebus autem festivis, propter ædificationem sæcularium venientium ad Domum prædictam pro Missa audienda, ne propter defectum Missæ scandalizentur, sic temperetur divinum Officium, ut in omni casu præmissorum Sexta de dimidia hora tardius pulsetur. »

ANNUS 1418

DE USU DORMIENDI POST MATUTINAS.

XII. In hac ordinatione unum præcipue annotandum est. Jam apud Hispanos usum dormiendi post Matutinas invaluisse, quem etiam circa idem tempus in Domibus Germaniæ (et ut verisimile est per totum Ordinem) receptum fuisse colligimus ex *Libro Experientiarum* nondum edito Dominici monachi Trevirensis, qui ut alter Antonius per plures annos a dæmonibus vexatus, quicquid ab eis sustinuit, jussu Superiorum describens, de se subdititio nomine sic loquitur : «.... Rediens vero clarius ad sensus humanos, licet aliquando vix potuit agnoscere cito ubi esset, reperit tamen se tandem nisi hac hora in tormentis extitisse, spatio videlicet illo quod est inter Matutinas et Primam, *quod jam conceditur Fratribus Ordinis ad quietem.* » Nostrum Ordinem Dominicus circa annum 1406 professus est, et hæc tormenta per plures annos tulit, cum prius in ipso etiam Ordinis ingressu, multis gratiis a Deo præventus fuisset, quarum unam enarrans, tacito nomine pro more suo præ humilitate, ait : « Nondum finito mense quo habitum Ordinis induerat, cum in crastino S. Catharinæ martyris, propter minutiones* post Matutinas in lecto se collocasset, facta est super eum manus Domini. » Cum igitur dicat se propter minutiones (quæ singulis annis, hebdomada ante Adventum inter Nos juxta Statuta fiunt) in lecto post Matutinas se collocasse, satis aperte ostendit antiquum usum quo nulli nisi infirmis extra minutionum tempus licebat lectum post Matutinas repetere, adhuc viguisse eo tempore quo ad Ordinem venit. Sed cum postea, declarans quæ sibi aliquot post suam professionem annis acciderant, addat jam spatium dormiendi inter Matutinas et Primam Fratribus concessum fuisse, manifestissime patefacit hunc usum tunc tantum, id est, circa 1423 cœpisse obsolescere.

Experient. purgator. supernaturalis. Narr. 5.

* Minutio est : sanguinem venis detrahere.

Nov. Collect. P. II, cap. 11. n. 1.

Antiq. Statut. P. I. cap. 41. n. 12.

Primitus infirmis super scamnum post Matutinas dormire licebat,

Vid. ann. 1218, n. 16.

Duo in hujus antiquæ observantiæ mutatione observanda sunt : 1. Antiquitus semper licitum fuisse infirmis post Matutinas super scamnum quiescere vel etiam super lectum, sed de speciali Superioris licentia vel jussione, ut alibi probavimus ; 2. Idem postea sanis concessum fuisse, nempe ut possent super scamnum dormire, non vero super lectum

sine permissione. Quod quidem exeunte hoc, quod excurrimus sæculo, adhuc servatum fuisse discimus ex quibusdam Antiquorum Statutorum glossis, eodem tempore compositis, quæ ad hunc articulum : « Ad lectos post Matutinas nullo reditur tempore, » hanc notam habent : « Modo sive in lectis per licentiam, sive extra, saltem super bancum, post Matutinas dormire non prohibetur : sic enim est necesse experientia docente, et aliter non posset humana natura subsistere. » Sed noster Franciscus a Puteo, in sua Compilatione paulo post edita, hanc potestatem ad lectos extendit nulla petita venia. « Permittimus, inquit, humanæ compatientes infirmitati, quod omni tempore Religiosi possint post Matutinas redire ad lectos, non obstante Statuto. » Sicque sensim hujusmodi licentia ita invaluit, ut hodie vim legis habeat quam transgredi nulli licet. Denique concessa redormiendi licentia, tempus somno antea deputatum mutari cœpit ; cum enim prius hyemalibus diebus per septem saltem horas continuas Nostri dormirent, post hanc mutationem spatium illud Nocturnarum et Matutinarum precum celebratione interruptum fuit. Nec propterea tunc plus somno quam antea indultum est, sed quod olim tempus continenter in dormiendo ponebatur, id postea duorum intervallorum vicibus positum fuit.

ANNUS 1418

dein omnibus concessum fuit,

Cap. 13. n. 8.

postremo ad lectos etiam redire permissum.

Ordinar. Cartusiense. cap. 23. n. 8.

* JESU CHRISTI

ANNUS 1419.

Martini PP. V	Ordin. Cartus.	Joannis III. Pr. Cart.
Ann. 2.	Ann. 336.	Ann. 10.

ORDO NOSTER SUB UNICO TANDEM CAPITE ADUNATUR,

I. CHRISTI Domini et Dei nostri decimus nonus qui volvitur annus post millesimum quadringentesimum, duodecima Indictione, Nostris ob perfectam Ordinis unitatem, cessante Patrum Hispanorum deflenda separatione, memorabilis extitit. Totius rei seriem sic a Civera nostro scriptis mandatam reperimus : « Reverendus Pater Domnus Guillelmus de Mota quem Priores Hispaniæ elegerant in Generalem, duobus annis a sua electione videns quod ab universa matre Ecclesia absque ulla hæsitatione ut verus et indubius Pontifex habebatur Martinus V, et quod ab ejus electione in Concilio Constantiensi facta cessaverit antiquum schisma Ecclesiæ (non autem per electionem in Concilio Pisano cum tunc potius creverit), statuit et ipse unire Religionem nostram. Et ad hoc opus perficiendum misit ad Domum Cartusiæ Domnum Franciscum Maresme Priorem Portæ-cœli et Domnum Joannem Sans Priorem Vallis Christi, ut cum conventualibus Cartusiæ tractarent et inquirerent media opportuna ad unionem faciendam ; nam ipse præbuerat eis amplam facultatem renuntiandi generalatui suo nomine, si ita convenire judicarent. Pervenerunt igitur Cartusiam dicti Patres embaxiatores in mense Januarii anni 1419, et a Reverendo Patre Domno Joanne de Griffomonte et conventualibus benigne suscepti, notificaverunt eis causam sui adventus et commissionem et

Chronicon ms. Portæ-cœli, cap. 8. §. 2.

facultatem quam adferebant, tractareque cœperunt modum et ordinem faciendæ unionis. Et inter alias capitulationes quas fecerunt, imprimis statuerunt quod ambo Generales renunciarent ut unus novus eligeretur : sicut in Concilio Constantiensi vel renuntiarunt vel depositi sunt Pontifices ac deinde alius novus Papa electus fuit. Sed antequam procederent ad aliquem actum fiendum, visum fuit omnibus ut embaxiatores irent Florentiam ubi tunc morabatur Martinus V ad consulendum cum eo negotium, et impetrandam suam benedictionem qua supplerentur cuncti defectus in actis et agendis. Profecti igitur pervenerunt Florentiam, et osculato pede Domini Papæ, humaniter ab eo fuerunt recepti, et concessit eis quæcumque postulaverunt. Obtenta igitur gratia Sedis apostolicæ, Prior quidem Vallis Christi remansit in Curia pro negotiis Domus suæ, Domnus vero Franciscus Maresme venit Cartusiam : ubi congregatis nonnullis Prioribus de vicinioribus ad Capitulum privatum, quamvis dispositum fuerat ut ambo Generales tenerentur renuntiare, nihilominus propter nonnullas causas et congruentias rationabiles dominus Joannes de Griffomonte non renuntiavit, sed Domnus Franciscus Maresme nomine Domni Guillelmi de Mota. Et ab illo die totus Ordo noster unitus fuit sicut in Charta Capituli generalis ejusdem anni fuit intimatum universo Ordini, præcipiendo ut de tanto Dei beneficio fierent ubique gratiarum actiones, ut manifeste apparet in sequenti ordinatione : Quia divina operante clementia, Ordo noster per omnes mundi partes est ad plenum reformatus pariter et unitus, prout in quadam publica scriptura dilecti Patris nostri Prioris Portæ-cœli ad quam nos referimus, certis Priorum subscriptionibus et sigillis impendenti authenticis roborata, extensius continetur : idcirco de ipsa unione tanquam de nostro totali bono in immensum gaudentes, Deoque nostro pro suorum beneficiorum recognitione, et gratiarum actione pro modulo nostræ paupertatis gratifice satisfacere cupientes, ordinamus quod in qualibet Domo Ordinis una missa de sanctissima Trinitate cum collecta pro gratiarum

Guillelmo de Mota generalatum abdicante.

ANNUS 1419

actione in Conventu celebretur. Dictaque scriptura Prioris Portæ-cœli post lectam Chartam nostri Capituli generalis, eadem die vel sequenti, in pleno Conventu pro consolatione et informatione omnium recitetur; et Fratribus laicis in Capitulo ipsorum lingua materna a Præsidentibus exponatur.

« Ex qua ordinatione et ex dictis usque modo, aperte liquet quando cessaverit schisma in Ecclesia Dei et in Ordine nostro ; quamvis electo Alexandro V Pisis anno 1410, dicatur in Prologo Statutorum Antiquorum, quod Patres Germanicæ nationis curaverunt Religionem unire ; cum usque ad præsens tempus (videlicet anno 1419), non fuerit unita.

In Domum Cartusiæ G. de Mota revertitur.

« Finito tam feliciter hoc negotio, Pater Franciscus Maresme valedicens Patribus Cartusiæ, in Hispaniam reversus fuit, et Domno Guillelmo olim Generali de omnibus quæ egerat in sua legatione rationem copiosam reddidit; qui summopere de bono ac optato eventu gavisus fuit, maxime cum immunem et exoneratum se videret ab officio Generalis: quia vir erat eximiæ sanctitatis et humilitatis. Et quamvis in hac regione (Hispaniæ) integra valetudine frueretur et amaretur ab omnibus, tamen Patres comprofessi sui tam enixe rogaverunt eum ut reverteretur in Domum suæ professionis, quod coactus fuerit precibus eorum obedire; et in discessu suo comitatus fuit eum Domnus Franciscus Maresme per aliquot dies. Duobus deinde annis postquam Cartusiam abierat, cum Domnus Joannes de Griffomonte Prior dictæ Domus mortuus fuisset, electus fuit in ipsius locum, » ut infra dicemus.

DOMNI FRANCISCI MARESME ELOGIUM.

Chronicon Portæ-cœli, cap. 8. § 1.

II. Venerabilis Pater Franciscus Maresme de quo in præcedenti articulo, « Valentina civitate, vel ut alii volunt ex antiqua Sagunto, nativitatis duxit originem. Qui in literarum studiis optime jam eruditus et consummatus, cum statum ac vivendi rationem esset suscepturus, meliorem ac tutiorem partem, Religionem videlicet, elegit; totum se Deo offerens in hac nostra Domo Portæ-cœli anno 1402. Et tantos brevi tempore in Religione progressus fecit, cum ingenii ac prudentiæ singularis demonstratione, ut quatuor a professione

annis a Priore suo Domus Procurator sit institutus et factus; sed modicum temporis in hac obedientia permansit, cum eodem anno Sacristam factum invenimus. In quo devoto ministerio et cæteris obedientiis claustri per duodecim annos, tanta diligentia, exemplo, ædificatione ac Conventualium satisfactione conversatus fuit, ut cum anno 1414 eligendus esset novus Prior, virtutum ejus splendorem ac naturalium gratiarum eminentiam intuentes Conventuales, unanimi consensu et conformitate in suum Prælatum illum elegerint, die 22 Maii 1414. Super candelabrum jam posita lucerna cœpit radios claritatis suæ ubique spargere : caritas namque ejus erga Deum fuit singularis, benignitas erga proximos mirabilis, prudentia rara, observantiæ zelus multus, dexteritas in regimine tanta, ut fama ejus intra domesticos parietes nequiverit se continere, sed per universam Religionem brevi tempore opinio ejus diffusa fuerit, ut ex supradictis patet. »

B. NICOLAUS ALBERGATI BONONIENSIUM LEGATUS

III. Quum anni hujus principio descendisset in Italiam Martinus Papa, ad eum Bononienses beatum Nicolaum Albergati legatum miserunt. « Itaque, ait autor ejus Vitæ ex probatioribus Historicis collectæ et inter *Cartusianas Ephemerides* insertæ, cum paulo post Constantia Mantuam concessisset ac dies noctesque de Bononia recipienda Martinus cogitaret, ipsum Nicolaum statim ad se venire præcepit, atque humaniter imprimis acceptum, per multas dies secum in eisdem ædibus habuit, atque omnia quæ ille postulavit mira liberalitate indulsit. At eum quanti Pontifex faceret, ejus prudentiæ et sanctimoniæ quantum confideret, ex eo maxime patuit quod illi voluit commendatum, ut Bononienses in antiqua Sedis apostolicæ reverentia contineret; sperare se illo pro pastorali officio adnitente nativam pietatem Bononiensium edituram fructus haudquaquam degeneres. Id si aliquandiu non fecissent, annorum malignitati adscribendum : trahit enim vel bonos malignitas temporum, spirant interdum anni quiddam maleficum quod cœlestis beneficio luminis discuti vix possit. Injunxit præterea ut ab se since-

ad Martinum Pontificem.

ANNUS 1419

ram illi civitati benevolentiam sponderet opperiri dum reciperent sese, atque ipse oblitus quidquid præterisset, illos omni beneficientiæ genere ornaret : quin etiam velle donec Romæ turbari desineret, apud eos Bononiæ morari. His honestatus mandatis Nicolaus et testimoniis eximiæ de se opinionis apud Papam, Bononiam regreditur et mentem Pontificis ac propensum in cives animum coram edisserit, sed frustra : adeo tum alia omnia, tum vero ingenitam Bononiensibus pietatem diabolicum schisma fœdaverat; cujus etsi lecto Pontifice coierant vulnera, sed nondum evanuerant cicatrices. Mandata Pontificis aure valde aversa excepit populus, depascebatur eorum intima ignis libertatis semel in iis furiose accensus, oderant morte pejus clientelaris juris umbram omnem, quolibet titulo pingeretur. Leniit tamen illorum animos bonus pastor cui nihil erat pace jucundius, ipsique per sese Pontificis potentia territi, quamvis inter se extrema omnia locuti, molli tamen responso retinere benevolum maluerunt quam contumaci ad bellum movere. Quare proximo abhinc anno legatos ad eum cum Episcopo duos mittunt, promittunt annua in tributum aureorum septem millia, equites ad bellum (sed intra semestre) quot pro suo arbitrio censeret, orant boni consulat deinceps reipublicæ formam a Bononiensibus teneri eosque sua gaudere libertate : breviter extra jus christianæ obedientiæ aliud nullum ex ipsis requireret. Hæc ab Nicolao legationis præside narrata, prudentiæ exquisitissimæ Pontifex tunc quidem placide admisit, nec vim tempori afferre sed potius tantisper cedere dum opportunius aliquid adveheret dies ; et præstare ut partem civitatis, eamque meliorem, amicam retineret et tributariam esto parcius subjectam, quam totam perderet. Ita sapiens Pontifex incitos ardentis animi ac nobiles spiritus temperavit, pro solemni habens hominum cogitationes opere ipso prævertere et se occasionum necessitati quandoque commodare, ut eas in posterum haberet obsequentes. Digna Pontifice cautio, a quo reversus Bononiam Nicolaus (ad Maii vigesimum octavum anni a millesimo quadringentesimo de-

Pacem procurare tentat.

Patri morienti præsto est.

cimi octavi) patrem invenit graviter decumbentem ; eique grassante in exitium morbo jacenti atque morienti, sedulitate omni opeque præsto fuit : efflavit in ejus amplexu animam bonus senex anno ætatis octogesimo secundo et in cartusia sepultus, anteactæ vitæ præclaram memoriam mortis consimilis desiderium superstitibus reliquit. »

ANNUS 1419

IV. Patres in Capitulo præsentis anni de abjiciendo Monialium Cellæ Robaudi parthenone tractare cœperunt ; qua autem ratione ducti fuerint et quo egerint modo, disces ex Bollandianis rem erudite, ut mos est eorum, tractantibus.

PARTHENON CELLÆ ROBAUDI ABJICITUR.

« Frequentia bella quæ post Rosselinæ obitum institutarumque ab ea discipularum excessum supervenere regionibus hisce, et campestris habitationis licentia qua fruebatur Domus sacro isto ditata thesauro, fecerunt ut potior alius diligentiusque servandus, disciplinæ inquam primæ rigor paulatim elanguerit, tandemque omnino sic defecerint ut ab Ordinis cura remotæ fuerint filiæ immorigeræ. Habebant illæ anno 1414 Rectricem cum Vicario, ut intelligitur ex decreto quo illis negatur *misericordia,* sive facultas ab officio recedendi : simulque ordinatur, ut Cella Robaudi una cum Domibus Bertaudi atque Prati-mollis per Visitatores Provinciæ inspicerentur. Anno autem 1416 Capituli generalis Patres sic statuunt : « Rectrici Cellæ Robaudi non fiat misericordia, et absolvimus Domnum Joannem Malini ab officio Vicariatus ejusdem, et præficimus Domnum Stephanum Scaron Vicarium ejusdem. » Poterat vir hic, jam ante annos decem eodem functus Vicariatu et simul munere Convisitatoris, reduxisse sua prudentia devias, si corrigibiles aliquo modo fuissent; sed cum hoc ei non succederet, abductus inde, factus est anno 1419 Prior cartusiæ Montis-rivi cujus erat professus. « De facto autem Cellæ Robaudi, inquit Capitulum, committitur Visitatoribus ut habeant disponere. » Anno autem sequenti Vicario Cellæ Robaudi fit misericordia ; et de illa Domo dimittenda vel non, committitur Priori Vernæ: ad cujus relationem anno 1421 statutum est ut ipse et Montis-rivi Prior, receptis ad se quibusdam rebus ad cultum

Acta SS. XI Jun. cap. 5.

Quædam bona hujus Domus cartusiæ Vernæ attribuuntur.

divinum pertinentibus, nomine Ordinis renunciarent regimini istius Domus quæ deinceps in capitularibus Actis nusquam nominatur, nisi quod sequenti anno Priori Montisrivi imperatur ut expediat Priori Vernæ de bonis quæ tenet a Domo Cellæ Robaudi, unum calicem, tabulam depictam in qua est Pietas (id est Deipara in gremio tenens mortuum Filium), unam capam floridam et capellam rubeam vel albam, et unum Breviarium, quo nomine quin Missale intelligatur nihil dubitat Chauvetus qui omnia ista collegit ex Actis capitularibus. Idem ex suo Vernensis cartusiæ manuscripto prædicta confirmans, sic prosequitur : Perseveravit illud monasterium sub Brunoniana ditione usque ad annum 1421 sub dispositione Provinciæ. Invenitur enim in Chartis Capituli generalis illam Domum defecisse a nostro Ordine post annum Domini 1420 aut 21, unde se tradiderunt Moniales sub regimine monachorum Lirinensium non distantium ab invicem ultra decem leucas. Nec diu perseveraverunt sub eorum regimine ; nam ob pervicaciam et infrunitam mentem rejectæ sunt a prædictis Patribus Lirinensibus ut abirent in viam suam, ac demissæ sub potestate Episcopi diœcesani. »

IN PRAGENSES CARTUSIANOS PERSECUTIO ORITUR.

V. Atrox in nostros Pragenses persecutio eo tempore oritur quam, ut anno præcedenti diximus, fugiendo elusit V. Pater Prior hujus Domus. Rem ita tradunt jam laudatæ Ordinis nostri Ephemerides nondum typis evulgatæ. « Interea ab Hæreticis Pragæ horrida tempestate, anno 1419, die 30 Julii rursum excitata, Senatores tunc cum Prætore in curia judiciali aut trucidantur aut crudelissime de fenestris præcipitantur, gladiis, telis, hastisque excipiendi. Wenceslaus rex hoc audito turbatur, et inter manus aulicorum apoplexia tactus cadit, et non post multos dies moritur, die videlicet 16 Augusti. Non hoc impetu cartusiam invaserunt ut quidam scripsere, sed tantum post mortem Wenceslai ut constat ex literis Cartusianorum Pragensium datis ad Priorem cartusiæ Erfordiensis post suam ejectionem, et inferius ad majorem horum elucidationem describendis, in quibus narrant quo-

Domum invadunt Hæretici.

modo feria quinta post Assumptionem beatæ Mariæ, quæ erat 17 Augusti, furibundi Hussitæ, quorum ductor erat Joannes Barbatus magister civium antiquæ civitatis Pragæ, invadentes ecclesias et monasteria in omnibus civitatibus Pragæ, hoc est in nova, antiqua et parva civitate, imagines ubique fregerunt sacrasque Sanctorum Reliquias comminuentes proculcavere. Tandem hora quasi secunda ejusdem diei 17 Augusti, tota tempestas in Nostros incubuit, ut in dictis literis legere est. Hanc in Nostros exercitam rabiem ex Hagecii Bohemiæ Principis historici narratione in latinum versa refert Balbinus his verbis : « Forte per id tempus, ante cataractas et molarum aggeres lignorum, plurimæ rates appulerant ut ad alteram Moldaviæ ripam tuto liceret transgredi : ergo fæx hominum furiosa transeunt et in cœnobium* Beatæ Virginis Mariæ in Augerd (quod Joannes rex cæcus anno 1341 splendidissime exædificaverat) irruunt, spoliant, et subjecto igne concremant ; Monachos, venerabiles senes, vinctos trahunt in veterem urbem, capitibus eorum spineas coronas imponunt, habentque ludibrio. Postquam ad pontem medium ventum est, quidam e ponte dejiciendos et mergendos esse clamant, alii repugnant. Rixa ac deinde pugna ipsorum Hæreticorum exoritur, vulnerati non pauci, duo etiam ex ipsis occisi sunt. » Hinc forsan autor Vitæ sancti Joannis Capistrani minus caute asseruit quosdam ex nostris Patribus tunc fuisse occisos, sed in literis mox subjiciendis videbimus nullam plagam aut vulnus ipsis fuisse inflictum. Alii quoque scriptores, ut Æneas Sylvius, Nauclerus, Dubrarius, Zacharias, Theobaldus, dicunt solummodo cartusiam fuisse incensam et monachos eliminatos tanquam populo inutiles.

ANNUS 1419

* i. e. cartusia.

Spineis Cartusiani redimiuntur coronis.

Pergit Balbinus : « Hujus totius sceleris in Cartusianos et sacrilegii admissi causa in Joannem Bradatii veteris urbis consulem conferebatur : quidam Marzik ex nova civitate coronarum opifex, indutus habitum sacerdotalem, sacrum calicem manu præferens tripudiansque et gesticulans, Cartusianos anteibat quos in carcere antiquæ urbis in ipsa curia

ANNUS 1419

(undecim numero) detrusere arcte foribus conclusis. Senatui antiquæ urbis tumultus iste non placuit, ideoque citatum sacrilegum illum Marzik conjecerunt in vincula, et sero diei illi (quantumcumque consul Bradatii repugnaret) caput amputari jusserunt, velut tumultus in quieta urbe autori. Altero die senatus Cartusianos invisit in carcere ; reperti sunt non amplius decem, cum pridie undecim intrassent. Ergo vectibus et seris multiplicatis arctius custodiri jusserunt. Tertio die reperti sunt novem ; quærunt consules, quo duo jam Fratres devenissent? Respondent : Dumque una cum iis nos omnes in faciem procumberemus, Deum pro nobis et inimicis nostris orantes, nescimus quo devenerint. Responso dato Cartusiani reducuntur in carcerem. Paulo post universus senatus cum consule Joanne Bradatii in carcerem venit, alloquuntur singulos et magna diligentia sæpius numeratos novem restare comperiunt. Tum discedunt atque in præsentia sua oppessulari diligenter omnia jubent, nec ista diligentia contenti annulis et sigillis suis fores, ipsas seras, et quicquid ejusmodi fuit, obsignant ; mane altero reversi, unum iterum desiderari vident, octo tantum relictis. Attoniti rei novitate quærunt ubi nonus quem heri viderant, esset? quo devenisset? Respondent : Charissimi filii, ut jam diximus, nobis orantibus, quo alteri et iste devenerint prorsus ignoramus. Senatus ergo miraculo flexus, liberos omnes esse jubet et protinus e carcere dimitti, dato etiam commeatu et ex satellitibus comitatu qui in Moraviam ituros deducerent et securitatem præstarent. » Hæc Wenceslaus Hagecius Pragensis Ecclesiæ præpositus, vel potius ex eo Balbinus. Hæc eadem ex ipso autographo transcribi et sibi mitti curavit Venerabilis Pater Franciscus de Quintana dum restitutionem Domorum Ordinis in hac Provincia nobis ablatarum urgeret. Hoc autem exemplum bene concordat (licet alio stylo) cum Balbini verbis, addito tali exscriptoris testimonio : « Hæc ex Annalibus Bohemiæ a venerabili et catholico sacerdote Wenceslao Hageck de Liboetan diligenter descriptis, et a serenissimo rege Romanorum, Hungariæ et Bohemiæ Ferdinando sena-

Stupenda trium e Nostris liberatio,

scriptis authenticis confirmata.

ANNUS
1419

toribusque terrestris judicii nomine omnium statuum regni Bohemiæ examinatis et approbatis, bona fide excerpta sunt ad gloriam Dei et singularis virtutis pietatisque celebris familiæ Cartusianorum commendationem, Lithomislii in regno Bohemiæ 30 Junii anno 1591, in gratiam Reverendi Patris Francisci Ordinis Cartusiani Visitatoris. » Ex his certe et miraculi magnitudo et Christi pugilum fortitudo cognoscitur. Felices profecto qui ad Christum extra castra improperium ejus portantes exierunt, et imitatione Christi spineam ferentes coronam præluserunt morti quam quidem ex eis pro nomine ejus postea sustinuerunt. Dimissi igitur et ex hæreticorum rabie ad tempus liberati, ad insigne Benedictinæ regulæ, sacræ Cisterciensium reformationis monasterium, Zedelitz nuncupatum, octo milliaribus a Praga Moraviam versus situm se receperunt. Ex quo loco fusissimas ad Venerabilem Patrem Priorem cartusiæ Erfordiensis, Joannem Rotlos, literas scripsere sequentis tenoris :

Hujus persecutionis series ab ipsismet narratur.

« Præsentamus Domno Joanni Priori Cartusianorum Ordinis in Erfordia salutem et pacem Jesu Christi. Venerabilis et carissime Pater. Custodiens parvulos Dominus longanimis et multum misericors, peccata hominum dissimulans propter pœnitentiam, et humilibus dans gratiam, in nostro quoque pusillo grege misericordiam suam dignatus est adimplere ut digna lætaque laude nomen ejus benedictum exaltemus in idipsum, qui suos tentat famulos ut sic confundat æmulos, qui præsertim nos servulos suos in se confidentes multiformiter et enormiter vexatos in fide, sancta obedientia justa et observantia digna servavit, constantes et intrepidos in variis tribulationibus et pressuris custodivit inconcussos, et a faucibus leonum ferocium et vorantium eripuit illæsos, a morsibus luporum rabidorum defendit sanos et incolumes salvosque transtulit ad habitationem sanctæ Religionis et divinæ servitutis, ad monasterium Ordinis Cisterciensis prope montes Chutniz dictum Zedelitz (vel Cedul), quatenus illic sedule licita zelantes, sine intermissione oremus et laudemus ipsum misericordissimum Dominum, qui nos fecit cedere litibus et rece-

Ad Abbatiam Zedelitz, Ordin. Cisterc. transferuntur.

ANNUS 1419

dere a litigiosis hac vice locis et hominibus, et adduxit ad domum pacis ut sedatis litibus, zelum exerceamus charitatis donec Deo pacificante Pragam cum locis vicinis in circuitu, valuerimus operante Domino repetere Domum nostram, monasterium destructum reformare, sanctuarium pollutum emundare decenterque renovare, ad religiosum statum et ad divinum cultum desertum beatæ Mariæ Virginis Hortum excolere, vastatam Joannis Baptistæ eremum redigere ad puritatis affectum et ad salutis effectum; quatenus cum sancta plantatione cœlesti irrigatione Deus donet incrementum, hinc assidue eremus salutaris professis, peculiaris locus præmialis, hortus castimonialis, producat et nutriat arbores viventes et herbas virentes, efficiat frondere, promoveat florere, germinet et proferat, conservet et foveat stipitem floriferum, florem odoriferum, semen fructiferum, fructum salutiferum. Hic fiant et prodeant piæ preces, gratæ laudes, dulces meditationes, dignæ contemplationes, cæteraque spiritualia opera et exercitia in fide vera, spe sincera, digna charitate, vitæ sanctitate, morum honestate, cum omnibus virtutibus pacem conferentibus. In qua pace sedatis litibus, charitatis zelo continue mereamur agere devotas orationes, decoras laudationes, Dominum adorando, summeque venerando vobis cum cæteris etiam adversariis pacem adoptantes, ipso Deo glorioso pie prosperante : unde, Pater charissime, etsi tribulatis et tentatis compati noveritis, potius tamen congratulari velitis Dei dono patienter sustinentibus spe melioris retributionis in futura gloria vitaque perenni. Ut autem utriusque, piæ videlicet compassionis digniorisque congratulationis, agnoscatis materiem et seriem gestorum, vestra paterna Charitas attendat infra scripta. Post crebros namque terrores minaces mortis et exterminii nostræ Domus et personarum, multifarie multoque tempore nobis prætensos et incussos ab infidelibus, profanis et perversis, christianæ fidei, debitæ subjectionis, sanctæ Religionis omnisque virtutis æmulis et apostatis, a defuncto Domino Rege nostro feria quarta in crastino Assumptionis beatæ Mariæ semper virginis gloriosæ

Optant ad propriam Domum tunc dirutam redire.

Dei Genitricis : mox, die sequenti (scilicet feria quinta) congregata gens iniqua, inimica crucis Christi et Sanctorum, insaniens ad sui maligni propositi perpetrationem, decurrit et discurrit ad diversas ecclesias et monasteria Pragæ, gloriosas et venerandas Reliquias et imagines Domini Salvatoris et Sanctorum inibi concutiendo, conculcando et comminuendo, resque valentiores et clenodia sumptuosiora rapinis mancipando. Tandemque hora quasi secunda, ingenti gravique multitudine cum gladiis et fustibus, cambutis et securibus, malleis et ligonibus, lanceis et celtibus, balistis et cuspidibus, loricis et thoracibus, instrumentisque diversis, armis et defendiculis, in nostram potenter et hostiliter irruerunt Domum, sævientes in nos pauperes pariter in choro provide congregatos, maledicentesque et opprobriis multiformibus atque contumeliis verborum et comminationum, per elevata quandoque et extensa percussionis instrumenta et arma quasi vulnerare vel occidere cupientes, non modice terruerunt ; effringentes ostia cellarum, cellariorum, promptuarii, cæterorumque nostrorum ædificiorum pro sua nequitia maxima, in victualibus, supellectilibus aliisque rebus fecere damna, cuncta talia reperta distrahendo, devorando vel alias destruendo : quemadmodum potus et alia quæ consumere vel deferre non valebant, in terra fusa humanis usibus fecerunt inutilia, in lutum convertentes atque conculcantes ; nobisque dolorosis oculis inspicientibus, in choro et in ecclesia secuerunt et confregerunt tabulas altarium, imagines et Reliquias ad hoc inventas irreverenter tractaverunt. Etiam venerabilissimum Dominicum Sacramentum de suo loco sine honore transferentes, distractis et direptis vestimentis nostris atque libris rebusque cæteris, rapinis addictis, nos humiles ejusdem Domus incolas jam multiplicibus subsannationibus et opprobriis perturbatos, vi compulerunt exire et extraxerunt de monasterio, dicentes nos debere præsentari scabinis Pragæ civitatis antiquæ ad disputandum de fide et observantiis suæ sub utraque specie (ut asserunt) communionis Evangelicæ opportune. Hinc ergo deducentes nos et

ANNUS 1419

Quo modo cartusiam invaserunt Hæretici.

Res sacræ omnes profanantur.

ANNUS 1419

circumdantes baculis seu fustibus in circuitu quasi in furibus ne fortassis evaderemus, quamplurimis affecerunt contumeliis et derisionibus, in via cantantes cantationes suas Hussonicas aliasque subsannatorias; et notanter in transitu nostro versus civitatem, portam primam claudentes stare nos fecerunt cecineruntque carmina sibi placita in nostrum dedecus et confusionem; quam mox aperientes simili sicut prius deduxerunt comitatu per parvam civitatem usque ad valvam prope pontem juxta domum quondam Ducis Saxoniæ, ubi pariter cantilenas suas frequentantes, nobiscum fecerunt stationem, ipsa valva ante nos paululum mox conclusa; rursumque reserata, nobis pertranseuntibus, quasi in medio pontis facientes morulam, referuntur protulisse : Faciamus hic eis sepulchra ! et nonnullos instrumentis percussionis nobis minabantur ictus, unde amplius deducti usque ante Schatellaniam, spectaculum fuimus hominibus utriusque sexus, contrariique sensus et affectus in observantia fidei : quorum plurimi fidem tenentes orthodoxam, nobis compatientes, lacrymosos exhibebant cultus. A parte vero contraria, sectantes hæresim aut fidei detestabilem errorem, quidam nobiscum pergendo de sua disputavere secta, conantes inducere ad abominandas suas observantias ; alii autem a longe de domorum fenestris aut januis contuentes, cachinnatorias præferebant facies atque voces ; nonnulli quoque perfidi sectatores suspiriis gemebundis, vocibus et aspirationibus, visi sunt nobis condolere miserabiliter sic tractatis. Cum autem staremus ante prætorium circumvallati plurimis latronum et prædonum turmis, clauso ante nos prætorio referuntur dixisse : Reducamus eos ad pontem. Qua audita mortifera voce, scabini, ut nobis retulerunt, statim descendentes de prætorio, susceperunt nos de manibus eorum et circumducentes inter institas per aliam januam minorem introduxerunt in prætorium, ascendentes quoque nobiscum ad locum suum præstantiorem in stuba consulari fecere commanere, ubi Magister civium et scabini quidam, velut nobis compatientes cordialiter et excusantes se quasi in

Per mediam civitatem ducti, conviciis afficiuntur.

In prætorium recluduntur,

ANNUS 1419

talibus adversitatibus nobis illatis non fuerint sibi conscii, etiam inter cætera protestabantur se talia non ordinasse, adjicientes se non tenere nos in captivitate : quod autem suscepissent nos, dixerunt se fecisse hoc ut nos redimerent de manibus turbæ popularis et concitatæ communitatis, quæ fortassis majora nobis intulisset et crudeliter cruciasset sive peremisset. Post plura denique verba consolatoria et excusatoria, dimiserunt nos ad pernoctandum in eadem stuba; ubi pro lectis utebamur pavimento, habentes miseriam pro substractoriis, patientiam pro pulvinaribus et charitatem quantum Deus concesserat pro coopertorio : quæ sicut operit multitudinem peccatorum, sic et defendit ab impetu inordinatorum motuum doloris et impatientiæ, et injuriarum caumatibus et tribulationum imbribus provenientium et contingentium undecumque. Quapropter pluribus inter nos parum aut nihil dormientibus ista nocte, maturius surreximus ad dicendum Matutinas, Horis cum sequentibus, et in tanto tempore prætorium versum est in oratorium. Mane vero facto, Schrobach civis de principalibus scabinis nos visitans, post se vocavit dicens se velle nos reducere ad monasterium nostrum ; cui statim occurrens ante prætorium quidam famulus suus recenter reversus de monasterio, dixit ipsum non posse nos facere tutos in monasterio remanere, eo quod adhuc existentes ibi violenti nimis essent suffusi et inordinati, qui continue multiplicantes devastationes et damna nobis minime parcerent, quinimo ferocius trucidarent. Perduxit ergo nos in alium locum Ordinis Cisterciensis, ubi quamvis nos divina conservante clementia, mente et animo non fuissemus nimium consternati, tamen pacem minime vidimus externam sed incussis terroribus auditisque damnis et succensionibus habitationum nostrarum, anhelavimus ad locum securiorem; transeuntes in propinquo ad domum Domini Ducis Saxoniæ in qua duobus diebus commorantes diversos habuimus visitatores cum cæteris compassionibus et consolationibus, nonnullas res et libellos nobis restituerunt ; timentes autem nos diutius fore non securos in civitate

et in ipso prætorio Matutinas et Horas dicunt.

ANNUS
1419

dum nec scabini possent nos assecurare nisi usque ad feriam secundam propter machinationes populi furentis, Dominica indiescente, sub salvo conductu prædicti Strobach nobiscum equitantis extra civitatem ultra vineas, et in nobis accommodantis duos balistarios, perreximus ad domum Wiebicenensem et feria secunda ad Catoniam. Feria tertia quoque in octava Assumptionis procedentes, pervenimus ad monasterium Venerabilium Patrum in Cedul prænotatum, sub hora prandii monastici; unde R. P. Dominus Abbas, Domnus Prior totusque Conventus surgentes de mensa, alacriter nobis occurrerunt, compassione pia atque gaudio nos reverenter susceperunt, humiliter et devote deduxerunt nos ad ecclesiam, inde ad refectionem diligenter præparatam, et demum ad cellas decenter provisas et dispositas, assignantes nobis specialem pro divino Officio conventualiter peragendo capellam bene competentem extra ecclesiam prope nostras habitationes, et in ecclesia pro Missis privatis honestissima deputaverunt in capella altaria, cuncta nobis necessaria pro divino Officio diligentissime ministrantes ; huc usque autem de victualibus nobis abundantissime providerunt per plures septimanas, donec dominus Rex commiserit nobis de suis pecuniis debere necessarie ministrari; qui si non intervenisset, huc usque et amplius cupierant nobis in singulis subvenire et impendere non solum necessaria, sed et alia convenienter requisita ad sanctæ Religionis observantiam pro benevola exulum consolatione. Nam et hodie pluribus ipsorum rebus et beneficiis gaudemus et fruimur in Domino consolati. Ideoque divina dispensatione nobis eductis violenter de monasterio nostro manibus perfidorum, Domus ipsa sublimis et gloriosa devastata est, exusta ac spoliata usque ad lateres et lapides inclusive, quorum etiam partem audivimus asportari. Sed hanc providam Dei permissionem aut gratiam specialem confidimus salubriorem effectum consequi finemque sortiri digniorem, quatenus igne tribulationis consumpta peccatorum nostrorum rubigo, probataque patientia Dei dono, servos Dei disponat et efficiat ad ampliorem Dei

Ad Abbatiam in Cedul deducti, perbenigne excipiuntur.

gratiam susceptandam, temerariumque factum autores suos cunctis reddat magis odiosos, in dissipationem suæ miseriæ factæ et detestabilis erroris destructionem. Nam nonnulli, in aliis eis consentientes, hanc iniquitatem ipsorum juste damnant; in cæteris excessibus et malitiis aperto volumine malignitatis et hæresis, ac comperto reprobo sermonum ipsorum proposito et operum scelestorum studio discedunt a via ipsorum malignantium, nobis pie compatiendo, victisque divinæ Legis zelatoribus digne maledicendo sceleratos et injuriosos, affectus et actus ipsis malignis rationabiliter improperando, vitam quoque talium merito detestando. Hinc ergo speramus quamplures eorum ad pœnitentiam adduci, et obstinatos pœnis et exterminiis concludi, cum jam Domini terrestres hujus regni cum Domina Regina et populo fideli confœderati in multitudine et potentia prævalentes, advocatis principibus Silesiæ cæterarumque terrarum propinquarum fidelibus stipendio competenti, conentur et satagant præmissos fidei catholicæ prævaricatores et obedientiæ Romanæ contemptores, dextera Dei cooperante, penitus destruere et eliminare, ut pax vera vigeat, fides sincera clareat, ac fideles gaudeant suo jure, singuli pro suo statu vel ordine; ab adversitatibus et turbationibus erepti, fruantur suis libertatibus et locis, ad honorem et gloriam omnipotentis Dei cuncta misericorditer, utiliter et prudenter dispensantis. Serenissimus Princeps Dominus noster, Rex Romanorum, Ungariæ et Bohemiæ, propter congregatam in regno suo ingentem Turcarum seu paganorum multitudinem forti brachio cœlestis auxilii repellendam, hactenus tardans accedere Bohemiam in brevi speratur adventurus, cujus votis et commissionibus hic jam agitur contra operarios iniquitatis apostatas orthodoxæ fidei, malitiose zelantes legem Christi. Quo regnante hoc in regno, divino nutu commenta falsitatis et opera malitiæ perversorum charitatis sanctæque consolationis impatientium, invidorum quietem ac solitariam vitam Religiosorum reprobantium, speramus debere clarius detegi, efficacius destrui et finaliter annihilari, ut etiam deficiant peccatores ab hac

Finem malorum videre sperant,

ANNUS
1419

et hæreticam pravitatem ad nihilum venire

terra et iniqui, ita ut non sint amplius hujusmodi dogmatizantes aut sectantes hæresim et perfidiam suadentes, dissensiones communitatum et populorum ac odia nationum in executionem operum et actuum malignorum ; ne quidem non sint per pœnitentiam conversi, aut per pœnam oppressi vel occisi, ne prævaleant in antea fidelibus nocere per hæreticam perfidiam et operum suorum malitiam execrandam. Nos igitur interim in monasterio Venerabilium Patrum Cisterciensis Ordinis in Zedelitz prope montes Cuthniz honorabiliter suscepti, ipsorum ac aliorum multorum bonorum hominum beneficiis et subventionibus benigne confoti, et jam per aliquot septimanas de pecuniis Domini Regis ex ipsius commissionibus sustentati, comparemus etiam... præter victum cætera necessaria, quantum poterimus Deo conservante, decrevimus simul remanentes in eodem loco præstolari Domini Regis adventum, sperantes ex ipsius verbis dum audisset nostri monasterii destructionem prolatis nobisque relatis per fide dignos, et ex assertionibus quamplurimorum bonorum virorum Magnatorum, reverendorumque Episcoporum, videlicet Baronum, Prælatorum aliorumque statuum et conditionum diversarum, quod velit et merito debeat magnificentissimus Dominus Rex noster prænominatus reædificare et reformare Domum nostram sic miserabiliter desolatam, ut post lapsum et ruinam machinationibus impiorum factam gloriosius erigatur, stabilius reparetur ac firmetur securius, illustratione divina solemnior quam prius remansura, si saltem Fratres ad ipsam pertinentes in humilitate et patientia se servaverint et in charitate perseveraverint, in omnibus quærentes Dei gloriam, sui ipsorum salutem et aliorum quantum potuerint ædificationem. Hortor ergo vestram paternam charitatem ex hujusmodi divina miseratione gestis minime contristari, quin potius congratulari nobis pro veritate fidei et obedientiæ justitia sustinentibus persecutiones et tribulationes. Utinam habeamur digni aliquid pati pro nomine Christi ! quatenus fidelis Dominus cum tentatione faciat nobis proventum victoriosum, et amplius si acciderint

Rex Romanorum et Bohemiæ eis multa confert ad vitam sustentandam.

Quid pro nomine Jesu pati avent.

similia, vel asperiora mortem ingestura, possimus constanter sustinere, fortius resistere et gloriosius triumphare, vestris etiam intervenientibus precibus coronam æternæ beatitudinis post hujusmodi militiam et agonicum laborem in præmio suscepturi. Nec quemquam vehementer conturbent damna rerum temporalium amissarum præter ædificia, quia inspiratione divina præmoniti, res nostras communiter meliores, scilicet libros et clenodia prius alienaveramus mittentes ad custodiam securiorem. Quædam quoque sunt nobis restituta post spoliationem, ita quod adhuc de talibus, si Deus ulterius conservaverit, habeamus majorem copiam quam aliquæ aliæ certæ Domus Ordinis, etiam aliqualiter reputatæ. Nihilominus multa perdidimus, verum non parum æstimo debere compati miseris qui talia perpetrarunt, malitiam suam exequentes, et nequaquam evadent laqueum æternæ damnationis nisi egerint pœnitentiam de commissis. Unde decet nos pro talibus secundum Evangelicam doctrinam fideliter orare, velut pro inimicis calumniantibus et persequentibus nos, ne moriantur in peccatis, sed magis ut convertantur et vivant in perpetuum. Super omnia non utique pro nobis sed pro Deo et Sanctis ejus censeo dolendum summe, quia templum sanctum Domini violenter invadentes polluerunt iniquis actionibus, crudeliter concusserunt imagines Christi et Sanctorum, et comminuerunt aram sancti altaris projicientes Reliquias Sanctorum, illuserunt sacratis Virginibus ludentes (ut fertur) cum capitibus earum ex area raptis in terramque projectis, destruxerunt altaria et Reliquias extrahentes perdiderunt aut asportaverunt sine honore, aperientes sepulchra Nobilium in ecclesia sepultorum, moverunt corpora destruendo marmora; et in omnibus et præ omnibus quod est dolore plenissimum, sacrati templi Dominum, Sanctum Sanctorum, Creatorem omnium irreverenter tractaverunt : venerabile namque sacramentum corporis Dominici de suo loco indecenter transtulerunt, quod et postea perditum fuit, nescio quomodo subtracta furtim pixide in qua detinebatur ; quæ non est nobis restituta. Qualis itaque

Pro persecutoribus suis orant ut ad Deum convertantur.

SS. Sacramenti profanationem deflent.

ANNUS 1419

turpis inhonoratio summi Creatoris cunctis Christi fidelibus debeat esse summe lacrymabilis et maxime dolorosa, respectu cujus singula nobis illata sunt minime plangenda : nam si direptionem rerum sustinuerimus, nullas tamen plagas corporis aut vulnera suscepimus, quæ si nobis sic innocenter tortis accidissent, cum hujus ærumnosæ vitæ termino per mortem pretiosam in conspectu Domini, foret hæc passio magis gaudiosa cum esset magis fructuosa, majus incomparabiliter præmium conferens æternæ beatitudinis et inæstimabilis gloriæ ; cum non sint condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quam nos pie speramus per multas tribulationes regnum cœlorum intraturi, gloriose consequi, æternaliter possidendam : quam nobis clementer præstet ipse victor gloriosus, qui superans omnes inimicos suos, etiam debellatis aeris potestatibus, post carnis occasum potenter resurgens, regnat in cœlis cum Patre et Spiritu Sancto, Deus unus in æternum benedictus ; cujus salutari munere vestra paterna Charitas cum omnibus piis nostris oratoribus in Christo salutandis, clementer salvetur atque perducatur in vitam sempiternam. Amen. Scriptum anno Domini 1419 ; in vigilia Sanctificationis beatæ Mariæ Virginis gloriosæ Dei Genitricis, in Zedelitz monasterio supradicto. »

Mors pro Dei honore eis videretur gaudiosa atque fructuosa ;

Quæ subsequuntur adhuc adjecta erant ad epistolæ calcem : « Præterea profani sacerdotes, infidelesque populi utriusque sexus cunctas in monasterio perpetrantes abominationes pro libitu suo, de hoc præcipue narrantur (dolendum vehementer) quod nos religiosæ vitæ superstites, abire reliquissent, tanquam in nostro sanguine se reputassent manus suas festivius consecrasse, obsequium ipsum putantes Deo in sui detestabilem exultationem. Quod si sic placuisset glorioso Deo, potuisset nobis inde coronam æternam comparasse. Quod dum aliter placuit, dignetur cuncta concludere fine salutari. Præterea quantas et quales exercuerint crudelitates et inhumanitates atque damna, spoliantes ecclesias et monasteria, expulsis etiam Sanctimonialibus pauperculis, latius et expertius poterunt enarrare de Praga venientes ad vestram

quam mortem subire desiderant.

paternam Charitatem certius informandam. Rogo dignemini præsens scriptum vel principalioribus articulis, copiatum vel excerptum transmittere venerabilibus Patribus prope Rostok et prope Francfurt, quatenus de factis erga nos plenius informentur, necnon super competenti nostro statu dulcius consolentur in summo consolatore et omnium Salvatore. » ANNUS 1419

Hactenus epistola nostrorum exulum, qui licet dicant nullas se in hoc tumultu plagas corporis aut vulnera suscepisse, nec ullam faciant mentionem coronarum spinearum, quas eorum capitibus impositas fuisse affirmant Hagecius, Pontanus et Zacharias Theobaldus hæreticus, haud facile tamen tam graves autores falsi arguere debemus ; maxime cum iidem Patres in eadem epistola fateantur se innocenter tortos, multiformiter et enormiter vexatos, et quamplurimis affectos contumeliis et derisionibus. Quibus verbis aperte satis indicant (licet nominatim non exprimant) se diversa injuriarum genera (quorum unum coronæ spineæ) expertos fuisse. At illud multo magis nos movere debet quod tacuerint penitus miraculum erga tres e suis patratum ; dicunt quidem se tribus diebus detentos, prima in prætorio, duabus aliis in domo Ducis Saxoniæ ; sed utrum aliquis e sociis disparuerit non commemorant. Causam silentii vix ullam possumus excogitare nisi quod forsitan non miraculo, sed fugæ, Fratrum subtractionem attribuerint, atque ideo nullum de ea verbum fecerint, ne Fratres suos ignaviæ insimulare viderentur. In quodam manuscripto cartusiæ Erfordiensis hæc leguntur : « Monasterium Pragense Ordinis nostri anno 1419 ab Hæreticis invasum, vastatum, monachos captos spineis coronis illusos, incarceratos, ubi tres miraculose e claustro evanuere. »

* JESU CHRISTI

ANNUS 1420.

Martini PP. V Ann. 3. | Ordin. Cartus. Ann. 337. | Joannis III. Pr. Cart. Ann. 11.

R. P. JOANN. DE GRIFFENBERG MORITUR.

I. MILLESIMUS quadringentesimus atque vigesimus sequitur annus Indictione decima tertia inchoatus, quo, die secunda Septembris, Reverendus Pater Domnus Joannes de Griffenberg pie obdormivit in Domino, quadam ut videtur pestilentia raptus ; etenim in Charta anni 1421 postquam denunciatur mortuus, protinus additur : « Item obitus septem Monachorum, quatuor Conversorum et duorum Donatorum » a fine Augusti usque ad finem anni; unde licet conjicere fuisse tunc aliquam pestilentiam in Domo Cartusiæ et in omni Delphinatus regione, etenim Charta denuo adjicit : « Item obitus multarum Monialium in Domo Pratimollis (non longe ab urbe Gratianopolitana) et aliorum ejusdem Domus. » De virtutibus autem hujus Reverendi Patris hæc habentur in chronico Priorum Cartusiæ : « Hic Pater inter alia dona Dei quibus plenus erat, tantæ humilitatis extitit quod filios suos, monachos Cartusiæ, suos patres vocabat, et ut simplex columba inter eos conversabatur. Fuit etiam dictus Pater dulcis in verbis, mitis ac mansuetus, in tantum quod ex dulcedine verborum ejus omnes consolabantur, et in corrigendis subditis plus proficiebat ejus mansuetudo quam cujusquam severitas ; fuit multum affabilis et dulcis eloquio. Unde ex multa suavitatis abundantia, Prioribus et aliis personis in obedientiis Ordinis laborantibus literas consolatorias et sua-

Sub XXVII Priore.

Miræ mansuetudinis,

vitatem redolentes frequenter dirigebat, ex quibus plurimum recreabantur. Quid plura? In faciendis eleemosynis pauperibus sedulus erat; et quanto plus erogabat, plus abundabat. Nam fere omni hebdomada aliquas pecunias in eleemosynis recipiebat. Cum autem tempore Quadragesimæ esset penuria victualium, et dictus Pater non haberet unde suis necessaria provideret; quadam vice quasi ab insperato affuit quidam Pater Ordinis sancti Antonii qui, tanquam inspiratus a Deo, dedit summam centum francorum pro sustentatione Religiosorum dictæ Domus. Unde dictus Pater Cartusiæ convocatis Fratribus, eos admonuit Deo gratias agere qui sperantibus in se nescit abesse. »

et valde in eleemosynis faciendis sedulus erat.

Nomen vero Domni Joannis apud Nos semper manebit, quia simul ac reipublicæ Cartusianæ gubernacula suscepit, flebile (licet ineluctabile) Ordinis schisma extinctum est anno 1410. « Hic est annus jubilationis in Brunoniana familia, ait Molinus, in quo sacer Cartusianorum Ordo denuo reunitus est zelo et industria venerabilium Patrum septem provinciarum, Picardiæ videlicet, Theutoniæ sive Belgii, Angliæ, Alemaniæ superioris, Alemaniæ inferioris sive Franconiæ, Rheni et Saxoniæ; pro qua fide et justitia privilegia meruere quibus utuntur in Capitulo generali, quorum confirmationem requirunt et petunt singulis annis a Reverendo Patre post prandium in aula Picardiæ; et hoc, die abstinentiæ proximioris Dominicæ Capituli seu *Cantate*. Illorumque est hac die petere gratiam pro omnibus qui tunc Cartusiæ intersunt, et expensas hujus diei solvere.

Provinciarum Alemaniæ durante Capitulo privilegia,

Histor. Cartus. f. 750.

eo quod præcipue Ordinis unionem promoverunt.

« Primas in ecclesia et refectorio secundi ordinis * occupant sedes, sicut et in aula superiori primum post Patres Diffinitores scamnum. Sabbato insuper Capitulum præcedenti dicunt Missam conventualem, sicut et undecimam lectionem in matutinis Dominicalibus. Refectorium die Dominica sequuntur tantummodo, cæterorum more, ibique tenent chorum sinistrum quorum antiquior psalmum incipit *Miserere mei Deus* ad gratias, stans versa facie ad alterum chorum sine inclinatione. Assectantur et omnes illi Patres Reveren-

* i. e. in choro sinistro.

ANNUS 1420

Famulorum Alemaniæ Priorum privilegia.

G. DE MOTA JOANNIS SUCCESSOR ELIGITUR.

Bohic, Annal. Ordinis Cartus. ms. ad hunc annum.

dum Patrem nostrum illumque ducunt et reducunt ad ecclesiam et aulam Capituli usque ad denunciationem Diffinitorum quæ fit feria secunda, id est prima die Capituli generalis post Missas.

« Gaudent et illorum famuli suis privilegiis et libertatibus : intrant domum superiorem durante Capitulo, nec cæterorum famulorum subjacent legibus. Famuli vero aliorum Priorum die Dominica post Vesperas descendunt ad Correriam (seu domum inferiorem), ubi facta exhortatione eligunt sibi Reverendum Patrem aliosque officiales quibus obedire tenentur durante Capitulo generali Ordinis. Et feria tertia vadunt processionaliter cum parocho parochiæ Cartusiæ ad Nostram Dominam de Casalibus ; ibique facto Sacro, ab illo redeuntes, inter duas portas Cartusiæ, genibus flexis, ante imaginem Deiparæ hymnum concinunt *Ave Maris stella* vel antiphonam *Salve Regina*. » Hæc narrat Molinus ut testis oculatus, quippe qui fuerat Correrius (Procurator) in Domo Cartusiæ et cellam habuerat in præfata Correria. Pergit autor : « Is bonus piusque pastor noster generalis Joannes de Griffomonte, decennio exacto et quatuor mensibus in primaria hac Ordinis functione, feliciter anno 1420 die secunda Septembris sub pontificatu Martini Papæ quinti, imperio Sigismundi et regno Caroli sexti, migravit ad Dominum, agonum suorum præmio ab eo donandus. Assumptus enim fuerat in laborum curarumque onera ; nec eum læta et prospera stationis hujus, sed aspera et dura ad capessendam eam impulerant. »

II. Justis igitur defuncto dicto Reverendo Patri ex more persolutis, « ad successorem ipsius deligendum Conventus Cartusiæ animum appulit et per canonicam electionem designatur Guillelmus vel Guillerinus de Mota, Gallus, professus ac multo tempore Procurator Domus Cartusiæ ; vir miræ humilitatis nulliusque apud se reputationis, magnæ quoque sollicitudinis in his quæ ad eum pertinebant, et ferventis devotionis. Ita graviter ac reverenter divinum exsolvebat Officium ut nihil tali spectaculo jucundius videri posset : in victualibus autem sibiipsi durus et rigidus, utpote

qui et Ordinis rigorem tenens et abstinentias vel in senectute faciens ; cæteris erat indulgentior. » G. de Mota iste est quem vidimus antipapæ Benedicto XIII adhærentem et munus Generalis cartusiarum in Hispania obeuntem ; quo non obstante, professi Domus Cartusiæ totius Ordinis clavum eidem tradere minime dubitarunt, scientes hisce miserrimis temporibus optimum quemque sincera fide a vero sæpius errasse ; ut puta sanctissimus Vincentius ipse qui diu pseudopontificis Benedicti fortunæ adhæsit.

B. NICOLAUS TERTIO AD PONTIFICEM MITTITUR.

III. Bononienses hoc anno Nicolaum Albergati ad summum Pontificem tertio miserunt ; quibus ratione et fructu ex ejus Vita manuscripta jam citata discimus. « Interea Martinus Ravenna Florentiam adveniens, ibi per annum amplius mansit ; ac liberaliter habitus, eam gratiam retulit quod ecclesiam provexerit ad archiepiscopale fastigium. Igitur Florentiæ dum hæret, perferuntur novi Bononia tumultus. Antonius Bentivolus, Joannis (qui prioribus annis dominatum urbis per aliquot menses administraverat) filius, patriam recuperare sua autoritate desiderans, septimo calendas Februarias propria adjuvante factione, palatium interrupit ac potestatem nactus, Canetulos sese cœptis ejus objicientes, primum foro, deinde decreto Consilii urbe ejecit. Qui Florentiam ad Martinum profecti, Antonium tanquam Pontificiæ urbis imperium sibi temere vindicantem accusaverunt ; atque ipsi se ad eam recipiendam præsto futuros esse polliciti sunt. Quibus rebus Martinus in spem haud levem recuperandæ urbis adductus, pridie calendas Martii oratores Bononiam misit qui verbis suis denunciarent : nisi urbem sibi ultro darent, se quacumque vi subacturum. Quibus Consilium respondit populum Bononiensem eo animo esse, ut antiqua urbis sua possessione et civitatis libertate decedere nolit, proque ea fortunas omnes atque ipsum adeo sanguinem profusurus sit ; Pontificem autem submisse orare ut conditionibus stare secum Mantuæ pactis velit, in quibus diserte ipse, se certo tributo et sacro civitatis obsequio contentum fore promisit. Deinde profectis illis, pridie Nonas Martii

Apud Ephemerid. Cartus. ad diem IX Maii.

Bononiensis Concilii responsum defert.

ANNUS
1420

iterum Nicolaum episcopum cum duobus aliis* ablegavit, ac coram eodem referre Pontifici jussit. Quibus cum mandata exposuissent sic Martinus respondet : Ite ac populo vestro renuntiate, nisi urbem usque ad diem tertium Paschæ in meam potestatem tradiderit, me illi sacra officia interdicturum, execrationes quam atrocissimas possit Ecclesia inflicturum, ac firmissimum exercitum ad vastandum agrum atque oppugnandam urbem missurum. Ita rem narrat Sigonius. Contra Zenus ait Pontificem legatis nihil satis liquidum respondisse, sed quod erat facturus animo pressisse; erectaque illi adventu Nicolai spe revocandæ Bononiæ, mandasse diploma interdictionis clam cunctis parari, Episcopum gravi seorsum præcepto obstrinxisse ad celeritatem discessus atque itineris tantam ut quamlibet ei negaverit moram, vetuisse præterea diplomatis literas prius aperiri quam Bononiam attigisset, ubi eas esset populo redditurus, intentasse alias demum pœnas si jussis non obtemperasset. Hæc Zenus haud satis vero similia. Tam justa enim moderatione pietatem erga patriam jurata Pontifici fidelitate attemperaverat Nicolaus, ut huic illa nequaquam officeret ; et erat Pontifici notior quam ut esset suspicionibus tanti secreti religione occurendum, quæ mutatum Pontificis animum in tam excellentis ministri æstimatione nimis profecto declarassent : rigor est supervacaneus minis rem agere, ubi nutus plus satis hanc peragunt. Martini constantiam et probata Nicolai merita is rigor non sapit; nec minæ tam truces facilitatem qua Deus mirabiliter Pontificem tantum imbuerat : haud tamen cuiquam dubium est cum mandatis interdicti remissum, ad cujus promulgationem in magnas fuisset animi angustias conjectus, nisi singularis qua pollebat obedientia hominem sustentasset; hoc enim facto, rudi saltem popello, traducebatur patriæ inimicus quam habebat seipso cariorem, et ardentissimis illius desideriis ingratus quibus tantopere in Episcopum fuerat expetitus. Nihil quidem omisit ad leniendum Pontificis animum vel differendam interdicti promulgationem. Sed ubi tunc preces nihil obtinent, ad æternas se

* Petrus nempe Aristotilis, et Petrus Rigi.

Vita B. Nicol. c. 8.

Civitatis interdictum minatur Pontifex ;

Vita B. Nicolai Alberg. cap. 6.

nec ejus animus Nicolai precibus leniri potest.

vertit quas alte imbiberat rationes ; repetiit animo plura deberi veritati, plura Deo ejusque in terris Vicario, quam sanguini, patriæ aut rei cuilibet perituræ ; autoritati Ecclesiæ humana omnia postponi oportere ; qui se Episcopum optassent, optasse pariter et Papæ obsequentem ; sacramenti quod illi dixisset fore vel morte proposita tenacem ; jubere Pontificem, et hoc uno abunde sibi esse. Tribus ergo diebus a suo in patriam regressu, qui ad Martii sextum et vigesimum inciderat, dum ad sancti Petri sacra officia celebrantur, eo se contulit ; factoque manu silentio, in frequentissima populi concione, ex ara principe, admirandæ vir obedientiæ apertas Interdicti Pontificis literas promulgavit, affixurus deinde ad portas sancti Petronii et episcopii. Quæ subsecuta sint et quam sæva in illum civitatis mutatio, non ambiget qui populum novit validis præsertim turbinibus agitatum : ut mentem sic linguas mutavit. Luctuosa res et digna Jeremiæ lacrymis ! veteris illius Bononiensium pietatis aurum, invidia dæmonis tam fœde obscuratum. Jam antiquæ illæ applaudentium gratulationes in furorem ac rabiem verterant, jam Nicolaus nec pater nec pastor patriæ, sed pernicies, exturbator, eversor : adeo certum est non pluris nos esse quam simus apud Deum, nam apud homines nihil constans præter volubilitatem sensuum atque voluntatum. Neque intra verba se continuit hic tumor ; erupit in ipsas res, conjuratur in vitam optimi Præsulis, pergunt ex primariis multi cum valida carnificum et lictorum manu in ædes Episcopi cuivis semper patentes ; irruunt certo consilio illius interficiendi, præludunt convitiis et omni verborum indignitate ; dum interim cum Job ad multitudinem nimiam non expavesceret, nec despectione propinquorum terreretur, est revulsum quidem ex ejus manibus diploma Interdicti ; at sceleratorum carnificum qui ad hoc venerant ausus est nemo vel eum tangere ; curæ juris æquitas Deo est, nec est quicquam inter hostes quoque innocentia tutius nec iisdem formidabilius. Receptæ sunt postea per Nicolai famulos Pontificiæ literæ ; totaque illa latronum turba, Deo per agnum leonum ferociam

Interdicti literas promulgat Nicolaus.

Manet intrepidus, irruente et furente populo.

ANNUS 1420

exterrente, intactum reliquit. Verum beatus Episcopus qui ad Christi exemplum se fingebat, ex eo didicerat ut heroum robur sic prudentem fugam dum furit populus ; quare documento constantiæ jam dato plane eximiæ planeque pastoralis ad ejus præstantiam vim rectæ prudentiæ adjunxit, summo diluculo clam cunctis dissimulato habitu Florentiam versus iter arripuit, et de itinere caram cartusiam revisit ut dies aliquot jucundi horroris tranquille regustaret ; haud puto ad colligendum solitudine animum, solus semper in turba versari solitus (quod virtutis est ad fastigium perductæ), sed ut Fratrum aspectu et colloquio mentem reficeret, et premeret osculis sanctos parietes quos illi Deus pro arce tutissima a periculis sæculi olim præbuisset. Dabatur interim Bononiensibus pœnitendi tempus, ut cum iis quæ taceri nequibant ea etiam qualiscumque pœnitentiæ illorum significatio Pontifici referretur. Ac mansere ii quidem in religiosa Interdicti a Sacris observatione solidos sex menses ; parati proprio sanguine si licuisset illud expiare, libertatis ne pilo quidem. Obstinatis in hanc pertinaciam animis restare quid poterat, nisi ut Pontifex et esse se patrem sed et principem sciens, aggrederetur Bononiam armis repetere, quam reluctantibus inferis, neque multa vi rationum nec benevolentiæ et amoris revocare ad se potuisset ? Erat de hoc bello apud Pontificem constitutum, et Nicolaus Florentiæ agens nullum non lapidem frustra movit quo illum ab eo consilio deductum placaret. Conscribit exercitum Pontifex legato Gabrieli* tituli sancti Clementis cardinali, patria Veneto. Martinus igitur missis Bononiam oratoribus aperte bellum (nisi dicto sibi audientes essent) indixit. At mox ubi monita minasque despici suas videt, Braccium Perusinum ducem suum cum exercitu validissimo immisit ; quo facto Braccius castella ferme omnia duorum mensium spatio in potestatem aut vi aut pactione redegit, ac captivos multos abduxit, et aquam Rheni in urbem influentem alio derivavit, ac demum agro toto late vastato maximis civitatem spoliavit opportunitatibus. Cum autem prope diem castra se urbi quoque admoturum osten-

Fugam capit.

* Gabr. Condulmerius, postea Eugenius IV.

Pontificiæ cohortes Bononiam obsident,

deret, Antonius Bentivolus qui principem agebat apud Bononienses, ne civitatem in majus discrimen adduceret veritus, cepit urbis dedendæ consilium, ac pridie Idus Julii in castra (in quibus erat Cardinalis Pontificis legatus) processit, ac pactis conditionibus, regressus in urbem relatione de bello finiendo facta, ex Consilii autoritate deditionem constituit. Ita XII calendas Augusti Cardinalis legatus magna equitatus parte, Braccio comitante, civitatem ingressus, possessionem illius pro Pontifice recepit ; post, ad septimum Augusti, ab oratoribus Florentiam a Consilio destinatis, Pontifici civitas æquis conditionibus publice tradita est, et Alfonsi diaconi sancti Eustachii Cardinalis Legati gubernationi concredita. Unum supererat, ut recuperata Bononia suum recuperaret Episcopum : rediit ille hoc ipso tempore et se sponsæ charissimæ dilectisque in Christo pignoribus reddidit, sed totus alius ab eo qui fuerat execrationi; jam pater, jam pastor, jam omnium amor et veneratio gratulantium et prædicantium antiqua illius præconia. Jam demum Nicolaus reversus, nihil prius habuit quam ut illata sarciret Ecclesiæ damna, et magistratibus vocatis significaret edictum Pontificis de pagis Cento et Plebe reddendis; qui ab annis quinque et triginta fuerant Episcopo ablati quousque, tunc nemine in oppositum nitente, possessione per Imolanum Episcopum juridice inita, sibi asseruit. Verum multo acrius institit tranquillitati civium adjutore Deo constabiliendæ, ac dum tempus favebat pascendis uberius et proventu majore commissis ovibus : erant hæc ejus animi laxamenta, hæc rusticatio, sudans perpetuo in salute animarum labor, noctes pervigiles, dies occupatissimi, infatigabilia opera, constantes curæ et alacres ; sic ardet amoris illa flamma quam in visceribus Præsulum divina Bonitas accendit, sic pastoralis pondus officii urget premitque audientes de manu pastoris requirendum. Incidit Nicolai Bononiam reditus in ætatis annum sextum et quadragesimum, currentis tunc sæculi vigesimum primum.»

eamque ad deditionem cogunt.

Redit Nicolaus, plaudente populo.

IV. Generale Capitulum præsentis anni talem fecerat ordinationem : « De Domo Guillonisii (aliter dicta sancti

DOMUS GUILLONISII ABDICATUR,

ANNUS 1420

Joannis Januæ Paradisi) placet nobis quod uniatur Domui sancti Martini supra Neapolim, quod Regina quæ est fundatrix videtur postulasse. » Hanc ordinationem paulo post Martinus V confirmavit et rei gerendæ Franciscum de Arceriis Squillacensem episcopum delegavit, data quæ sequitur bulla : « Martinus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Episcopo Squillacensi salutem et apostolicam benedictionem. Ad hoc circa regularis observantiæ professores eo diligentius laboramus, quo fœcundius illorum Religio fructum in eis afferat salutarem, ac laudabilibus possint in Domino proficere incrementis. Sane pro parte dilecti filii Joannis Prioris monasterii sancti Martini supra Neapolim per Priorem gubernari soliti, Ordinis Cartusiensis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum monasterium sancti Joannis Januæ Paradisi situm in territorio castri Guillonisii dicti Ordinis, Termulensis diœcesis, propter guerras aliasque temporum calamitates quæ partes illas retroactis temporibus, proh dolor! afflixerunt, ac malam patriæ dispositionem, adeo in suis ædificiis et servitiis destitutum et in suis fructibus et facultatibus diminutum existat, quod monachi dicti Ordinis professores ad deserviendum inibi in divinis residere, et ex hujusmodi fructibus nequeunt sustentari. Et sicut eadem petitio subjungebat, in generali Capitulo dicti Ordinis, novissime in magno Monasterio Cartusiensi celebrato, per ipsum Capitulum unanimi consensu decretum fuerat ac etiam ordinatum, quod præmissis attentis, quæcumque possessiones, prædia et bona mobilia et immobilia, ad ipsum monasterium sancti Joannis spectantia, vendi et alienari possent; eorumque pretia necnon fructus, reditus et proventus ejusdem monasterii sancti Joannis, in constructionem et fabricam unius capellæ per ipsum Priorem et dilectos filios Conventus dicti monasterii sancti Martini in honorem et sub vocabulo dicti sancti Joannis, in ipso monasterio sancti Martini de novo fundandæ et conservandæ, in qua per Monachos dicti monasterii alias idoneos, in divinis debeat perpetuo Domino deserviri. Nos igitur

annuente summo Pontifice ;

et unitur cartusiæ Neapolitanæ,

hujusmodi supplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ, de qua in his et aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta mandamus quatenus de præmissis omnibus et singulis, ac eorum circumstantiis universis, autoritate nostra te diligenter informes ; et si per informationem hujusmodi ita esse repereris (super quo tuam conscientiam oneramus), præfato Priori hujusmodi possessiones, prædia atque bona ad ipsum monasterium sancti Joannis spectantia et provenientia, in quibuscumque et ubicumque consistant, quibusvis personis illarum partium pro illis pretiis, modis et conditionibus cum quibus ipsius monasterii sancti Martini conditionem efficere poteris meliorem, vendendi, alienandi, distrahendi, illaque ad firmam in perpetuum vel ad certum tempus concedendi et arrendandi, ac pretia sive fructus, reditus et proventus hujusmodi, in constructionem et fabricam ac dotem dictæ capellæ componendi et convertendi, ipsamque capellam in eodem monasterio sancti Martini de novo erigendi, fundandi et conservandi ; et nihilominus dictum monasterium sancti Joannis eidem monasterio sancti Martini cum omnibus juribus et pertinentiis suis uniendi, incorporandi et annectendi, et alia omnia et singula in præmissis agendi, disponendi et exequendi, quæ pro augmento divini cultus ac eorumdem monasteriorum statu prospero et felici utilia fore prospexeris, autoritate prædicta plenam et liberam facultatem et licentiam largiaris : reservata tamen de hujusmodi sancti Joannis monasterio, semel et bis in hebdomada qualibet in divinis servitura, congrua portione, de qua ibidem Cappellanus possit commode sustentari et alia ei incumbentia onera supportare. Non obstantibus reservationibus generalibus... etc. Datum Florentiæ, calendis Junii, pontificatus nostri anno tertio. »

in qua specialis fundatur capella in memoriam antiquatæ Domus.

V. Ex hujus anni Charta sequentes exscribimus ordinationes :

ORDINATIONES.

De pitantiis moderandis.

1. « Quia multorum instantia frequens et quærulosa nos impulsavit super excessivis seu potius abusivis (quod dolentes referimus) in nonnullarum Domorum pitantiis, et

ANNUS 1420

irrefrænatis excessibus aliisque inordinatis ministrandi modis, etiam ultra et præter ordinationem et sufficientem Statutorum nostrorum provisionem, et præcipue sextis seu abstinentiarum feriis, quod urgere videtur in et contra nostræ Religionis institutionem salutarem, qua necessaria sufficienter ministrari et superflua omnino resecari jubentur : hinc est quod hujusmodi provide occurrere volentes dispendiis, ordinamus quod in diebus pitantiarum non amplius quam quinque ova, inclusis ovis cum pulmento deputatis, aut æquivalens (si forte) qualecumque genus piscium, ministrentur. Diebus autem abstinentiæ deputatis, gratiam humiliter petentibus pulmentum dumtaxat simplex cum potu breviori consueto. Et indulgetur quod hæc ordinatio non ponatur ad Chartas Provinciarum ubi in talibus non fit abusus.

2. « Item quia divina gratia favente, Domus nostri Ordinis germinantes in diversis mundi partibus, prout cernimus, sunt plurimum multiplicatæ; item eorum negotia pro quibus scribitur Capitulo generali, tempore in Statutis contento (videlicet tribus diebus Capituli) debite expediri non possunt ob eorum multiplicitatem, de quo Domus plurimæ conqueruntur : ordinamus ut pro statu Ordinis et pace Domorum personarumque conservanda, generali Capitulo inchoato, Diffinitores et Provinciarum Visitatores, vel unus eorum aut qui parte Provinciæ missi fuerint, ibidem remaneant usque ad sabbatum diem exclusive.

3. « Exhortamur in Domino eos de Domo Pragæ (e cellis suis exsulantes et in quadam Cisterciensium abbatia, ut diximus, degentes) ut religiose et patienter *simul* permaneant.

Simplicitas etiam in ecclesiis nostris servanda.

4. « Omnia quæ Visitatores in Domo N... ordinaverunt, approbamus et confirmamus, præcipue de cælaturarum in stallis chori contra simplicitatem Ordinis curiose factarum amotione, ut hoc effectualiter exequantur infra unius mensis spatium a præsentium receptione. » Ex quo satis manifestatur quam religiose vellent Patres nostri in Domibus Ordinis simplicitatem Cartusianam apparere, et quidquid sæcularem curiositatem redolet, ab eis immisericorditer expelli.

JESU CHRISTI

ANNUS 1421.

Martini PP. V	Ordin. Cartus.	Guillelmi II. Pr. Cart.
Ann. 4.	Ann. 338.	Ann. 1.

I. INEUNTE anno quadringentesimo vigesimo primo post millesimum, Indictione quarta decima, Joannes Gerson, celeberrimus Universitatis Parisiensis cancellarius, Guillelmum de Mota, Cartusiæ Priorem xeniorum loco donavit Tractatum de Contractibus, quem illius efflagitatu conscripserat, ut colligimus ex ipsa inscriptione quæ sic habet : « Opusculum ejusdem (Joannis Gerson) de contractibus, ad instantiam Prioris et Conventus Domus Cartusiæ in Sabaudia anno Domini 1420 (more Gallicano), mense Januarii. » Causa hujus tractatus edendi talis fuit : « Communitas alicujus terræ licentiam habet a domino suo de certa impositione facienda super his quæ venduntur infra suos fines, et quod super hujusmodi obventionibus possit certum annuum censum vendere, addita tamen facultate redimendi. Quoddam monasterium (nostri Ordinis, ut verisimile est) emit ab hac communitate jus recipiendi centum florenos annuatim pro duobus millibus florenorum, in numerata pecunia datis, et adjecta facultate redimendi. Quæstio est, si dictus contractus sit usurarius, vel alias illicitus. » Hunc casum in quadam Domo Hispaniæ evenisse conjicio, quod priusquam casus ad Gersonem referretur, quidam Doctor Valentinensis in Aragonia de eo jam consultus fuerat, et forte per ipsum Guillelmum de Mota dum Ordini in Hispania præerat. Conclusit sapiens et pius Doctor hujusmodi con-

OPUSCULUM J. GERSON DE CONTRACTIBUS CUM REDIMENDI FACULTATE,

R. P. Guillelmo dedicatum.

ANNUS 1421

tractum licitum fuisse. Porro in his et aliis contractibus adjecta redimendi conditione ineundis, cum magna cautione et ex recta ac delicata conscientia agendum esse Nostri semper a Patribus Ordinis admoniti sunt. In Tertia Compilatione Statutorum prohibetur « ne ullus, etiam cum licentia, emat reditus aut possessiones cum gratia redemptiva et minoritate pretii. » Et ipse Guillelmus de Mota, anno sui regiminis tertio decimo, per Chartam a Diffinitoribus obtinuit « ut seriose prohiberetur, ad vitandum avaritiæ et usuræ periculum, ne aliqua Domus de cætero aliquem de contractibus redemptionum faciat, quousque per Concilium Basileense vel alias per Ecclesiam declaratum fuerit. » Deinde, sub Generalatu Antonii Dellieux, eadem inhibitio renovatur his verbis : « Pro serenatione conscientiarum, et ad præcludendum viam ne ad illicita quisquam prolabatur, ordinationi Capituli generalis anni 1433, qua cavetur quod contractus redemptionum non fiant, superaddimus, ordinantes quatenus declaratione, de qua in eadem fit mentio, minime expectata, tales contractus in Ordine amodo non fiant, et quod pro jam factis provideatur ad salutem animarum et ædificationem omnium, si et in quantum apparuerit providendum. » Itaque « væ filiis Adam post peccatum, inquit laudatus Gerson, quos oportet transire per viam contractuum civilium, ubi Meum et Tuum perstrepunt et altercantur. » Quamobrem idem autor nos admonet hæc Guigonis nostri legislatoris verba attendere : « Rationabilis creaturæ vera perfectio est, unamquamque rem tanti habere quanti habenda est. Tanti autem habenda est quanti est : nam pluris vel minoris eam habere, errare est. Pluris vero est anima quam esca, fides et æquitas quam pecunia. »

Cap. 3. n. 11. — Ex Charta 1433. — Ex Charta 1476. — Meditat. cap. 19.

STEPHANO MACONI FIT MISERICORDIA.

II. Hoc anno Stephanus Maconus, timens ne tum a summo Pontifice tum a Patribus Ordinis e sinu caræ solitudinis iterum abstraheretur, senectutem quamdamque infirmitatem causatus, absolutionem adeo enixe petiit, ut eam a Patribus quantumvis invitis extorserit per Chartam hujus anni, verbis notatu omnino dignis, et meritum illius breve quidem sed

efficaciter extollentibus. « Priori B. Mariæ de Gratia prope Papiam, ad suam magnam instantiam, propter senium et suas infirmitates et labores multos propter Ordinem perpessos, pro consolatione sua et requie, fit misericordia. Et quod ad aliam Domum, si eligatur, recipiendam non possit compelli. Et omnis humanitas, favor et reverentia in dicta Domo sibi præstetur, a qua emitti non possit, nisi et in quantum esset sua consolatio. Et autoritate Capituli generalis, et de consilio dicti Domni Stephani, et consensu Conventus, præficimus ibidem in Priorem Domnum Georgium, Vicarium et monachum professum dictæ Domus. » Jam ab aliquot annis Raphael Prior et Conventus cartusiæ Pontinianæ prope Senas, ubi Stephanus prima pietatis Cartusianæ elementa didicerat, audito quanto suæ abdicationis desiderio teneretur, eum sibi restitui a Patribus magnopere postulaverant. At ille importunos civium ac consanguineorum aditus fugiendi gratia, a Patribus rogavit e Domo Papiensi non emitti; quod non solum ei concesserunt, sed ipsis monachis Pontinianis silentium indixerunt ne de Stephano ultra petendo suis literis eis obstreperent. Sic autem habet eadem Charta : « Priori Domus sancti Petri de Pontiniano prope Senas non fit misericordia; et habeant patientiam super his quæ scribunt de D. Stephano, qui petiit de Domo Papiæ nolle transferri. » Monachi quoque Trisultani qui suam Domum ab eo visitari efflagitabant, tale acceperunt responsum : « Et Visitatorem quem petunt non possunt habere propter senium et longas suas infirmitates. Sed committimus Priori Portæ-cœli qui est in Curia, ut cum socio Priore vel monacho quem duxerit eligendum, habeat dictam Domum visitare, cum plenaria autoritate Capituli generalis. » Sic Stephanus voti compos factus singularique jucunditate perfusus, ob impetratum diu concupitum religiosæ libertatis beneficium (quod sui animi solamen appellare consueverat), residuum vitæ renovatus, velut aquila, in novo fervore spiritus transegit, triennio post suam absolutionem defunctus, ut suo loco dicturi sumus.

III. In Charta capitulari hujus anni, Marquardus Prior

ANNUS 1421

Vita Steph. Macon. Lib. IV, cap. 9.

In Domo Papiensi manere eligit.

D. MARQUARDUS PRAGENSIS PRIOR MORITUR

ANNUS 1421

cartusiæ Pragensis inter mortuos cum beneficio tricenarii denunciatur, unde arguuntur qui tempus mortis ejus protrahunt ad annum 1425. Jam de eo superioribus annis egimus. Quamobrem satis erit hic quædam adjicere ex Georgio Crugerio Soc. Jesu, qui vetera familiæ Wartembergiæ ex qua Marquardus ortus erat monumenta scrutatus est. Hic igitur, in Sacris Pulveribus regni Bohemiæ, postquam de Marquardi genere et conversione quædam perstrinxit, sic ejus laudes prosequitur : « Cæterum Marquardum fuisse ad famam usque doctum etiam in theologicis, vetera manuscripta adnotaverunt. Et esse profecto oportuit, ut qui Hussum Wiclefistarum antesignanum, magistrum publicum Carolinæ Universitatis, vehementer oppugnaverit ; quem postquam in hæresi obstinatum deprehendit, maximopere ipsum declinavit, ac suis declinandum tanquam formalem, ut loquimur, hæreticum imperavit. Saxeos proinde deinceps expertus est Pragenses Cartusianos Hussus, quibus venenum suum infundere per occasionem affectatæ, ut solent Pikarditæ, suavitatis et quasi Dei plenitudinis, hactenus molitus fuerat. De quo veluti coram absentibus, præsertim Dolanensibus (sive Olmucensibus) Cartusianis non una epistola expostulavit Heresiarcha : sed similes pro fide catholica vindicias in eum, unius et hi cum Marquardo spiritus, acriter in Hussum per epistolas spiraverunt. Neque in sola Bohemia aut Moravia hæ polemicæ duravere, sed et Constantiæ in generali Concilio ad ejusdem damnationem plurimum quoque contulisse per præsentiam ipsius Prioris creduntur. Verumenimvero jam tum rependerunt, et postea vicem sectarii Cartusianis primo calamo non uno deinde etiam reposuerunt, non quocumque zelo, sed plane stylo ferreo exusti, nempe Hussi talionem. » Primus quidem Marquardus furorem illorum expertus fuisset, nisi amicorum consilio, ut ante triennium diximus, summisque filiorum quos in Christo genuerat precibus devictus, opportuna fuga sibi cavisset. Expulsos Praga filios convenit apud Sedleciam Cisterciensium monasterium, ubi dum successus armorum Sigismundi regis expectat, labore et tristitia moritur

in ipsa Zedelitz abbatia.

hoc anno, vel certe præcedente, si tamen obierit die 26 Maii ut habet laudatus Crugerius. Eo mortuo, cum eversæ cartusiæ recuperandæ nulla spes affulgeret cœpit Visitator Nicolaus Crucis, Prior Brunensis, Conventum dividere et monachos, ne Cistercienses diutius eorum commoratione gravarentur, ad alias Domos Ordinis mittere, ex quibus duos ad Astheimensem missos fuisse discimus ex Charta hujus anni per quam « de duobus hospitibus ad Domum in Astheim missis e Domo Pragensi, committitur Priori Erfordiæ (Visitatori Alemaniæ inferioris) ut profiteantur ibidem, vel alibi secundum suam discretionem. » Et præterea Patres admonent præfatum Nicolaum Crucis ut tres alios in cæteras suæ vel vicinarum Provinciarum Domos distribuat : « Committimus (sunt verba Chartæ) Priori Domus Brunæ ut collocet tres monachos de Domo Pragensi, de quibus scribit; et in casu, si hoc non posset infra suam Provinciam, ut collocet eos extra suam Provinciam. » Sed dum de terrena eorum mansione Patres solliciti sunt, locum in æternis mansionibus, et pro coronis spineis quibus ab insana plebecula redimiti fuerant, immarcescibilem coronam parabat illis Deus. Nam eodem ferme tempore quo hæc in nostris comitiis de eis edicebantur, Hussitæ in Abbatiam irrumpentes, monachos tam Cistercienses (quorum Abbas aberat) quam Cartusienses interemere. Rem sic narrat Paulus Longius, coævus autor. « Anno 1421, Hussitæ rursus in furorem versi circumpositas fidelium terras igne et ferro vastarunt, et etiam in ipsa Bohemia Catholicos laicos et Religiosos eadem vesania exturbarunt ; eorum prædia, villas et oppida et monasteria flamma et gladio destruentes. Qua tempestate cartusiam trans pontem subverterunt. Item, circa Pentecostes festum, obtinuerunt montem Cuthniz, et honorabile cœnobium Ordinis Cisterciensis ibidem, Zedelitz nuncupatum, funditus diruerunt, in quo quidam Cartusienses, præfati monasterii expulsi, fuerant recepti ad tempus ut hospites. Quapropter Hussitæ excandescentes, ipsos monachos receptores cum omnibus interfecere Cartusiensibus. » Eorumdem Martyrum

Pragensis conventus dividitur.

Chronicon Ciziten.

ANNUS 1421

Cochl. Histor. Hussit. Lib. V.

Henriq. ad 28 Maii.

Balbin. Bohem. Sacr. P. I. §. 64.

Pragensium Cartusianorum mors narratur.

meminerunt Joannes Cochlæus, Chrysostomus Henriquez tam in Fasciculo Sanctorum Cisterciensium quam in suo Menologio, et plures alii. Balbinus recens rerum Bohemicarum scriptor, non solum asserit Nostros cum Cisterciensibus cæsos fuisse, sed etiam martyrium ex aliis autoribus sic describit :

« Quod ad alia properans omisit Hagecius, alii Bohemiæ scriptores Paulus Zidek vicinus eorum temporum et Bilejovius tradiderunt : Cartusienses Praga relegati et Sedlecium ad Cisterciense cœnobium progressi, remisere comitatum satellitum (de quo diximus ante biennium) ibique apud amicos Patres et fratres consedere. Non multo interjecto tempore, alia hæreticorum manus (qui postea Campestres appellati sunt) in Sedlecense cœnobium incurrit ; spoliatur rebus omnibus cœnobium ; Religiosi viri aguntur præcipites, alii exquisitis suppliciis necantur ; natant religioso sanguine pavimenta, templa et altaria sacrilegiis contaminantur. Ibi quoque Cartusienses nostri cum Cisterciensibus ab hæreticis deprehensi, religionis odio pridem prædamnati, vitam profuderunt cum sanguine. » Hæc ille ex variis autoribus ; qui tamen errant cum hanc cædem referunt ad annum 1419, eamque putant aliam a strage quæ hoc præsenti anno apud Sedlecium facta est. Quos ut Balbinus conciliet, existimat quosdam monachos cujusdam cartusiæ quam Podiebradiensem appellat, primum cæsos fuisse, deinde Cartusienses Pragenses ; sed constanter affirmamus nullos e Nostris, quicumque sint, fuisse occisos anno 1419 ; Pragenses vero tantum hoc præsenti anno cum Cisterciensibus martyrio primum fuisse affectos. De Podiebradiensibus alibi dicemus. Quidam apud eumdem Balbinum Historiæ Sedlecensis autor, martyrii genus describit dicens eos suspensos patibulis, aliisque mortibus sublatos, tandemque omnes una cum Cisterciensibus trucidatos. Et revera, in Trevirensi cartusia quædam cum folio cujusdam arboris schedula asservatur cum hac inscriptione : « Hoc folium est de arbore in qua Cartusiani Patres in Bohemia ante aliquot annos suspensi fuere. » Affirmant præterea Ger-

mani Priores tumulos eorum hodieque illic monstrari. Quo vero die necati sunt videtur incertum; Henriquezius in suo Menologio 28 Maii assignat, sed citius id accidisse probatur ex Longio asserente Hæreticos cœnobium occupasse circa Pentecostes festum, quod præsenti anno contigit die undecima Maii. Quot autem e Nostris subiere supplicium, nullibi reperio, licet quinque aut sex fuisse putem : tres videlicet quos supra vidimus ex Abbatia ad alias nostri Ordinis Domos transferendos juxta decretum Chartæ capitularis, quæ ante Hæreticorum invasionem in his regionibus recipi non potuit; et cum eis Priorem a Visitatore post mortem Marquardi institutum et in eisdem comitiis Ordinis confirmatum; et unum aut duos alios præfato Priori in procurandis destructæ Domus negotiis adjutores ab ipso Visitatore designatos. Nec multo plures tunc in Abbatia relictos fuisse probabile est, cum constet omnes qui primum Praga illuc se receperant, tunc non adfuisse. Duos quippe jam ante ad cartusiam Astheimensem missos fuisse superius vidimus; plures quoque jam alio migrasse intelligimus ex Chartis capitularibus annorum subsequentium, in quibus eorum obitus per triginta annos passim descripti occurrunt. Hos porro cæterosque passim alibi morte turpissima tunc peremptos, martyrii gloriosam palmam accepisse extra dubium esse existimat Raynaldus. Nec etiam Marquardus Prior, etsi ab Hæreticis non fuerit occisus, minus dignus est qui nomine et titulo martyris efficiatur, cum obierit in ipsa persecutione quam pro fide a pluribus annis sustinebat. Juxta namque Doctorum sententiam, Catholici pro fide vexati, si in ea tribulatione constanter usque ad mortem perseverent, non sunt privandi gloria et mercede martyrii. Idem dici posse credimus de nostro Marquardo, et de Abbate Sedlicensi, qui tempore mactatus Fratrum suorum e monasterio absens, auxilium ut verisimile est, contra invasores quæsiturus, sexennio martyribus superfuit; tricenario per nostrum Ordinem donatus post obitum quem in nostris Chartis sic designatum reperimus : « R. P. Jacobus, abbas quondam monasterii in

ANNUS 1421

Quot autem pro Christo ita periere ?

Rayn. anno 1425, n. 15.

Suarez, Contra Anglic. Lib. VI. cap. 11. n. 20.

Ex Charta 1427.

ANNUS 1421

Preces pro Bohemia a generali Capitulo indictæ,

Cedulitz, qui Cartusienses ejectos de Domo prope Pragam in suo charitative recepit monasterio. » Denique dum sic tota Bohemia ferro et flamma a suismet gentilibus devastatur, preces per nostrum Ordinem indicuntur, nempe ut « pro impetratione cœlestis auxilii adversus infideles et hæreticos persequentes Christianos, et maxime Ecclesiasticos, in regionibus Bohemiæ et locis vicinis, bona eorum dissipando et auferendo, et mortes crudelissimas eis inferendo, eosque a fide Jesu Christi et S. R. Ecclesiæ discedere compellendo; et pro defensione Principum cæterorumque Christi fidelium contra dictos Hæreticos bellantium, fiat in qualibet Domo Ordinis unum tricenarium de Spiritu Sancto. Et omnes et singulas personas nostri Ordinis exhortamur, per viscera misericordiæ Domini nostri Jesu Christi, ut frequentes et devotas fundant preces, quatenus servos suos fideles de manibus et potestate dictorum infidelium et hæreticorum liberare dignetur. » Hæc eadem verba per viginti annos in Chartis repetuntur.

ab anno 1421 ad 1440.

J. RODE TREVIRENSIS CARTUSIANUS

IV. Hoc anno, Joannes Rode, Trevirensis cartusiæ Prior, nostro Ordini ereptus, S. Matthiæ abbas constituitur, Benedictinæ observantiæ restituendæ gratia. Hic vir inter Nos celebris, inter Benedictinos celebrior, natione fuit Trevirensis, honestis parentibus, Joanne Rode et Catharina natus. In flore juventutis suæ Heidelbergam profectus, sacris Musis tam sedulo incubuit, ut brevi post intervallo SS. Theologiæ Baccalaureus, et Pontificiorum Canonum Licentiatus publice creari promeruerit. Dein, quia homo erat moribus et conversatione devotissimus, Ecclesiæ Metensis canonicus, sancti Simeonis Trevirensis decanus, ejusdemque curiæ Officialis, uno fere momento declaratus est. Sed tales honores pro Christi amore libenter despiciens, sanctum nostri Instituti habitum in cartusia Trevirensi, cunctis mirantibus, anno hujus sæculi sexto decimo suscepit, votisque religionis sequenti anno se obstrinxit. Vix biennio a professione revoluto, cum Petrus Unmutzius, ejusdem Domus Prior officia fugiens et quasi exhorrens, abdicari importune efflagitaret, Rodius,

Bucelin. German. Sacr. II. P. p. 225.

ob insignia optimæ ac religiosissimæ vitæ data specimina, in ejus locum sublegitur per Chartam quæ sic habet : « Priori Domus Trevirensis, ad suam magnam instantiam, fit misericordia ; et præficimus in Priorem dictæ Domus D. Joannem Roden, monachum ejusdem. Et in casu quo non haberet tempus congruum, (necdum enim duobus annis integris, ut Statuta nostra ad Prioratum requirunt, in Ordinis professione steterat) dispensamus. » Ast, paulo post, i. e. præsenti anno, e cartusia S. Albani prope Trevirim ab archiepiscopo Othone de Zingenheim, jussu et autoritate Martini V extractus, abbatiæ S. Matthiæ, ut eam reformaret, præfectus est in locum Herbrandi de Gulsa abbatis : is etenim, renovandæ disciplinæ metu, cessit ab abbatiali munere et ad divi Maximiani cœnobium transiens, ibi Prioris officio contentus, ævum transegit. Præfuit autem Joannes noster utilissime et feliciter, uti narrat his verbis Trithemius : « Eodem tempore, inquit, cœpit nova Ordinis S. Benedicti reformatio in monasterio Bursfeldensi, Moguntinæ diœcesis in Saxonia, a quo nostra reformatio et unio Bursfeldensis nuncupata est, usque in præsentem diem. Sumpsit autem reformatio ista exordium de monasterio S. Matthiæ prope Trevirim, cui tunc præerat insignis ille Abbas magister Joannes Rode; per quem, Ottone archiepiscopo cooperante, omnia Ordinis nostri (id est sancti Benedicti) monasteria, quæ circa Trevirim sunt, ad meliorem statum reducta fuerunt. Fuit autem ipse Joannes Rode, homo doctus, probus et magnæ devotionis, qui cum esset Metensis ecclesiæ Canonicus, Sanctique Simeonis præpositus, et curiæ Trevirensis Officialis, contemptis omnibus pro Christi amore, monachus in cartusia prope Trevirim factus est. Post annos vero aliquot, Prioratus officium, licet renuens et invitus, suscepit. Qui cum esset vir multum eruditus, vita et conversatione maturus, et pro Ordinis observantia valde rigidus et zelosus, Otto, archiepiscopus Trevirensis, de consensu Papæ, extractum de cartusia, in Abbatem monasterii S. Matthiæ ordinavit, qui monasticam vitam, secundum Regulam sancti Patris nostri Benedicti mox ibidem

ANNUS 1421

Ex Charta 1419.

fit abbas S. Matthiæ Ordinis S. Benedicti.

Chronicon Spanhem, ad ann. 1429.

Monasticam disciplinam in Trevirensi abbatia restaurat.

ANNUS 1421.

Reformationis Bursfeld. initia.

instauravit, Statuta et cæremonias instituit et monachos in omni religione et sanctitate, verbo et exemplo erudivit.

« Reformato autem monasterio S. Matthiæ, fratres misit in Bursfeldiam a Duce Brunswicenci rogatus, cum Ordinario, Statutis et consuetudinibus quas ediderat ; quos Joannes abbas Bursfeldensis cum magno gaudio et devotione suscipiens, se moribus eorum sanctis in omnibus studiosissime conformavit. Fuit autem ipse Joannes olim monachus in Reinhausen, quem Abbas suus procuratorio nomine quondam miserat ad Concilium Constantiense, eo videlicet tempore quando omnes Abbates provinciæ Moguntinæ pro celebrando Capitulo ad Constantiam per Concilium citati sunt. Ubi cum vidisset zelum et diligentiam Patrum pro reformatione Ordinis, audissetque quam sit monacho periculosum in deformitate vivere, compunctus est, et satisfacere juramento quod nomine Abbatis sui Præsidentibus fecerat, omnino cogitavit. Reversus enim ad Reinhausen monasterium, Abbati et confratribus suis (qui tunc erant deformatissimi) rem omnem aperuit; visa, audita, acta, conclusa et juramento promissa pro reformatione Ordinis reseravit : quos cum sedulo ut vitam emendarent, reformationemque promissam et indictam sub pœnis assumerent, hortaretur, cœperunt eum primo irridere, postea etiam odio habere et afficere contumelia. Videns se contemni et nihil proficere, cupiensque suæ providere saluti, ad Agnetem, uxorem Ottonis Brunswicensis, sororem Lantgravii Thuringorum, quæ tunc in Gamundia non procul a Reinhausen morabatur, devotissimam in Christo fœminam, accessit; acta et conclusa per Patres in Concilio retulit, auxilium quo satisfaceret juramento postulavit. Cujus sanctum propositum mulier sancta cum agnovisset, consilium auxiliumque impensuram pollicita est.

Joannes monachus in Reinhausen,

fit Clusensis Abbas,

« Contigit interea quod Abbas Clusensis monasterii moreretur, quod ubi Ducissa comperit, apud Ducem maritum egit ut præfatus monachus de Reinhausen in locum demortui Abbatis succederet, quod et factum est. Ordinatus autem

ANNUS 1421

Abbas in Clusa, monachus ille Joannes, omne studium pro reformatione adhibuit, et in omni sanctitate et religione subditos suos secundum Regulam præcedere cœpit : quod monachi, pravis moribus assueti, cernentes, omnes ab eo fugerunt. At ille, paucis recollectis Novitiis, eos ad puritatem Regulæ instituit; et in magna paupertate vivens, Deo servire in omni humilitate cœpit. Eo tempore, supradictum monasterium Bursfeldense ad tantam miseriam et desolationem pervenerat, quod multis annis Monachus tantum in eo degebat, cui pro sustentatione præter unicam vaccam census nullus erat : ecclesia straminibus tecta stabulum fuit adventantium pecorum, quæ olim chorus canentium fuerat monachorum. Et quamvis in extrema paupertate locus esset constitutus, placuit tamen præfato Joanni abbati Clusensi, propter solitudinem et quietem. Unde, cum voluntate præscriptorum Ducis et Ducissæ, monasterium Clusense dimittens (quod etiam fuerat pauperrimum) ad Bursfeldiam se cum suis pauperibus contulit, et ibi inchoatam reformationem, prout potuit in magna paupertate continuavit.

deinque ad Bursfeld. se confert.

« Audiens autem (abbas Bursfeldensis) famam et religionem Joannis Rode, abbatis S. Matthiæ juxta Trevirim, quomodo monasterium suum optime reformasset, constitutiones pro conservatione reformationis necessarias fecisset, essetque vir doctus, maturus, et singulariter pro religionis observantia zelosus, ad eum venit pedibus, laudabilem institutionem vidit, vitam monachorum sanctam experimento didicit, constitutionesque ab illo editas, ut sanctissimas collaudavit. Rogavit itaque Abbas Abbatem, Bursfeldensis Trevirensem, pauper divitem, Joannes Joannem, quatenus sibi de fratribus suis quosdam adjungeret, quorum consilio et auxilio reformationem in Saxonia desideratam perficeret : cujus pio desiderio Joannes Rode abbas consentiens, de monachis suis viros quosdam probatæ conversationis adjunxit, et cum gaudio ad Bursfeldiam remisit. Et ex eo tempore sancta monasteriorum nostri Ordinis reformatio per Trevirenses in Bursfeldiam originaliter transfusa revirescere cœpit, et in

J. Rode invisit,

et juxta reformationem a J. Rode introductam,

ANNUS 1421

Bursfeld. abbatiam instaurat,

paucis annis augmentata fuit. Videntes enim Principes et Pontifices ecclesiarum devotam et sanctam conversationem monachorum Bursfeldensium, singula monasteria sibi subjecta reformari ab eis cupiebant. Cœperunt ergo paulatim ex monasterio Bursfeldensi certa monasteria in Saxonia et extra atque ex illis alia reformari. Crevit autem successu temporis numerus monasteriorum Bursfeldensi unioni et reformationi subjectorum : quorum primum est monasterium illud insigne sancti Matthiæ apud Trevirim, quod ideo ante Bursfeldiam duximus nominandum : quia fons omnis reformationis Bursfeldensis ab illo in cætera emanavit. » Hactenus Trithemius.

unde Bursfeld. Congregatio emanavit.

DECRETUM CAPITULI GENERALIS.

V. In comitiis hujus anni incœpit per totum Ordinem illud tributum quod apud Nos « taxæ Capituli generalis » nomen audit. « Notificamus, inquiunt Patres, omnibus personis Ordinis quod, visa ratione seu computo de infradictis expensis, Capitulum generale tenetur et obligatur Domui Cartusiæ in notabili summa pecuniæ, ratione expensarum et sumptuum factorum tam in Capitulis generalibus quam pro unione Ecclesiæ et Ordinis. Et quia non sufficiunt ad solutionem dictæ summæ census, reditus seu proventus debiti in Cathalonia dicto Capitulo generali, nec alii reditus nec etiam eleemosynæ missæ et delatæ dicto Capitulo generali : ea propter, reditus et proventus et eleemosynæ generali Capitulo pertinentes, cedant in usum et utilitatem Domus Cartusiæ, donec et quousque sit dictæ Domui Cartusiæ satisfactum. Et ideo volumus quod personæ venientes ad Capitulum generale proxime futurum, solvant expensas suas, et hoc ad evitandas collectas pro expensis Capituli generalis imponi consuetas. »

Ex amicis et fautoribus nostri Ordinis, inter mortuos in eadem Charta recensetur « dominus Theodoricus de Hasle, sacerdos, Canonicus Hildesheimensis, ejusdem Domus secundus fundator, qui habet Anniversarium die xiv Decembris. » Obierat anno præcedenti.

* JESU CHRISTI

ANNUS 1422.

Martini PP. V Ann. 5. | Ordin. Cartus. Ann. 339. | Guillelmi III. Pr. Cart. Ann. 2.

B. NICOLAUS AD GALLICOS PRINCIPES MITTITUR

I. ORBIS a Salvatore redempti anno vigesimo secundo supra millesimum quadringentesimum, Indictione quinta decima, « cum res incidisset quæ præstantis ac singularis viri operam autoritatemque apud Gallicos inter se armis sævientes Principes postularet, Martinus Papa ad eam pro dignitate Ecclesiæ transigendam B. Nicolaum Albergati ex omnibus aptissimum judicavit. Res autem erat hujusmodi : vetus inter Joannem ducem Burgundiæ et Carolum sextum regem Franciæ bellum gerebatur ; quod accensis utrinque mutuis offensionibus eousque processerat, ut Joannes, Lutetia regni Gallici sede occupata, Carolum regem ac Reginam et Catharinam filiam in potestatem suam adduceret. Quo facinore perpetrato, accessit quod cum Joannes dux ac Carolus delphinus, ipsius Caroli regis filius, in oppido Monsterioli * de communi pace acturi convenissent, altercatione forte de præteritis injuriis orta, Joannes ab uno ex Delphini comitibus repente gladio educto per iracundiam fuit occisus. Qua re audita Philippus Joannis filius, qui Lutetiæ erat, exacerbatus Carolum regem cum Regina et filia Henrico Angliæ regi (veteri ipsius Caroli hosti atque armatum exercitum in Gallia tum habenti) tradidit. Ex quo bellum atrocius quam ante recruduit, Burgundo et Anglo adversus unum Delphinum communi armorum fœdere sociatis. Quod quieti et commodo Christianorum

Sigon. in Vita B. Nicol. c. IX.

* gallice : *Montereau.*

a summo Pontifice,

ANNUS 1422

vehementer obesse sentiens Pontifex, nuntium sibi mittendum ad ejusmodi sedandas discordias, et conciliandos si posset animos arbitratus, neminem ipso Nicolao potiorem existimavit; in quo non summa solum solertia sed singularis etiam splendesceret innocentia, quas plurimum illi autoritatis et fidei conciliaturas esse apud Reges transalpinos putavit. Quamobrem ne illi sui Romam adeundi (nam eo paulo ante Florentia venerat) necessarium onus imponeret, literas Boniam una cum ipsius rei tractandæ commentario misit, quæ adhuc servantur apud Canonicos in hæc verba :

Ex Tabul. Vatic. Regest. Martini V, f. 98.

« Martinus, etc., Venerabili Fratri, etc. Omnis pax fidelium procuratio nostra est, nobisque potissimum, qui divina Clementia in Apostolatus apice constituti, licet immeriti, Christiano generi præsidemus, hæc a Domino sollicitudo commissa est, ut inter fideles charitatem et pacem omni studio et diligentia procuremus... Cum itaque, sicut nosti, dudum gravi et atroci dissensione Principum Gallicorum pestiferum bellum suscitatum in regno Franciæ et vicinis partibus viguerit, et vigeat de præsenti cum exterminio illarum gentium et jactura gravissima totius Reipublicæ Christianæ : Nos cupientes finem tantis malis imponere, et indurata Principum corda placare, et ob hanc piam causam tam necessariæ et sanctæ pacis ad partes illas Nuntium Apostolicum destinare, qui in conspectu Principum et populorum justus et idoneus prædicator, et suasor pacis et charitatis existat; te ad hoc sanctum opus ex omnibus Prælatis elegimus, dignissimum Nuntium tantæ pacis, profecturum ad charissimum in Christo filium nostrum Henricum regem Angliæ illustrem, et ad dilectos filios nobiles viros Delphinum, etc., et Ducem Burgundiæ, et inter ipsos pacem, unitatem et concordiam tractaturum. Nam post omnipotentis Dei misericordiam plurimum in tanto negotio de tua sapientia et singulari virtute confidimus, et speramus quod ultra profundos sensus tui naturalis ingenii subministrabit Spiritus Sanctus devotioni et humilitati tuæ gratiam, ut verba nostra ex ore tuo cum fructu optimo exaudiantur. Quare Fraternitatem tuam in

de pace et concordia tractaturus.

Domino hortamur et affectuose rogamus, ut in tanti et tam communis boni procuratione Nos adjuves, et pium hunc laborem non refugias, sed pro tot populorum quiete et salute fidelium, prompta et læta mente suscipias. Quod enim facere potes meritum gratius Deo, quod utilius Christianis obsequium, quam si tot populos in summis angustiis laborantes, et tot animas, quæ in hoc miserrimo statu rerum versantur in summo periculo perditionis extremæ, Deo adjutore, tuo labore et sapientia liberabis? Cum enim charitas tua semper ad juvandos proximos sit parata, hoc in casu pro tam publica utilitate debet esse ferventior. Itaque, Venerabilis Frater, hoc tibi munus confidenter imponimus, quia cognoscimus ardorem tuæ charitatis in proximum, et erga Nos et Sedem apostolicam fidelis obedientiæ puritatem. Cæterum hac de causa te ad Nos vocare nolumus et laborem itineris duplicare; sed pro informatione tua inclusas præsentibus instructiones agendorum mittimus, et literas nostras cum copiis ipsarum literarum, quas Principibus illis scribimus super ista materia; volentes quod instructionibus suprascriptis, dicendo et agendo et negotium hoc tractando, addas et minuas secundum quod circumspectioni et prudentiæ tuæ videbitur expedire. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, quarto Idus Februarii, Pontificatus nostri anno quinto. »

Apud Pontificem se excusare tentat Nicolaus.

Ephem. Cart. loc. cit. cap. VIII.

Venit hæc deliberatio purpuratorum Patrum collegio longe gratissima totique Christianitati quam late Nicolai fama sanctimoniæ odore solertiæque afflaverat : ipse unus sui nimium ignarus cœpit improbare, defugere, labores itinerum quæ prope immensa, morborum quibus erat obnoxius, sibi ineluctabiles dicere, suique iniquus æstimator negare se tanto oneri vel idoneum vel parem; quæ cum excusaret apud Pontificem, fusius rescripsit Pontifex : « Si nostro et Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium judicio de te ipso anteponis tuum, vide ne error potius quam humilitas dici possit; Nos enim, et præfati Cardinales, cum de procuranda pace fidelium tractaremus, et multi sapientia insignes Prælati et altioris status quam tu nominarentur, in

Ex Tab. Vat. Regest. Martini V, n. 45, f. 31, Epist. 89.

ANNUS 1422

te uno quievimus, visumque nobis omnibus fuit hoc electionis tuæ a Spiritu Sancto consilium accepisse, et ex hoc rei bene gerendæ a Domino sancto auspicium datum esse. Propterea noli, Frater, sicut per tuas literas nuper respondisti, infirmitatem tuam, vel corporis aut animi imbecillitatem in excusationem adducere, cum pridem Nos hæc omnia metientes, et gravitatem causæ cum tua humilitate comparantes, discussis omnibus, quæ apud te reiterare non expedit, ita conclusimus atque firmavimus, et ad multos de Romana curia literæ diversorum nuntiarunt, te ad illud sanctæ pacis negotium continuo profecturum, quos scimus de tua electione gavisos, et plenos optimæ spei jam cupidissimis animis tuam præsentiam expectare. Quare ad cæteras rationes, quæ te debent inflammare, et cum sancta voluptate conducere ad procurationem tanti boni, non est levis a te ratio existimanda, ne videamur, te non eunte, sitientes pacem delusisse, et inani gaudio replevisse. Tuum vero animum in rectis operationibus laborantem et Domini auxilio confidentem, quæ tantæ rei moles aut difficultas deterrere potest? an nescis quia Deus quærentes pacem adjuvat? speramus enim, quod hanc pacem, Deo autore perficies : multa sunt enim argumenta quibus in hanc spem adducimur, inclinatis jam animis, et Principibus et populis fatigatis non ita difficulter, ut forte putas, persuadebis; et multa sunt insuper nuntiata Nobis, propter quæ bene speramus. Quare velis, Frater, hoc opus animo magno amplecti, et in gratia Dei sperare, quæ omnem infirmitatem tuam fortificabit, nec est tibi tantum in tuis viribus exiguis diffidendum, quantum in ejus infinita potentia confidendum; quod si etiam optata compositio non succederet, quam certe successuram esse confidimus, non propterea operam perdidisses, qui tam necessariam et salutarem pacem procurasses. Non enim ex eventu rerum, sed hominum voluntate, et conscientia recte factorum, et divino judicio, quæcumque facimus exstimanda sunt. Nullam igitur amplius excusationem quæras, sed omnipotentis Dei gratiam, quam ex hoc singulariter promereris,

Ejus excusationes negligit Martinus Papa,

eumque ad opus suscipiendum hortatur;

omnibus tuis difficultatibus anteponens, ad iter accingere, et læto animo nostræ satisfacias voluntati, cui nihil gratius facere potes, quam si, omissa omnium literarum replicatione, te quamprimum senserimus profecturum in Galliam de Bononia recessisse; quod ut facias Fraternitati tuæ in virtute sanctæ obedientiæ per præsentes præcipimus et mandamus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, secunda die Idus Martii Pontificatus nostri anno quinto. »

imo, præcipit ut faciat.

Eodem die direxit Pontifex literas ad Henricum V Angliæ regem quem hortatur ad pacem cum Gallis componendam, beatum Nicolaum eximiis ornat encomiis, eumque ad sedandas hujusmodi discordias apostolicæ Sedis Nuntium prædicto Regi cæterisque Galliarum Principibus mittere significat. Harum literarum talis est tenor : « Martinus, etc. Carissimo in Christo filio Henrico regi Angliæ illustri, etc. Tanta est apud Nos opinio pietatis et humanitatis tuæ, quod omnino confidimus vocem nostram, immo vocem omnipotentis Dei per Nos Vicarium suum in terris licet immeritum, te vocantes ad pacem, benigne et devote suscepturum; et quod etiam omni cupiditate et ambitione seclusa, quam certe in tuo regali animo regnare non credimus, in hac tanta re, a qua status universæ Christianitatis dependet, nostris et apostolicæ Sedis hortationibus et consiliis acquiesces, et publicam tot fidelium salutem tuis propriis commodis antepones. Non est opus, Fili carissime, ut commemoremus ea quæ notissima tibi sunt et in oculis tuis versantur, vastationes urbium et provinciarum, afflictiones et calamitates innumeras populorum, quæ propter contentiones et dissidia Principum Gallicorum per hos annos proximos inciderunt. Major certe est hæc clades, graviorque jactura non solum illarum gentium, quæ sunt propinquæ vel immixtæ periculis, sed totius Reipublicæ Christianæ, quam cujusquam possit sermonibus explicari; quæ mala, quæ discrimina, quos labores, cum jam dudum ex Apostolatus apice lacrymantes aspiciamus et pro pace fidelium Deum continuo suspirantes oremus, et omnes nostras curas et cogitationes ad hoc potissimum intentas

Exemplar epistolæ Martini V

Apud Raynald. ad ann. 1421, n. 20.

ad Henricum V Angliæ Regem.

ANNUS 1422

Ad pacem Regis animum inclinare nititur.

habeamus, ut inspirante Domino aperiamus aliquam salutarem viam compositionis et pacis, ad Te imprimis, quem propter amplitudinem excellentiamque regalem et vim atque potentiam militarem omnia magna posse, propter clementiam et benignitatem naturæ tuæ omnia bona velle non dubitamus, recurrere visum est : et speramus in Eo qui inspirat omnia sana et sancta consilia, quod nulla belli felicitas te faciet a salute Christianorum et pacis consiliis abhorrere. Considera præterea, Fili carissime, nullam tantam esse posse rerum humanarum felicitatem, præsertim in bello, in quo omnia varia et dubia sunt, quæ non periculis et casibus innumeris sint subjecta; ita ut plerumque qui manu tenere victoriam videantur, aliqua subita et improvisa necessitate superentur : et hæc tibi jam cognita et explorata esse confidimus, qui versaris in bellis, et nunc læta, nunc tristia æquo et forti animo pertulisti : tantaque est dubietas et vertigo casuum bellicorum, ut si nulla res sanctior animas hominum inclinaret ad pacem, tamen esset certa pacis securitas cuilibet felicitati et speratæ victoriæ anteponenda. Sed quoniam apud animi tui magnitudinem plus valere publicæ utilitatis quam proprii laboris aut periculi rationem putamus, velis, Fili carissime, cogitare et ante oculos ponere præsentem totius Christianitatis statum, et pro tua pietate et sapientia quantum potes providere ne in graviorem miseriam prolabatur : nam apud Septentrionem, ut vides, pestifera et horribili hæresi suscitata, et ad eam extirpandam tota Alemania laborante, si regna illa et nationes apud Occidentem diuturno bello inter se usque ad extremam perniciem vexabuntur, necesse est universam Rempublicam in maximis periculis et miserabili calamitate versari. Quare per misericordiam Jesu Christi rogamus et obsecramus Serenitatem tuam, ut habita ratione potius humanitatis quæ potest in pace servari, quam felicitatis quæ in bello cruento non potest esse perpetua, habitaque consideratione tot populorum qui ad extremam miseriam deducuntur, et pensato communi Christianorum statu, læto corde et prompto animo hortationes nostras et

Bellorum eventus valde est incertus.

verba nostra recipias, ac venerabilem Fratrem Nicolaum episcopum Bononiensem, virum religionis observantia, integritate et sanctitate vitæ dudum Domino servientem, dignissimum Nuntium tantæ pacis exaudias ; quem virum ex multis Prælatis eligimus propter suam insignem sapientiam et munditiam singularem, ad hoc pium et sanctum opus idoneum ; et speramus, quod Spiritus Sanctus ex hujus humilis et devoti hominis ore in cor tuum, et aliorum quorum consensus est necessarius, desiderium et amorem pacis infundet. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, etc. » ; die vero quarta decima Martii 1422.

B. Nicolaum suum Legatum apprime laudat.

Scripsit etiam Martinus Papa ad Carolum delphinum Viennensem enixe eum movens, ut depositis civilibus odiis ac diuturnis inimicitiis, pacem Gallis reddat. Egregias beati Nicolai virtutes laudat, quem pacis firmandæ studio ad ipsum misisse dicit. « Jamdudum, inquit Pontifex, de summo Apostolatus apice lacrymantes aspicimus labores tuos, populorumque afflictiones, et paterni regni calamitatem ; tibique et cæteris fidelibus qui laborant et in tanta bellorum confusione versantur, Fili dilecte, pro nostra erga te et tuos paterna charitate compatimur, et de capitis tui periculo in tanta rerum vertigine formidamus ; sed cum sola pax possit te tutum præstare, et conservare statum tuum et gentes atque provincias quæ tibi obediunt atque favent a continuis cladibus et periculis liberare, pro hac pace Deum continue suspirantes oramus, ut nobis aperiat aliquam viam salutarem hujusmodi desideratæ compositionis et pacis, per quam omni deposita memoria injuriarum, cum sanguine tuo primum reducaris in gratiam et mutuam charitatem ; deinde cum carissimo in Christo filio nostro Henrico rege Angliæ illustri, pacifice et quiete vivas. Hoc unum certe inter omnia nostra desideria primum est ; quia sic expedire cognovimus non solum tibi et adversariis tuis, et vestris populis qui vos sequuntur, sed etiam universæ Reipublicæ Christianæ ; nam apud Septentrionem, ut vides, pestifera.... ; propterea, Fili dilecte, et tui et tuorum causa, et etiam consideratione pu-

Ad Delphinum Franciæ scribit Pontifex,

Regest. Martini V. Epist. 124.

ut pro publica regni utilitate, pacem procuret.

ANNUS 1422

blicæ utilitatis, animum tuum fortasse exulceratum offensionibus, et injuriis lacessitum mitigare et per misericordiam Jesu Christi inclinare velis ad pacem Deo gratissimam, et necessariam tibi et tuis, atque utilem omnibus Christianis ; pro qua tractanda et Deo autore perficienda, ad præfatum Regem, et tuam generosam Excellentiam, et ad dilectum Filium nobilem virum Ducem Burgundiæ destinavimus venerabilem fratrem Nicolaum episcopum Bononiensem virum religionis observantia, integritate, etc. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, etc. » ; eodem die, mense et anno quo supra.

Versus Galliam iter arripit Nicolaus.

Ephemerid. Cartus. ms. loco præallegato.

Nicolaus vero noster, « quavis undique amputata Pontificii mandati declinatione, rebus tandem ecclesiæ suæ ministrorum curæ serio commendatis, traductoque ad Fratrum complexum in sua cartusia triduo, Galliam versus iter arripuit, die 25 Aprilis, comite (ut semper alias) e Cartusianis monacho, Nobilium Bononiensium stipatus frequentia et communi omnium expectatione oneratus, futurum omnino ut per eum conficeret Deus quod jam humanitus non posse confici videbatur. Quacumque iter illi erat, ingens sui relinquebat tum desiderium tum vestigia impressa præclarissimæ virtutis ; exempla illius probitatis et comitum mores nihil olebant a cartusia alienum, hoc est a schola sanctitatis ; pietas ab ejus comitatu et familia abscessit nunquam : nempe ab initio initi honoris, non hospitium modo apud illum nacta, sed thronum. Crescit interim (contra quam usus est) mora ipsa Nicolai existimatio in aula Galliæ, augeturque præsentia famæ ipsius decus ; negat Rex se hominem vidisse magis ambitu procul et cupiditate, magisque ad veræ virtutis effigiem omnesque sanctitatis numeros conformatum ; quod idem Rex Angliæ postea fassus est. Accedit ad celebritatem hujusce nominis, magnæ opinionis existimatio quam apud Pontificem sustinebat variis occasionibus se prodens : ut in dando Tolosanæ Ecclesiæ pastore, quam literis etiam regiis commendatus non obtinuit priusquam de illo ad Papam Nicolaus retulisset ; atque hæc famæ celebritas tam honorifice pervagata, pronos illi ad tractandam pacem aditus paravit. Tractabat

A Rege honoratur.

Eum vel commendare,

ANNUS 1422

de illa cum hominibus interdiu, noctu vero cum Deo ; erant verba loquentis ignea et lingua ex eis una quas olim cœlum in Apostolos divisit. Et huic eidem negotio legavit quidem a latere Pontifex Cardinalem Portuensem, genere, doctrina, probitate conspicuum ; sed tamen Brevi pontificio duplici potestatem Nicolao dedit ad cœptum negotium aut per se aut cum Cardinali peragendum : inde affulget impressa Pontifici Nicolai existimatio; quin et Amædeum Sabaudiæ ducem quum per idem tempus optasset intervenire negotio, spes suas potissimum in Nicolaum recumbere haud obscure ostendit, cum ad res licet in Italia atque adeo Bononiæ turbatas, necessariam illius operam nisi certa hac lege non accivit, si nempe regnorum illorum pacisque rationes id sinerent. Quare ad sustinendas illic moras submisit auxiliariam pecuniam, cujus erat tanto egenior quanto in egentes profusior : quamobrem est a sancto Antonino, quam inusitato tam glorioso encomio, pauperum pater nominatus. Pecuniæ quoque solatium addidit longe acceptius, Urbanum Florentinum excellenti virtute Cartusianum, proinde in paucis Nicolao charum, quem interea negotia pacis habebant occupatissimum ardentique in miseros populos caritate urgebant. Erant vero illius in suadendo rationes non humanis tantum, sed et æternis præsertim haustæ principiis. Has ultro citroque suggerebat, perorabat, tonabat Nicolaus ; Deo se pacis victimam vigiliis, inedia, omnique afflictionis genere mactabat ; jamque voti ac precum præter opiniones mortalium compos factus, adduxerat animos in procinctum pacis componendæ, cum ductis eo in munere octodecim mensibus, laboriosa sementis messe matura fraudatus est. Eodem ferme tempore ambo Reges, o Providentiam humanis adorandam non pervestigandam judiciis ! duo, inquam, pœne simul extincti Reges. Pax luci proxima abortum fecit. » Et revera obierant rex Angliæ Henricus, die XXXI Augusti ; et Carolus rex Franciæ, die XXI Octobris : simulque cum eis mori visa est omnis spes unionis conciliandæ : amborum namque Regum animos, dictis aut factis, precibus vel minis, fere ad pacem

vel sustentare,

vel recreare nullo modo omittit Pontifex.

Ambo Reges moriuntur.

ANNUS 1422

inclinaverat Nicolaus; ast qui nunc in Gallia primas tenebant, videlicet Carolus VII et Philippus dux Burgundiæ, imperiti juvenes, in se confidentes, rem ad arma deduci studebant, nec dociles pacificis Nicolai monitis præbebant aures. Quo viso, quin tamen animum demitteret, Albergatus noster Martinum Pontificem rogavit ut Legatum a latere mitteret: tali etenim medio tamdiu desideratam tranquillitatem facilius dari sperabat. Annuit Pontifex, sed primo ad Burgundiæ Ducem, ut eum ad amplectenda pacis consilia hortaretur eique beatum Nicolaum (cujus virtutes summopere extollebat) vehementer commendaret, sequentes die vigesima quarta Novembris dedit literas:

Legatum a latere mitti petit Nicolaus.

Pontificis epistola ad Burgundiæ Ducem.

Regest. Vatic. Martini V. Epistol. 58.

* Anno scilicet 1418.

« Martinus, etc. Dilecto filio nobili viro Philippo duci Burgundiæ, etc. Quamprimum fuimus divina favente clementia ad apicem summi Apostolatus assumpti, nihil magis curæ fuit Nobis, quam pacem regnorum Franciæ et Angliæ procurare, et hac pro causa transmisimus ad eas partes * venerabilem fratrem Jordanum episcopum Albanensem, et dilectum filium Guillelmum tituli sancti Marci presbyterum, sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, apostolicæ Sedis Legatos, qui animos Principum inclinatos in bellum mitigare juxta nostrum desiderium nequiverunt; sed non propterea minus ardens atque sollicitus in hoc proposito animus noster est factus; immo tanto magis ac magis in desiderio hujusmodi pacis quotidie accensus fuit, quanto in dies majora belli detrimenta, strages urbium et desolationes provinciarum, cædes hominum et etiam tui status et capitis periculum nuntiabantur; quæ cupientes avertere, et te incolume illud catholicum regnum Franciæ a tantis cladibus liberare, postea venerabilem Fratrem nostrum Nicolaum episcopum Bononiensem, virum devotum, et in fervore spiritus Domino servientem ad te misimus, et ad alios Principes a quorum voluntatibus pax dependet; et quamvis præfatum Episcopum idoneum et utilem in hac sancta procuratione Nuntium judicemus, tamen pro nostro desiderio singulari non videmur nobismetipsis satisfacere, nisi et venerabilem fratrem

Verbis extollit Nicolaum.

nostrum Ludovicum episcopum Portuensem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalem, cum plenæ Legationis officio ad hoc pacis negotium deputamus; magnam, ut speramus, in præfato regno autoritatem et gratiam, merito dignitatis et sanguinis habiturum, et gratum mediatorem Excellentiæ tuæ futurum. Te vero, Fili dilecte, rogamus, et obsecramus per misericordiam Salvatoris nostri, ut animum tuum inclines ad pacem; nihil tibi et tuis melius dari potest : nam solo pacis beneficio parari potest tranquilla securitas status tui, et tu cum tuis fidelibus a tantis vexationibus respirare. Velis igitur, et tui particularis et publici boni causa, iram etiam justam deponere et te paratum ad donandam veniam exhibere, et quod facere debent viri Deo devoti et illustres in sæculo, injuriarum omnium oblivisci. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, VII calendas Decembris, Pontificatus nostri anno VI. »

ANNUS 1422

Dein Martinus Papa beati Nicolai usus consilio, calendis Decembris Legatum creavit Portuensem Episcopum, sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalem, Ludovicum scilicet Barri ducem, regia ortum prosapia (matrem quippe habuit Mariam Joannis Franciæ regis filiam). Et quum ad pacem inter Reges et Principes sanciendam renuntiaret Papa prædictum Ludovicum, eum monuit ut consilio atque opera beati Nicolai in hujusmodi negotio uteretur omnino. Pontificiæ commissionis tenor sequitur, et est talis : « Martinus, etc. Venerabili Fratri Ludovico episcopo Portuensi sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali, apostolicæ Sedis Legato, etc. Cum fuerimus semper, et simus ad omnem pacem fidelium procurandam sincera voluntate dispositi, præcipue regni Franciæ Nos cura sollicitat ; et ut illud aliquando videremus in seipso, et cum regno Angliæ, cum bono utriusque regni statu compositum, maxime optavimus. Dudum itaque ad hoc ipsum opus intenti, in ipso nostræ ad apicem Apostolatus assumptionis initio, venerabilem fratrem Jordanum episcopum Albanensem, et dilectum filium nostrum Guillelmum tituli sancti Marci, presbyteros sanctæ Romanæ Ecclesiæ, de latere no-

Ludovicum Barri ducem et Ecclesiæ Cardinalem,

Regest. Martini V. Epist. 99.

Legatum a latere renuntiat Martinus V,

ANNUS 1422

stro transmisimus ; et nonnullos alios Prælatos et honestos viros, per quorum diligentem operam furor incipiens restingui non potuit et contundi, nec Principum calescentes animi mitigari. Postea vero nostro de hac desiderio non cessante, transmisimus illuc venerabilem fratrem nostrum Nicolaum episcopum Bononiensem, quem propter integerrimam vitam ejus et observantiam Religionis in lege Domini, existimavimus gratum Deo Nuntium, et ad hoc pium opus idoneum. Nec propterea destitimus per Nuntios et literas incitare alios quoscumque credidimus ad hanc concordiam afferre aliquid operis posse, et præsertim dilectum filium nobilem virum Amædeum Sabaudiæ ducem, sperantes interpositionem suam in hac compositione multum posse proficere. Sed cum hoc et plura fecerimus pro hac pace, quæ narrare non expedit, cor nostrum pro ardenti desiderio non quiescit, nisi eam perfectam et absolutam videamus ; ad quam rem personam tuam multis rationibus opportunam esse putamus, et propter autoritatem et gratiam quam habes apud omnes, merito dignitatis et sanguinis, et propter illarum rerum cognitionem et sapientiam tuam ; quæ res cum tua sincera et ad bonum publicum inclinata voluntate conjunctæ, Nobis spem de optimo effectu certissimam pollicentur. Videbimus etiam libenter rem tantam per manus tuas concludi, qui es honorabile Ecclesiæ membrum, et hoc arbitramur plurimum ad honorem nostrum ac tuum et ipsius Ecclesiæ pertinere. His igitur considerationibus moti, te Legatum de latere, ad ista feliciter Deo propitio exequenda, et statum regni Franciæ componendum in pace, creavimus ; sicut per nostras literas legationis poteris intueri. Et sic circumspectioni tuæ de qua summe confidimus, præsentium tenore committimus et mandamus, quatenus te conferas ad ea loca quæ hujusmodi tractatui magis opportuna cognoveris, et cum quibuscumque Principibus, Dominis, Magnatibus, Communitatibus et Universitatibus expediens esse putaveris, pacem hanc et concordiam procurando, dicas et facias nostro nomine quidquid fuerit visum prudentiæ tuæ, quam sine alia directione nostra

sperans rem absolvere posse Ludovicum merito dignitatis et sanguinis.

Nicolaum Legato unice commendat.

ad hoc negotium instructissimam judicamus; et placet etiam Nobis quod præfatus Episcopus* non discedat, sed eumdem advoces et consiliis tuis admittas, ut circa aliquod ministerium exercere eum possis : nam parebit ipse libenter præceptis tuis, et humilitate et bonitate sua, et his nostris admonitionibus; tu autem in eo viro reperies, præter contemplationes ejus erectas in Deum, in humanis etiam rebus prudentiam atque fidem, et in practica tanti boni studium indefessum. Speramus enim in Domino, qui inspirat sancta consilia, quod Principes et sequaces eorum, a quorum voluntate pax ista dependet, tuis admonitionibus flectentur, et Spiritu Sancto dirigente prudentiam tuam, consiliis tuis nullatenus repugnabunt, cum sint etiam bello diuturno et cladibus innumeris fatigati. Propterea, venerabilis Frater, in hac tanta rerum opportunitate exhibe alacri animo te paratum, et suscipias causam hanc sanctam tua virtute et sapientia dirigendam, in qua simul et Dei gratiam et hominum benevolentiam promereberis; ut gentes, civitates, atque provincias ab extrema pernicie liberando, et honorem nostrum et Ecclesiæ, quem scimus tibi esse carissimum, in conspectu Principum et populorum amplificando, valeas adjuvare. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, calendis Decembris, Pontificatus nostri anno VI. »

ANNUS 1422

* videlicet B. Nicolaus Albergati.

Exhortatorias Martinus ad Nicolaum scribit literas.

Paulo post id est die vigesima nona ejusdem mensis Decembris, exhortatorias scripsit Martinus ad Nicolaum literas, qui enixe ex officio amoveri postulabat : « Audivimus, inquit Pontifex, et intelleximus diligenter dilectum filium Urbanum de Ordine Cartusiensi super his quæ ex mente tua nobis exposuit; sed quanto magis consideramus publicum bonum pacis, et quam acceptum obsequium Deo præstetur in ejus procuratione, per te præsertim cujus operationes indifferenter omnibus gratæ sunt, tanto reddimur in hoc proposito firmiores, ut nullo modo discedas sed tractatum pacis incœptum Deo propitio prosequaris. Propterea fraternitatem tuam hortamur ac etiam ex corde requirimus, ut pro tanta et tam publica utilitate, et pro nostro et Ecclesiæ honore,

ANNUS
1422

studeas perficere quod cœpisti et pacem omnino procures secundum quod tibi tua discretio et conscientia suadebit. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, die XXIX Decembris, Pontificatus nostri anno sexto. » Reliqua hujus legationis Beati Nicolai in partibus Galliæ anno sequenti prosequemur.

FUNDATIONIS CARTUSIÆ VENETANÆ OCCASIO.

II. Cœpit hoc anno cartusia in insula S. Andreæ ad littus, in urbe Veneta, instigante sancto Bernardino Senensi qui ad tale propositum valde fuerat inclinatus, visis quæ in honorem Petri Petronii Deus patraverat miraculis, quum hujus beati Viri corpus post sexaginta annos incorruptum levaretur. Audiamus autorem Vitæ nostri Petronii ita narrantem :

Bartholom. Senens., apud Acta SS. XIX Maii, c. XI.

Anno 60 post Petri Petronii mortem,

« Sexagesimus jam agebatur annus a Petri morte, cum Deus ejusdem Petri sanctitatem clarissimis signis et miraculis ad ejus tumulum in dies magis ac magis illustrabat. Quibus quidem signis adeo Senensis populus pristinam suam erga beatum Patrem fidem et religionem retinebat, ut cum cives tum exteri Maggianam cartusiam studio invisendi sepulcrum sancti Viri frequentissimi peterent, suæ inde pietatis et fidei illustria reportantes testimonia, qua ad animi qua pariter ad corporis incolumitatem consequendam. Cumque res nullo impedimento e sententia flueret, maxime propter urbis propinquitatem, eo illorum temporum cœnobii Patres devenerunt ut secum ipsi identidem reputantes animo, frequenti revera ad eos populorum accessu spiritualem suam interturbari quietem, adversum maxime sui Ordinis spiritum, cogitare cœperunt de Petri exuviis alio transferendis : cum aliam tum rationem inire se non posse animadverterent, qua salva cœnobii existimatione, tanta hominum frequentia ab continuato tot annis instituto abduceretur. Ergo in unum convenientes, statuunt rem omnino gerendam esse. Eo proinde cum in peristylii cœmeterio sacris beati Viri exhumandis reliquiis clanculum adhibiti essent fossores, ne quid indicii foras manaret ; factum est ut dum opus urgent pertinaciter, unus ex illis inter effodiendum alterum sancti Viri crus ligone percusserit. Quo nihilominus æquali cura cœptum prosequente, paulatim demum egesta terra, totum sese sa-

quieti suæ consulturi Cartusiani ejus corpus alio translaturi,

ANNUS 1422

crum cadaver in conspectum dedit, non modo omnibus (mirum dictu !) integrum membris perinde atque sepulturæ traditum tunc primum fuisset, sed (quod longe mirabilius extitit) simul atque per subducta illius adhuc integra vestimenta, inspiciunt ex percusso crure cruoris purpurei manare rivulos. Magis ac magis in admirationem rapti, miraculum miraculumque inclamant, et in Dei mox præconia laudum prorumpunt : rem insignis prodigii loco habentes, corpus videlicet spiritu tot annos destitutum, incorruptum et a nativo splendore parum dissimile inveniri ; quando ne telluris quidem uligo, cujus est mephitim exhalare, longa tot annorum serie sacrum illum thesaurum ipsa obrutum humo, ulla ex parte corrumpere aut labefactare potuerit. Honorificum plane Dei munus, quis neget ? Quod sane defuncti beati Patris claram atque illustrem integritatem arguit. Cumque tanti miraculi fama in urbem irrumperet, factum est ut turmatim cives ac populares ad cartusiam multo frequentiores quam antea confestim affluerent, quo corporeis oculis eum agnoscerent exhumatum, quem sepultum ingenti cum veneratione diu fuerant prosecuti : scilicet læti suam erga beatum Virum animi religionem divino prorsus testimonio propalam comprobari. Neque propterea tum monachis integrum fuit confluentium multitudinem quavis ratione coercere. Ad venerabile cadaver ubi ventum est, alii illud exosculari, alii precarios globulos applicare, alii frusta vestimentorum pietatis ergo discindere, alii alia ratione illud venerabundi contingere. Hæc dum agitantur, tantæ rei excitus rumore vir sanctissimus Bernardinus Senensis (is qui Franciscanam labentem familiam erexit et ad veterem sui Instituti severitatem et disciplinam revocandam adduxit) ad Maggianam cartusiam convolat continuo, ejus videndi gratia de quo præclara jam inde suos inter sodales Societatis beatæ Mariæ virginis adolescentulus inaudierat. Quo ut advenit, in defuncti corporis ruit amplexus, pia virgineis carnibus figere oscula ; nec inde se prius extulit quam dulces in lacrymas effusus, egregiam de beato Viro ad circumfusam multitudi-

integrum reperiunt,

ad quod cum aliis S. Bernardinus accedit,

ANNUS 1422

nem laudationem habuit. Inter hæc veteribus miraculis nova adduntur, quod ad sancti Viri cadaver cæcis visus restituitur, elephantiaci mundantur, capti auribus integrum recuperant auditum, claudi gressum accipiunt, quamplures insanabili morborum genere labefactati commodam valetudinem assequuntur, et alia id genus mirabilia ad confirmandam Petri sanctitatem vi divina patrantur. Quibus de causis monachi, et qui vel imprimis eis tum præerat, majores quam antea in angustias conjecti, mire æstuabant animo. Denique divino præsidio opus esse rati in præsentia, ne quid hominum concursu in rem monasticam detrimenti Domus acciperet, neu tumultu aliquo, consulto concitato, sacrum thesaurum amitterent; idem ipse cœnobii Pater, una cum reliquo monachorum cœtu ad defuncti corpus accedens, hæc verba fide plenus effatus est : Te precor atque adeo tibi, Pater beatissime, jubeo, ejus videlicet sanctæ obedientiæ virtute cujus nexu præpotenti te Deo atque Ordini nostro in hoc cœnobio mancipasti, ab miraculis patrandis ut absistas; ne quod tantopere Cartusianæ disciplinæ adamasti Propositum, apud nos perturbet hominum celebritas. Hæc ubi Præsidens dixit, res mira! simul ipsum sacrum cadaver a miraculis edendis cessavit, simul confluentium multitudo a concursu et impetu conquievit, omnibus qui aderant stupore plane attonitis. Ab hisce peractis Patres sanctissimo consilio optimum fore existimantes, ne amplius in defosso pretiosum illud pignus asservaretur, novo lateritio tumulo ad radices sacræ campanariæ turris e regione cœmeterii constructo, in eum Cartusianæ simplicitatis jura nihilominus retinentes, noctu recondunt iisdem cœnobii Patribus rei dumtaxat consciis; quos etiam præcepto cœnobii Moderator adegit, ne cuiquam externo patefacerent unquam quo loci rursus depositum corpus conditum esset : cum eo tamen, ut unus alteri, alter vero alii in posterum, atque ille deinceps alii eorum solummodo qui Maggianæ cartusiæ pro tempore forent alumni, rem secreto aperiret ; quo continuata personarum successione cum aliqua ex parte posteritati consuleretur, tum vero pretiosum pignus

multique ægri sunt curati.

Sed, mandante Priore, cessant miracula

et corpus denuo reconditur.

apud se Patres tuto perpetuoque incolume custodirent. Quæ cuncta ad nostra usque tempora inviolate servata, ad extremum tum mihi superioribus annis in Florentina cartusia degenti, tum aliis in locis hisque præcipue in tectis, a priore e duobus illis Patribus quorum paulo ante mentio facta est indicata fuere, locusque pariter sacri sepulti corporis commonstratus. Qui quidem Pater, Ignatus Burghesius Senensis nomine, vir gravis octogesimum et amplius ætatis annum agens, in hoc Maggiano cœnobio ubi Religionem professus fuerat, viginti quatuor jam abhinc annis, ex hominum vita cum pietatis laude migravit ad superos.

« Interea S. Bernardinus, iis minime contentus quæ ad laudem præconiumque Petri nostri in Maggiana cartusia gesserat, duobus etiam post annis ab invento ejusdem Petri corpore, Venetias concionandi gratia profectus, cum in privatis Nobilium virorum circulis tum e superiori loco ad Primores clarissimæ civitatis, ita de Petri laudibus et sanctimonia, itaque de Cartusiensium familia copiose ac vehementer locutus est, ut in hæc verba perorasse dicatur : Habetis, Patres amplissimi, habes inclita Veneta urbs, in insulis quæ circum te sunt, quam multa cœnobia multis referta Christi militibus ; quæ cœnobia tanquam celsissimæ turres ac firmissima propugnacula, a facie Aquilonis longe majori tibi sunt præsidio firmiorique munimento adversus hostiles incursus atque inimicorum fidei irruptiones, quam quæ ex alto stagnantes aquæ te undique crebris æstuariis circumluunt : quando horum Dei militum virtus et studia tibi ad bene beateque vivendum sunt incitamento pariter et documento, tibique salutaribus divinæ legis præceptis et hortamentis muniunt iter ad cœlestem felicitatem comparandam. Atqui tum vel maxime perpetuis præsidiis perpetuum te firmam beneque munitam fore existimabo, si ad strenuos hosce propugnatores, stationarios quoque milites adjunxeris : nimirum si Cartusianos in urbem accieris, quorum ea est virtus atque animi fortitudo, ut dum suis inclusi castris aliorum militum contemplantur pugnam et egregiam

S. Bernardino apud Venetos perorante

in laudem Cartusiani Ordinis,

ANNUS 1422

admirantur virtutem, ipsi tamen sine ferro profligent hostes atque conficiant. Hæc etenim fortium militum cohors illa est, qui cum cæteri urbici milites suis ex stativis prodeunt, ut verbi Dei gladio prælia Domini prælientur adversus vitiorum monstra teterrimæque infernalis belluæ impetus ; hi, inquam, ceu bene parati vigiles ad sacras excubias agendas, non secus atque Moyses puras in cœlum levantes manus, manus præliantium jugi oratione ac divinarum rerum contemplatione roborant ; sic ut cæsis fugatisve hostibus victoriam dimicantibus obtineant. Illorum quidem est pugna, sed non ambigitur horum esse victoria : quod ut illis detur vincere, hi merentur divinitus impetrare. Ex hac veterana cohorte atque ex hisce Cartusianis castris, alterum nempe divinum Moysen proxime præteritum sæculum prodiisse vidit, qui divino certe oraculo cœlestes iras in omnes mortales intentas, præclaris suis apud Deum meritis et sanctimonia dum esset in vivis deprecatus est, ac Numen placatum mundo assiduis precibus reddidit atque conciliavit ; quem cum Senarum civitas procreasset, hisce proximis annis in eadem natali sede, hisce etiam oculis, sacrum ejus corpus admirabili Dei munere integrum incorruptumque, licet sexaginta annos humo coopertum, aspexi. Ergo exploratissima horum militum virtus sit tibi, urbs clarissima, præsidio et ornamento; horum preces, horum studia et exercitationes pietatis, horum, inquam, merita atque suffragia in rebus tuis duris, tuam apud Deum causam defendendam suscipiant; te inter bellorum turbines incendiaque tueantur ; tibi adsint cum turbulentissimis fluctibus et procellis impeteris; ac tibi in omne tempus scelerum veniam impetrent perinde ut Moysis oratio Israelitis, duce Josue dimicantibus, victoriam obtinuit.

et de Petri Petronii incorrupto corpore,

« Hæc divinus præco Bernardinus. Quæ sane tantos in gravissimorum animis Senatorum motus fecerunt, ut communi omnium consensu Cartusianos in urbem accersendos esse cuncti annuerent. Quod et factum est. Siquidem nostri Ordinis accitis Patribus, insula Sancti Andreæ ad Littus

cognomento, omnium quæ Venetam civitatem ambiunt maxima, una cum cœnobio Eremitanorum Fratrum qui tum propterea ex ea dimissi alio designati fuere, attributa fuit anno a Christo nato millesimo quadringentesimo vigesimo secundo, Francisco Foscaro Venetorum duce. Cujus rei biennio post Pontificia diplomata data sunt, quorum autoritate cœnobium ipsum totius Ordinis corpori et unitati, Martino V Pontifice, fuit insertum. Et cum illud brevi deinde interjecto tempore ad Institutum Cartusiani propositi Patres accommodarent, accito ad illud regendum e cartusia Florentina Mariano Volaterrano, dici vix potest quam pia animorum contentione nobilissimi quique patricii laborarent ut sibi suæque genti familiaria sepulchra in eo extruerent, quamque Nostris bene cuperent : exemplo crediderim provocati non mediocriter sanctissimi viri Laurentii Justiniani, primi Venetiarum Patriarchæ, qui (ut tenet fama multorumque literis traditum est) Cartusianis nostris adeo familiariter utebatur, ut unus ex illorum numero facile censeri posset ; captus mirabiliter Pater augustus consuetudine Francisci Tarvisani ejusdem Venetæ cartusiæ per idem tempus habenas moderantis ; viri non insigni modo eruditione, sed, quod pluris est, ad conciliandos et inextricabili nexu virtutis conglutinandos animos, angelica quadam puritate eximie præditi. Hæc de condita primo Veneta cartusia adscribere placuit, scilicet illectis idonea opportunitate Petri nostri corporis translationis ; cujus quidem animam in cœlis ovantem confidimus beata immortalitate circumvestitam in ævum perpetuum. »

ANNUS 1422

Cartusiani ibidem admittuntur.

III. Venerandus Pater D. Stephanus Maconi, ad amicam cellam tandem restitutus, unice Deo adhærere studuit usquedum a divino Remuneratore suarum mercedem virtutum acciperet ; de istis virtutibus sit nunc nobis sermo, et primum quidem de ejus ardenti in Deum charitate, deque eximia in Sanctos devotione. « Stephanus igitur, ait Bartholomæus Scala, tanquam sui juris factus publici oneris levamento, et tanquam in ætatem et valetudinem integram revolutus, unam

DE STEPHANI MACONI VIRTUTIBUS.

Vita Stephani Maconi, lib. V. c. I.

ANNUS 1422

sibi domi cellarum selegit quam suarum curarum requiem, quam fessæ ætatis solatium haberet, et in cujus gremium supremum spiritum exhalaret. Hic venerabilis senex per omnia fere vegeti robustique monachi privata munera animo versans, gestiebat interdum ea factitare in rebus divinis tractandis quæ cæteroqui per senium minime ei licebant, secum sæpe conquerens se inutile inaneque pondus factum super terram. Verumtamen cum Deo expleri nunquam videretur, hinc erat quod plerumque noctis transigeret in divinarum rerum commentationem intentus, ut olim jam in Pontiniana cartusia sæpe fecerat, cum primo rei monasticæ rudimentis operam daret. Quod ubi in hac Ticinensi cartusia ejus cubiculi administri Religiosi animadvertunt, veriti ne hujusmodi animi contentio in tam exacta ætate mortem sibi approperaret, obtestantur et obsecrant sibi ut parcat senioque indulgeat. Quibus ille : Sinite, inquit, filii, sinite hæc effari. O me beatum! si mors mihi ingrueret in Dei mei recordatione versanti. Quid enim expectamus, dum scilicet lectulo affixos ingenii viribus ac corporis nos prorsus effœtos mors inveniat? Jam satis superque genio indulsimus. Jam tempus est quo ad Deum conversi, curemus pro virili ne nobis aversum se præbeat in tempore suo. Hæc viro Dei pleno dicente, tantumque non lacrymante, contrahebant servi sese; et mœstitia pariter et admirabilitate affecti cœpto desistebant. Porro Sacrum quotidie Stephanus faciebat si per adversam valetudinem liceret; sin templum ingressus ac humili scabello assidens vel in genua procumbens, prout corporis constitutio requirebat, ad expandendos animi sui sinus rebus divinis insistebat, prorsus ut interdum totus immotus staret ad divinæ auræ influxus recipiendos. Interdum vero humi in faciem projectus, tamdiu eo corporis habitu hærere dum aliorum ope ad cubiculum deduceretur. In quo tanta quandoque mentis dulcedine perfundebatur, ut gaudio gestiret incredibili; præsertim cum peracta re divina ad idem cubiculum reveniret. Silentio minime prætereundum est quomodo Stephanus se haberet erga Deum dum iter faceret.

Ejus pietas,

præcipue dum Sacrum facit;

et studium erga Deum,

Namque vir beatus noster, eques vel pedes ambulans, statim atque ad destinatum locum hospitiumve pervenisset, in genua palam se projiciens ante sacram quampiam iconem, divinæ precationi se dabat mox ut ocreatus erat : ubi aliquod per temporis intervallum cum pie cœleste Numen adorasset, ita ut tota domus ad ejus conspectum interna admonitione compuncta staret, surgebat indidem, templum vel ædiculam si prope adesset initurus, non ad horarias tantum preces de sacro codice recitandas, verum etiam (ut mea fert opinio) ut in interioris animæ cellæ penetralia ingressus, ex admonitu suæ olim seraphicæ Matris ad calculos cogitationes omnes suas vocaret, quæ eodem die mentem ejus obequitantis subierant. Postremo sobria cœna refectus, in cubiculum se recipere in quo ad multam noctem longas trahendo vigilias, cœlestibus commentationibus vacabat; nihil aut parum sibi otii relinquens quod necessariæ quieti tribueret. Ad hæc singulari pietatis studio ferebatur in Deiparam Virginem, quod ad solemnes quotidianasque in ejus laudem institutas precationes pronunciandas, cum præcipua veneratione ejus dies festos lætus agebat, tum precarium sertum manu sæpe versans atque eamdem Dei Matrem singulis in orbiculis ex usitata formula salutans, ubi ad verba illa *sancta Maria mater Dei* deveniret, totus exultare lætitiis videbatur; apud animum suum reputans quomodo virgunculam æterni Dei Genitricem effectam, patronam simul et adjutricem humanum genus haberet, suum ad Filium Deumque nobis propitiandum. Neque his plane contentus, ubi se ferret occasio de eadem cœli Regina verba faciendi, protinus de illius humilitate, puritate, clementia cæterisque divinis virtutibus ejus et attributis, tanto cum animi sensu, lacrymis per os ejus manantibus divinæ dulcedinis, disserebat, ut qui præsentes aderant ad alendam jucundius ejus venerationem subditis divini amoris facibus incenderentur. Atque talibus hisce exercitamentis Stephanus suum aliorumque animum ad veram sæpe pietatem erga misericordiæ divinam Parentem excitans, monstrabat in cœlis potius quam in terris animo versari.

ANNUS 1422

maxime dum iter ageret.

In Virginem Mariam ejus devotio.

ANNUS 1422

Quo religionis cultu B. Catharinam prosequebatur,

« Secundum Deum Deiparamque Virginem, efflorescebat Stephani pietas in divam seraphicamque virginem Catharinam Senensem, et jure quidem optimo. Illi enim omnium mortalium maxime quidquid boni haberet, modo in se boni quidpiam ut fatebatur inesset, secundum opem divinam referebat acceptum. Per eam quippe malitiam veteris hominis initio deposuisse ferebat, per eam novum induisse affirmabat, per eam denique ad novam et animæ et corporis vitam revocatum fuisse asserere non dubitabat. Recordatus vel maxime ea divinitus adjutrice præsentissima evasisse vitæ pericula, et eadem opitulante ab illius e terris abitu, magnis perfunctum molestiis in republica sui Ordinis administranda inter Germanos vel in primis versantem non negabat, ad Antonium Naccium Dominicæ familiæ sodalem scribens. Non injuria igitur cum sermo opportunus incideret de ea loquendi, sanctam hanc virginem modo matrem suam appellare, modo divam, modo patronam ac tutelarem in terris cœlisque simul auspicemque vocare. Enimvero jurati testes affirmare non dubitarunt, viri honestissimi Thomas scilicet episcopus Emonensis e nobili Paruta gente, Dominicanus, atque Angelus Salvettus, se quandoque in congressum colloquiumque venisse cum Stephano, præclara de hac virgine narrante miro ac teneriori cum sensu pietatis ardoreque spiritus, ut præ divini æstus dulcedine totus colliquesceret ad ejus recordationem; et in dulcissimas lacrymas abiens, monstrabat angustum sibi esse pectus, nec animum capere posse quæ de ejus eximia raraque sanctitate sentiret ; adeo ut per illius erga se patrocinium apud Deum, quin potius per indubia ejus promissa cœlestem æternitatem consecuturum speraret. Si enim, secum ratiocinans, in humanis cum ageret hæc virgo beata mei tutelam tanta gerebat cum cura, ut quotiescumque peccassem ut primum ad eam adivissem edoctam divinitus quæ imprudenter admiseram, extemplo me amantissimis verbis castigaret, asseverans se longe acutius intueri remotam quamlibet quæ ipse agerem, quæque animo cogitatione-

a qua tanta acceperat beneficia.

que versarem quam egomet eadem actitans : cur ejus tutelam mihi sperandam esse diffidam, præsertim cum hinc e terris in cœlum abitura magis mihi se inter cœlites immixtam opitulaturam promiserit, quam fuerit olim apud mortales degens benefica patrona? Ergo Stephanus patrocinium divæ virginis tum in terris versantis tum cœlo divitis jam toties expertus, tantisque ejus maternæ charitatis officiis divinisque promeritis provocatus, facere non poterat quin suam hanc Divam in dies magis suspiceret atque omni studio venerationeque prosequeretur, eumque cultum illi privatim attribueret exhiberetque perinde atque inter cœlites Apostolico judicio jam tum foret adscripta. Quæ beati Viri in virginem seraphicam religionis studia augebant pura ac liquida gaudia, quæ suum intra pectus fovebat continenter, fuisse nimirum quotquot annis, hoc est in luce illius decessus anniversaria, in more positum cum Senis in patrio solo, tum Venetiis aliisque frequentibus oppidis, drama publice in scenam producere, cujus argumentum esset pie ac venuste agere præclarum aliquod seraphicæ virginis facinus, divino annuente Numine, ab ea in terris versante factum. Quæ pia quidem simulamina propter apparatus splendorem et actionis elegantiam, plurimum valebant ad illius sanctitatis nomen longe lateque propagandum, aut in fidelium qui aderant mentibus confirmandum : quandoquidem ea visum pulcherrima spectacula populorum agmina confluere solita literarum monumentis est traditum. Quæ cuncta minime dubiam æternæ mentis significationem habere Stephanus interpretatus, magis in dies confirmari sese in ejus venerationis studio, suamque augeri erga beatam virginem pietatem sentiebat, animo quotidie volvens admiranda prodigia quæ Deus per eam gesserat ad multorum populorum salutem. Atque eo fiebat ut quidquid suis in thesauris Vir pius noster haberet de hujus virginis mortalitate reliquiarum, summa reverentia prosequeretur aliisque inflammata voluntate venerandas proponeret; imitatus magnæ autoritatis sacratos Proceres qui qua Romæ, qua Venetiis, qua pariter Senis, sacra virginis lipsana in loco

Anniversarium obitus diem B. Catharinæ solemniter agebat.

ANNUS 1422

ponebant publice colenda, ad populorum in ejus præcipuam venerationem permovenda pectora. »

DOMUS EXCUBIARUM PENITUS ABJICITUR.

V. Generale Capitulum Ordinis hoc anno statuit cartusiam Excubiarum penitus deserere atque summo Pontifici tradere. Jam, ut supra diximus*, Moniales Parmeniæ huc translatæ fuerant, extincto primum Monachorum Conventu, cujus ultimus Prior fuit juxta quosdam Petrus de Furno, juxta alios autem Deodatus de Morna : certum est enim ambos præfuisse Excubiarum Domui. Deodatus, professus Vallis benedictionis, instituitur Prior per Chartam 1381, et die 18 Julii 1382 cuidam Instrumento subscribit ; quod Instrumentum sigillo suo tabellionali consueto signavit Franciscus Genevesii de Morasio clericus, autoritate Imperiali notarius publicus, et curiæ Viennesii et Valentinesii juratus. Petri vero nomen legitur in carta XVI kal. Martii 1387 data. Num forte iterum (quod sæpissime videmus in serie chronologica Priorum hujus Domus) suffectus est Deodatus ? incertum manet. Ut ut sit, anno 1391, alio missis Monachis, Moniales antiquo parthenone relicto illuc venerunt, eas deducente Francisca Parmeniæ ultima et prima novæ Domus Priorissa, quæ paulo ante Capitulum generale anni 1393, diem clausit extremum habuitque tricenarium per totum Ordinem, ex Charta ejusdem anni. Diffinitores autem audita morte Franciscæ, in ejus locum suffecerunt sororem Flandinam de Saconay Pratimollis professam. Missa fuit cum duabus sororibus ex eodem parthenone, Jacquemeta de Blay et Peronneta de Bossia ; et in officio perseveravit usque ad obitum qui declaratur in Charta 1410. Anonyma quædam duobus annis, post Flandinam, præfuit et circa annum 1412 abdicavit vel obiit. Ei successit Catharina de Parisiis, professa Melani, cum titulo Rectorissæ, quam Patres per Chartam 1412 sic adhortantur : « Rectorissæ Excubiarum non fit misericordia, et monemus eam ut habeat patientiam usque ad proximum Capitulum. » Et in Capitulo sequenti jubent ut Domus Excubiarum in statu in quo est permaneat, donec per Capitulum aliter fuerit ordinatum. Anno vero 1414 cum Moniales

* Vid. ann. 1391.

E Domo Parmeniæ huc Moniales translatæ fuerant,

peterent eamdem Rectorissam præfici in Priorissam, hoc breve acceperunt responsum : « Rectorissæ Excubiarum non fit misericordia, et injungitur sibi et suo Conventui quod de cætero non petant Priorissam. » Sed per Chartam anni 1416 earum petitio fuit exaudita his verbis : « Domui Excubiarum præficitur in Priorissam soror Catharina de Parisiis quæ fuit Rectrix dictæ Domus. Et prohibetur eis in virtute sanctæ obedientiæ quod nullam Novitiam recipiant absque speciali licentia Capituli generalis. »

ANNUS 1422

et vocabantur Dominæ Excubiarum et Parmeniæ,

Ut constat ex publicis Monumentis, primum Moniales hujus novæ fundationis, in memoriam antiquæ Domus unde venerant, vocabantur Dominæ Excubiarum et Parmeniæ; etenim dicitur in carta die 10 Januarii 1396 scripta : «... Venerabiles et religiosæ Dominæ, Flandina de Saconay, priorissa Domus Excubiarum et Parmeniæ Ordinis Cartusiæ, Audisia de S. Germano, Margarita Veyerie, Jacquemeta de Concisio, Peronneta de Bossia, Maria Richarde, Catharina et Philippa Garcine, Clementia de Comeriis, Antonia Galle et Antonia Bajule, sorores et moniales conventuales Domus religiosæ Excubiarum et Parmeniæ, Gratianopolis diœcesis, Ordinis Cartusiensis, capitulantes et Capitulum ad infrascripta peragenda facientes, congregatæ insimul ad sonum campanæ, more solito... confessæ fuerunt et recognoverunt se et Rectores dicti prioratus prædecessores earum.... » Dein, solummodo dicuntur Dominæ Moniales Excubiarum, ut in carta anni 1407, 16 Aprilis ; postremo, in reaccensatione cujusdam vineæ die 13 Junii 1411 facta, appellantur Moniales Domus Excubiarum et Revestiti, vel etiam tantum Moniales de Revestito.

deindeque Moniales de Revestito.

Unde conjicere licet Sorores nostras primo in ipsis ædificiis cartusiæ Monachorum habitasse ; et postea ob situs asperitatem ad molendinum seu grangiam de Revestito descendisse ibique domicilium collocasse : etenim in præcitato ultimo Instrumento, inter cætera leguntur : « ... pro et sub pretio seu annua pensione mortua quatuor florenorum auri boni recipiendorum........ in Domo Dominarum Priorissæ

ANNUS 1422

et Monialium de Revestito, videlicet in introitu super portale ipsius Domus de Revestito. »

Postquam Patres, anno 1391, Moniales in Excubiarum Domo locassent, eis de Vicario providere curarunt qui Sacrum faceret, confessiones audiret et earum spiritualia bona sedulo gereret : idcirco per Chartam Domnum Joannem Bituricensem instituerunt, qui jam anno 1369 cuidam Vicario anonymo Virginum Parmeniensium successerat ; dein et ipse, abdicato vicariatu, factus fuerat Prior Boni-loci usque ad prædictum annum 1391 quo iterum per Chartam Vicarius Parmeniæ simulque Rector Excubiarum his verbis instituitur : « Priori Boni-loci fit misericordia et præficimus eum in Vicarium Parmeniæ et Rectorem Excubiarum, de quibus Domibus intendimus aliqua ordinare antequam Capitulum præsens finiatur. » Et paulo post solo Vicarii Monialium Excubiarum donatus nomine, præfuit usque ad annum sequentem, videlicet 1392, quo per Chartam absolutus, mandatum accepit in hac Domo remanendi usque ad adventum sui successoris; sed nec statim recessit, nam per Chartam anni 1393 jubetur iterum in hac Domo remanere tanquam ei necessarius : translatus postea ad regimen Vallisclusæ.

Vicarii Monialium Excubiarum.

Cæterorum hujus parthenonis Vicariorum nomina, hæc sunt :

Reginaldus Cati, professus Bonipassus, Joanni subrogatus, et biennio post absolutus, rediit ad Domum professionis suæ ubi et vita fungitur anno 1399.

Joannes de Bordis successit Reginaldo institutus per Chartam 1394. Anno sequenti deponitur et in solitudinem Lanceæ se recepit ; deinde Domum Pomerii suæ professionis repetens, in ea obiit anno 1410.

Jacobus de Paterniaco, 1396.

Joannes de Foresia monachus Sylvæ Benedictæ, nominatur Vicarius Excubiarum per Chartam 1397. Vir jam grandævus quem propterea per Chartam anni 1404 Patres admonent « ut Priorissæ, cui hoc præstat, dimittat exercere temporalia,

ut ipse senio gravatus liberius sibi vacare possit. » Anno sequenti abdicavit in comitiis Ordinis. ANNUS 1422

Raymundus de Gimasanis ad regimen Monialium Excubiarum assumitur e parthenio Saletarum per Chartam 1405; deinde absolutus anno 1418 residuum vitæ transegit in claustro Montis-merulæ suæ professionis Domo, ubi et obiit signatus in Charta 1430.

Monachi ad Excubias redeunt.

Monialibus autem recedentibus, denuo Monachi, ut ante quatuor annos diximus, redierunt ad antiquam Excubiarum cartusiam, sed in loco qui vocatur *Revesti* : quod probatur ex quodam Instrumento publico « acto, die 26 Martii 1419, apud Revestitum, Ordinis Cartusiæ, in camera venerabilis et religiosi viri D. Theobardi le Gay de Bisuncio, Rectoris dicti monasterii Excubiarum.... de voluntate religiosorum virorum Domnorum Joannis Migniotti procuratoris generalis dicti monasterii, Berengarii Grossi monachi, et fratris Thomæ de Yenna clerici, residentium in dicto monasterio, in Revestito prædicto, loco dicti monasterii Excubiarum...»

Hanc Domum generale Capitulum

Demum in Capitulo generali anni præsentis (1422), Diffinitores, re maturius ponderata, totam Domum et illius reditus tanquam novis ædificiis perficiendis ac Monachorum sustentationi non sufficientes, summo Pontifici Martino cesserunt, datis renunciationis literis in hanc formam : « In Dei nomine, amen. Per hoc præsens publicum Instrumentum cunctis appareat evidenter, quod anno a Nativitate ejusdem Domini millesimo quatercentesimo vicesimo secundo, et die sexta decima mensis Maii, hora prima vel circa, Indictione decima quinta, pontificatus sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri Domini Martini divina providentia Papæ quinti anno quinto, in mei notarii publici et testium subscriptorum præsentia constituti personaliter, reverendus in Christo pater Domnus Guillelmus humilis Prior Domus Majoris Cartusiæ, et venerabiles fratres Johannes Vallis sanctæ Mariæ, Franciscus Portæ-cœli, Petrinus Januæ, Theodericus Antwerpiæ, Bartholomæus Lucæ, Albertus Horti-Christi, Johannes Petri-castri, Domorum Ordinis

ANNUS 1422

Cartusiensis Priores, et Joannes Friburgi monachus professus Domus Majoris Cartusiæ, Diffinitores Capituli generalis Ordinis sui, et Michael Vallis-benedictionis et Joannes Bonæfidei Domorum Ordinis prædicti Priores, Visitatores a generali Capitulo deputati; scientes et spontanei, faciunt, constituunt et ordinant suos veros certos et indubitatos procuratores generales et speciales, videlicet venerabilem Patrem Domnum Petrum Priorem Domus Sanctæ Crucis de Urbe et dominum Simonem de Terenio (alias Terremo), utriusque juris doctorem, advocatum in Curia romana, et eorum quemlibet in solidum, ad renunciandum et remittendum in manibus Domini nostri Papæ Domum Excubiarum dicti Ordinis, Gratianopolis diœcesis, cum suis juribus et pertinentiis immobilibus quibuscumque ; et cætera omnia faciendum et exercendum quæ ad hujusmodi negotium pertinere noscuntur, vice et nomine Patris Domni ac generalis Capituli prædictorum. De quibus omnibus ipsi Domini constituentes, petierunt sibi fieri publicum Instrumentum per me publicum notarium infrascriptum. Acta sunt hæc in dicta Domo Majoris Cartusiæ, sub anno, die, mense, hora, Indictione et Pontificatu quibus supra; præsentibus discretis viris Joanne Godefredi Leodiensis, Claudio Ferrodi Gebennensis diœcesis clericis, et Joanne Ferrandi famulo dictæ Domus, testibus ad præmissa vocatis specialiter et rogatis. Et me Guillelmo Racace, clerico de Montibus, Lugdunensis diœcesis, publico autoritate Imperiali notario, qui præmissis omnibus dum (sicut præmittitur) agerentur et fierent, una cum præscriptis testibus præsens interfui, eaque fieri vidi, audivi et stipulatus fui, scripsi, grossavi et in hanc formam publicam redegi, et signo meo publico signavi requisitus, in fidem et testimonium omnium præmissorum. »

in manibus S. Pontificis remittit.

Domus in commendam datur Humberto Aquini;

Porro Martinus Papa post superiorem cessionem, Domum hanc velut simplex beneficium jure fiduciario possidendam, sive ut loquimur in commendam, sub nomine Prioratus Excubiarum et Revestiti, tradidit Humberto Aquini monacho cœnobii Miseriaci, Ordinis sancti Augustini. Deinde

autoritate summi Pontificis Eugenii IV et consensu præfati Prioris commendatarii, Capitulo Ecclesiæ Gratianopolitanæ unita, ejus decanatui adscripta remansit. Hæc unio facta est mediante bulla Eugenii IV, octavo decimo calend. Januarii 1442 data. Quidam præterea volunt hanc cartusiam in potestatem Capituli Gratianopolis idcirco devenisse, quod sanctus Hugo locum Nostris tradidisset, ea tantum lege ut si ab Ordine nostro unquam discederet, Capitulo concedenti restitueretur. Sed hi palpando solummodo hanc unionis videntur afferre rationem, quæ quidem vera est respectu Domus Parmeniæ quam suo loco sub tali conditione fundatam vidimus; verum quod ad Excubias attinet, falsissima constat : etenim ex supradictis locum non a sancto Hugone sed ab aliis Ordini nostro fuisse absolute concessum, nulla simili conditione interposita, eumque post cessionem a Nostris factam a summo Pontifice non Capitulo Gratianopolitano sed Humberto Aquini traditum ; verissima igitur causa quæ Patribus suasit hujusmodi derelictionem, hæc unica fuit, videlicet zelus quo Statuta nostra in omnibus cartusiis, ad perfectissimam ut ita dicam disciplinæ amussim, a Nostris observari semper studuerunt. Cum enim viderent plures Domos propter bella et alias horum deflendorum temporum injurias, ad eum devenisse statum ut earum facultates non sufficerent ad alendum Monachorum numerum qui possent religionis Cartusiæ Instituta requisita tenere observatione, eas Domos sanxerunt potius deserendas, et in manibus vel Papæ vel proprii Episcopi dimittendas, quam in eis languentem claudicantemque in disciplina regulari conventum tolerare. Id certe sæpius attentatum fuisse videbimus de Domibus Durbonis, Bonipassus et aliis, maxime Monialium, sed etiam reipsa præstitum de hac Domo Excubiarum.

postea unitur Capitulo Gratianopol.

Ob zelum disciplinæ hæc Domus, sicut et plures aliæ, a Nostris derelinquitur.

VI. Hoc anno Joannes Gerson sequentem scripsit epistolam : *De Religionis perfectione et moderamine,* ad Guillelmum Minandi, quondam medicum domini Cardinalis Saluciarum, tunc autem monachum Domus Majoris Cartusiæ. « Gratia vobis et pax in Christo Jesu. Utique dicetis

EPISTOLA GERSONIS AD QUEMDAM CARTUSIÆ MONACHUM,

Alphab. 67. Litt. A et seqq.

ANNUS 1422

mihi per similitudinem : Medice, cura teipsum ! Itaque qui alium doces, ait Apostolus, cur teipsum non instruis? Sed respondebit pro me Sapientis jussio : Honora, inquit, medicum. Et iterum : Da locum medico. Ratio est, quia disciplina medici exaltabit caput ejus. Nam quæ potest in medico disciplina inveniri melior quam ut relicta sæculi pompa, relicta arte sua, relicto demum seipso (quod majus est), tradiderit se medicus noster disciplinæ Majoris Cartusiæ ? Talis enim tu es cui rescribo, qui dignaris exquirere disciplinæ doctrinam ab illo qui nunquam subjacuit disciplinæ. Nihilominus in verbo summi medici nostri Domini Jesu Christi, qui jussit omni petenti se tribuere, et rursus : Aperi os tuum et ego adimplebo illud, qui est magni consilii Angelus vocatus admirabilis ; audebo tuis, medice charissime, quæstiunculis quæ satis communes sunt apud ægros spirituales in Religionum grabato laborantes, remedia non dicam invenire, sed inventa et designata per Doctores repetere. Communia quidem et vulgata, neque comparanda subtilibus artis medicinæ spiritualis apicibus, sed tanquam rudes aliquas receptas, visum fuit considerationes pauculas annotare.

qui fuerat in seculo medicus.

Interrogationes tres,

« Sunt autem tria quæ quæruntur in forma. Primo, utrum quis exercitium orationis continuans vel alia exercitia spiritualia cum affectu ut puta lacrymarum, sentiens se in viribus debilitari propter hujusmodi exercitium, et remitti in cæteris corporalibus laboribus utpote in cantu forti et similibus vires corporeas exigentibus, sit reprehensibilis ? Cum tamen dicat Apostolus : Psallam spiritu, psallam et mente. Pensat enim Deus potius cor quam verba ; imo propter laborem cantus non potest debitam devotionem habere dum cantat.

« Secundo, si ratione debilitatis corporis, ut fortior sit ad portandum ordinem suæ professionis, sine conscientiæ scrupulo lautius vivere possit quam Ordo servet ; vel ad prohibendum lapsum in ægritudinem ad quam est dispositus, vel dubitat incidere in futurum ?

« Tertio, si orans solitarie ex debito utpote Horas cano-

nice institutas, teneatur verba adeo articulate proferre et explicare ut seipsum audiat ? Cum frequentius, aut ratione debilitatis aut gravedinis corporalis, non sine gravi labore ad plenum id queat ; corde tamen dicet et formabit aut alias elevatione mentis affectus, cessabit officium linguæ licet non cordis ; det Dominus responsionem veram scribere salubrem et efficacem. » Sequitur eadem responsio per viginti considerationes quas hic referre omittimus ; deinde sic epistolam suam concludit. « Respondere uberius quam necesse erat conatus sum quæstiunculis per te missis, Guillelme pater et frater in Christo carissime, sub duplici considerationum denario super religionis perfectione ac moderamine : suadens ut lacrymis ponatur modus ; ut in congregatione vocalibus intendatur exercitiis, conservando vires ad hoc ipsum ; ut insuper nulla lautioris victus concessio desuper facta repudietur, sive illa fuerit propria sive singularis, sive fuerit communis seu universalis ; ut denique orationes in cella quæ sub præcepto præsertim Ecclesiæ cadunt, ore offerri et proferri non omittantur, nisi forte id fieret de consilio et licentia Superioris : cum prolatio ore tenus fieri possit utique tenuiter et absque periculoso, ut apparet, gravamine ; attento potissimum etiam quod quia illa fit ab institutione et nomine Ecclesiæ aut ex regulari ordinatione, orans ipse sic ore ex hoc multum meretur. Primo quia obedit, secundo quia oris sacrificium reddit, tertio satisfactorium pro peccatis ex labore agit, quarto ocius excutit quod facile subrepere solet in sola mentali oratione seu meditatione ; facit ad hæc illud Apostoli : Psallam spiritu, psallam et mente, cum Glossa ordinaria, quæ si placeat videatur. Scriptum Lugduni penultima Octobris, anno Domini nostri Jesu Christi millesimo quatercentesimo vigesimo secundo. » Hactenus Joannes Gerson.

ANNUS 1422

quibus Gerson respondet.

Oratio vocalis, bona.

* JESU CHRISTI

ANNUS 1423.

Martini PP. V Ann. 6.	Ordin. Cartus. Ann. 340.	Guillelmi III. Pr. Cart. Ann. 3.

INDULGENTIA PLENARIA NOSTRIS CONCESSA

Ex Charta hujus anni apud Bohic.

sub quibusdam conditionibus.

* *al.* Donati.

I. MILLESIMUS quadringentesimus vigesimus tertius annus salutis, prima Indictione inchoatus sequitur, quo Martinus V Pontifex maximus de gratia speciali concessit omnibus personis Ordinis nostri vere pœnitentibus et confessis, vel quæ vere pœnitebunt et confitebuntur, in præsenti anno plenissimam veniam omnium peccatorum, dummodo voluerint etiam quæ sequuntur adimplere : videlicet quod Religiosi presbyteri dicant triginta Missas quas voluerint, continuatis vel interpolatis diebus ; ac eisdem diebus, triginta vicibus, psalmos pœnitentiales cum litaniis et orationibus consuetis, durante isto anno millesimo quadringentesimo vigesimo tertio. Clerici vero non sacerdotes dicant triginta vicibus totum Officium mortuorum ; videlicet novem lectiones cum Laudibus more Ordinis sui, ac totidem vicibus psalmos pœnitentiales, cum litaniis et orationibus prædictis. Similiterque faciant Moniales scientes dicere Officium ; Conversi autem et Conversæ, Commissi* aut Commissæ, ac laici infirmi et impotentes tam mares quam fœminæ, dicant triginta vicibus sexaginta *Pater noster*, et totidem *Ave Maria*. Et omnes isti Religiosi et Religiosæ teneantur visitare triginta diebus prædictis altare vel altaria quod vel quæ habent infra clausuram monasteriorum suorum sive conventuum, cum aliquibus orationibus et precibus devotis, prædicti tantum infirmi vel impotentes de

dicta visitatione et etiam orationibus prædictis, si adimplere non possunt, stent judicio suorum confessariorum. ANNUS 1423

Erant porro gravissimæ causæ quæ ad hæc Ordini nostro præstanda, Martini Pontificis animum propellebant; maxime vero afflictæ res Ecclesiæ catholicæ in regno Bohemiæ et adjacentibus provinciis : tunc enim ibidem Hussitarum armis omnia perstrepebant, ut ex præsentis anni Charta colligimus, ubi ista : « Pro impetratione cœlestis auxilii adversus infideles et hæreticos persequentes christianos, et maxime clericos et Religiosos, in regionibus Bohemiæ et locis vicinis, eorum bona dissipando et auferendo, et etiam mortes crudelissimas eis inferendo, eosque a fide Jesu Christi et sanctæ Romanæ Ecclesiæ discedere compellendo; et pro extirpatione dictæ hæresis, et defensione Principum cæterorumque Christi fidelium contra dictos hæreticos bellantium, fiat in qualibet Domo Ordinis nostri unum tricenarium de Spiritu Sancto. Et omnes et singulas personas Ordinis nostri hortamur per viscera misericordiæ Domini nostri Jesu Christi ut frequentes et devotas fundant preces ad Dominum, quatenus servos suos fideles de manibus et potestate dictorum infidelium et hæreticorum liberare dignetur. » Hinc illæ Martini Papæ lacrymæ.

STEPH. MACONI RELIGIOSA PAUPERTAS.

II. Jam superius plura generali modo de venerandi Patris Stephani virtutibus enarravimus; nunc lubet specialiter quædam subjicere de ejus paupertatis evangelicæ dilectione et vitæ severitate, quibus a seraphica Matre fuerat apprime eruditus : « Igitur, ait Bartholomæus noster, ex hoc intimo Stephani sensu christianæ scilicet humilitatis, oriebatur in eo quoddam ardens studium evangelicæ paupertatis ac rerum humanarum despicientia, quæ initium primum incrementumque cepit in suæ Matris domicilio, quod officina tunc erat omnium virtutum, et ad celsiorem exin gradum pervenit in religiosis castris tanquam in christianæ perfectionis schola. Hanc evangelicam margaritam fulgere vidit in Pontiniana cartusia statim atque Religionis cultum habitumque suscepit. Quod monasterium ad eum paupertatis statum perdu- Lib. V. c. 4.

ANNUS 1423

ctum id temporis ex literarum monumentis scimus, ut extrema rei familiaris inopia conflictarentur quotquot in eo versabantur Deo famulantes viri. Quippe debacchante bello Florentinos inter atque Senenses, discursanteque Britannorum quam vocabant societate cum agrorum devastatione rapinas simul et incendia inferente, Pontiniani monachi suis hærediolis fere depulsi suisque proventibus spoliati, corrogare passim æs ab amicis ut inde vitæ sibi subsidia pararent cogebantur, quando ut suæ egestati consulerent per domesticæ legis severitatem sibi foras exire ad stipem precario quæritandam minime liceret. Cujus rei causa ad Urbanum hoc nomine sextum summum Pontificem supplices per libellos (prope sub tempus quo Stephanus suæ religionis vota suscepit) confugiendum rati, rogabant et obsecrabant ut Pontifex supremam suam autoritatem interponeret, quo in possessionem bonorum quæ per vim sibi usurpata fuerant restituerentur innoxii; qui vero temerati divinæ vicariæ potestati minime parerent, anathemate coerceret. Ergo in tot incommodorum difficultatibus ac rei domesticæ inopia, tanta animi jucunditate Stephanus cumulabatur, adeoque vitam omnis tristitiæ expertem ducebat, ut ad perfectæ vitæ studium effusis habenis currens, nullis scilicet fluxarum rerum curis detentus nullisque carorum affectibus delinitus, experiri jam tum in se videretur quæ mirifica divinæ gratiæ lumina carissimis suis interdum cœlestis Pater amicis immittere solet, ad summum rerum cœlestium fastigium nitentibus.... Qui hujus religiosæ paupertatis adeo studiosum se præbebat in dies, ut Climachi sententiam secutus, eam iter ad Deum sine impedimento putaret. Hinc fiebat ut hanc omnibus in rebus locisque sociam honoratam haberet, quocumque pergeret ipsius incensus amore, captus pulchritudine. Domi quippe domuncula utebatur privatus cum esset in xysto perangusta, in qua ex Instituto latitans solitudinis et silentii apprime tenax, mira simplicitate capiebatur eorum quæ ad domesticum ejus pertinent instrumentum ex Ordinis præscripto. In ea quippe mensæ apparatus fere nullus erat,

Summa in egestate gaudet.

in vestitu vero multa asperitas, in lecto durities : siquidem strato paleis inferto, locus ullus molliter cubandi nec aderat nec appetebatur. Supellex autem librorum ad exiguum admodum numerum redacta eaque valde necessaria; quippe non mediocriter eruditus, ea tanquam deliciis utebatur ad vitam nec insuavem nec tristiorem traducendam : in qua magnus epistolarum numerus erat quas Stephanus sibi retinuerat, tanquam illarum exempla quas ei scribenti virgo seraphica dictaverat et ad varios diversosque viros miserat, quas inde in unum corpus relatas superioribus annis magna cum animi mei voluptate ac sensu apud Cartusianos Ticinenses vidi, admiratus in eis, et veneratus uti beati Viri chirographo magna parte exaratis, cum divinam virginis doctrinam et eloquentiam, tum orationis structuram summamque verborum gravitatem, quæ germana plane ac propria ejus florentissimi sæculi fulget prærogativa, in patrio maxime sermone. Ergo Stephani cubiculum in hoc duntaxat augustius splendidiusque Regum penetralibus, eo quod in eo præter simplicem nudamque librorum supellectilem, ingenti religione asservabantur multorum Sanctorum Reliquiæ inauratis inclusæ thecis, quibus virgo seraphica donata fuerat a summo Sacrorum Antistite Gregorio hujus nominis undecimo ; quæ inde auctæ nobilitatæque fuere ejusdem divæ virginis exuviis, cunctis Sinarum thesauris apud Stephanum pretiosioribus, quas cum ille apud se haberet ad voluntatem venerabatur cœlesti gaudio delibutus. Nimius fortasse in hisce enarrandis videbor, sed dabunt veniam si qui gravi forsitan supercilio isthæc veluti minuta indignabuntur. In schola enim Christi, hoc est sacra intra religiosorum hominum septa, tanquam in cœlesti philosophiæ lycæo magni profecto fiunt, quæ stulta sæculi sapientia irridet atque contemnit. Verumenimvero nec domesticis solum in tectis paupertatem coluit Stephanus noster, sed foris etiam magnum illi habuit honorem, præsertim cum domo egredi compelleretur ad graviora negotia conficienda. Namque cum principum virorum aulam, ut sæpe pro re nata vidimus,

Cellæ supellex parva,

ast Sanctorum Reliquias non paucas apud se servabat.

ANNUS 1423

ingressus, inter præstantes nobilitate viros versaretur, suarum vestium squalorem religiosique cultus humilitatem sericis indumentis cunctisque purpuris rerum humanarum suique contemptor egregius præferebat, et in eorum quandoque corona cum staret, non erubescebat honeste decurtato obsoletoque habitu vestitus apparere : re ipsa palam ostendens quantopere Cartusiano monacho hæc paupertatis integritas foret adamanda, quippe quæ magnam in dies singulos materiam illi præbeat ut in officio se contineat, ne suæ humilitatis modestiæque cancellos licenter transgrediatur, certum fixumque habens Ordinis Statuta suis sæpe cultoribus hanc humilitatem attritionemque pannorum demandare, et universorum quibus utimur vilitatem, paupertatem et abjectionem eo gravius injungere quo asperius vitæ degendæ propositum super omnes monachos subivimus. Sciebat enim Vir noster beatus nullum æque vitium religiosos cœtus vel omnino vel maximam partem corrumpere quam cupiditatem, quæ ut ait divus Paulus radix est omnium malorum, per quam cætera vitiorum monstra in eos irruunt ; hoc vero non excluso, nullo negotio alia a toto corpore eliminari ; ac proinde tanti esse dicebat ut monachus hanc virtutem coleret, perinde atque ejus inviolata religio sit ad æternitatem disciplinæ et Ordinis firmissimum propugnaculum.

Pannorum attritionem diligebat.

Victus abstinentia,

« Nunc ad Stephani rigorem inediæ severitatemque victus deveniendum est, quæ uti christiana virtus ex arctissimo videlicet paupertatis voto ac spiritu emanat, summamque vim habet ad animarum salutem. Is enim eo animi æstu religiosam hanc inediam amplexus fuit, ut sat contentus esset (ita tradunt) iis quæ quotidie inferebantur cibariis ex antiquo Ordinis præscripto. Quæ si dixeris satis fuisse ad vitam religiose parceque tolerandam, dixeris etiam jejunium propterea pene continuum Stephanum instituisse, nisi si loco scitamentorum vel legumina vel elixa olera, quæ ter in hebdomada sapido pro pulmento Nostris eo tempore porrigebantur, existimare velimus. Hæc cibaria veluti quotidianas

epulas plurimum adamavit Vir pius, recordatus vel maxime quotiescumque ad has cupedias accumberet, magnificum illud opipareque instructum quondam convivium apud seraphicam matrem Catharinam Romæ tunc versantem; ad quod convivium ipse conviva Stephanus, una cum aliis divæ virginis culturæ subjectis viris feminisque religiosis, discubuit ipso die Christi resurgentis celebritate insigni, fabaceo duntaxat divinis quasi dapibus paratum edulio, cum nihil aliud domi tunc esset quod apponeretur: adeo paupertas evangelica pauperibus spiritu erat in deliciis. Ubi dum Stephanus seraphicam virginem nulla cibi mortalis fultura, sed angelici tantum et immortalis vitam suam in multos dies sustinuisse cernit, ac sæpe humi afflictam dæmonum exercitam cruciamentis, eo quod pro populo romano debitam pœnam ultro sibi ipsa asciverat, vidit; moxque ad vitam veluti revocatam accumbentemque cœlesti coruscare fulgore stupenti similis contemplaretur; tantus repente in eo fuit sensus pietatis, tanta vis atque exuperantia divinæ dulcedinis, ut ex eo die in posterum tempus hujus admirabilis convivii memoria ei hæserit in medullis, sic prorsus ut cum eam celare post virginis excessum, qui mox secutus est, ac diu inclusam tenere non posset, crebris eam indicare suspiriis et assiduis in cœlum aspirationibus cogeretur. Neque claris hisce amoris erga suam Matrem argumentis contentus, privatam vitam agens, tum patriis in tectis tum intra monastica peristylia, statuit celeberrimis quibusque diebus fabaceo se pascere cibatu; et publice, Præfectum cum ageret, communem suorum Religiosorum mensam feriis paschalibus fabarum exornare obsonio. Quem pium in idipsum Stephani sensum fama est pluribus in cœnobiis nostri Ordinis deinceps in multos annos viguisse, ut a nonnullis seniorum me accepisse recordor in nostra Florentina cartusia commorantem. »

exemplo motus S. Catharinæ Senensis.

III. Eodem tempore, magno Ordinis nostri bono, devotus adolescens Dionysius de Lewis, oriundus ex vico Rickel (qui est in comitatu Lossensi, Leodiensis diœcesis) distante ab oppido Sancti-Trudonis stadiis non minus viginti, Car-

DIONYSIUS CARTUSIANUS HABITUM ORDINIS INDUIT.

ANNUS 1423

tusiensis est effectus. Quod spectat ad tempus, id præsenti anno accidisse ex eo perspicuum redditur, quod in Ordine Cartusiensi dictus Dionysius vixisse dicitur quadraginta et octo annos, et obiisse anno currentis sæculi septuagesimo primo, annos natus sexaginta novem : ex iisque omnibus summatim colligitur nostrum Dionysium natum anno secundo præsentis sæculi aut circiter Ordini Cartusiensi additum anno præsenti, cum ætatis annos haberet viginti et unum, in eoque quadraginta et octo annis laudabiliter stetisse, prout sequentia declarabunt. Porro nostri Dionysii vitam descripsit venerabilis Pater Theodoricus Loher a Stratis, Vicarius cartusiæ Coloniensis ; nos etiam plura de eodem et aliis autoribus in progressu præsentis historiæ, Deo favente, adferemus, eaque non pœnitenda.

In Hasbania natus.

Igitur Dionysius noster parentes habuit admodum honestos et secundum sæculi fortunam non infimæ sortis, quibus avitum genus de Lewis indidit cognomen ; quod ipsum ab oppido quodam vicino abbatiæ Sancti-Trudonis et Disthenio, quodque in tabula Leodiensis Episcopatus apud Ortelium Leewe dicitur, translatum non temere existimamus. Qui autem pueritiæ suæ tempus peregerit, ipsemet testatur explicans illud Geneseos : Ecce Rachel veniebat cum ovibus patris sui, nam gregem ipsa pascebat. « Hæc, inquit, apud plures est consuetudo quod puellæ et filiæ oves pascant in agris. Ego quoque in pueritia mea, antequam cœpi frequentare scholas, custodivi et pavi oves parentum meorum ; et eram puer valde malus, pugnans frequenter in agro contra alios pueros ovium pastores. » Crescente autem ætate, puerum Dionysium parentes sui litteris imbuendum curaverunt. Prima vero litterarum elementa in oppido Sancti-Trudonis percepit, ut ipse scribit agens de B. Christina mirabili his verbis : « Christina nata fuit in oppido Sancti-Trudonis, vel in pago nomine Brusten sito juxta oppidum memoratum. Recordor quoque quod dum in pueritia frequentavi scholas in oppido illo, frequenter audivi mentionem admirabilis illius Christinæ, atque, ut dicebatur, aliqui tunc vixerunt in

Commentar. super Genes, c. XXIX, V, 9.

De IV Novissimis art. 50.

Sancto-Trudone qui noverunt nonnullos qui ipsam fœminam gloriosam viderant in carne. » His consonant quæ Theodoricus Loherius dicit, ipsum videlicet a parentibus adhuc puellum extra patriam litteris imbuendum traditum fuisse. « Inerat autem illi incredibile discendi studium, adeo ut nocte quoque ad fulgorem lunæ sæpenumero excitatus, surgeret ad scholas exiturus ; atque diem æstimasset nisi domus fores invenisset obseratas. » Sed præstat hæc ipsa ejus reddere verbis. Ait ergo : « Quid nasci profuisset si non ex aqua et Spiritu renasci donasses ? Porro renatum ab infantia custodisti. Quot, o sapientissime Christe, o superclementissime Jesu, in ignorantiæ tenebris, in carnis concupiscentiis reliquisti, de quorum sanguine ortus sum, mihique cognatione propinqui consistentium ! E medio illorum eduxisti me infantulum pene adhuc, nondumque discretionis tempora sortitum ; litteris me applicuisti et erudisti. Puer autem eram ingeniosus, capacemque mihi mentem elargitus es. Verumtamen quod nunc quoque vicissim miror atque revolvo, tibi, o desiderabilis et nedum præ filiis hominum sed præ vultibus etiam Angelorum speciose, sanctæ Virginis Unigenite, confitebor : quid enim hoc, quod tantus mihi adhuc in primordiis disciplinæ inerat litterarum amor, ut nocturnis temporibus, dum lunæ se splendor diffundens per fenestræ rimas emicaret, diurnum putans radiare jubar, mox intempestæ noctis silentio surgens, nisi fores clausæ fuissent ad scholas properassem. » Hæc ille. « Erat etiam, subdit Theodoricus, memoria præditus admirabili, quia semel quicquid legerat, sine gravi labore retinebat. Unde factum est ut tam felicitate ingenii quam studii assiduitate, brevi mox tempore, non sine multorum admiratione tam doctus evaserit ut perfectis philosophis posset annumerari. Verum quia optimæ indolis adolescentulo non solum scientia, verum etiam pietas cum ætate accreverat, quod ab infantia meditatus fuerat, jugo Domini statuit innocentiæ suæ colla submittere. Cupiebat enim ante relinquere mundum quam mundi laqueis irretiretur. Eam ob rem Cartusianæ eremi desiderio flagrans,

ANNUS 1423

Loher. in Vita Dionysii cap. I.

Liber de Beneficiis Dei, articul. 26.

Diligens,

et felix in scientiis acquirendis.

Flagrat desiderio Cartusianæ Religionis.

ANNUS 1423

quid ageret quomodove id impetraret nesciebat : nam vigesimum necdum attigerat annum, quam ætatem Ordo ille in suscipiendo exquirit alumno. Porro in sæculo manere et inter castitatis naufragia tutum enatare haud possibile videbatur. Itaque amore Cartusiani Instituti in dies crescente, visum fuit, licet nimium adhuc adolescenti, duabus in Domibus Cartusiensium instando tentare si illorum sodalitio ac institutis sociari mereretur. Festinat igitur ad cartusiam Montis sancti Joannis Baptistæ in Zeelem prope Diest, inde Ruremundam quæ est Geldriæ oppidum concedit ; in utraque preces offerens, sed utrobique ab earumdem Domorum Patribus, quia per ætatem aliter non licuit, receptio ejus potius differtur quam negatur. Itaque desiderio suo tunc frustratus Dionysius, quod animo cœperat non propterea abjecit, sed in tempus magis distulit opportunum.

Coloniæ studet theologiæ.

« Verumtamen quid ageret interea, quomodove tutus mundo imponeret, et Cartusianæ aptiorem se redderet solitudini dum animo tractare cœpisset, in mentem ei venit quod post exercitia illa spiritus ad Deum affectiva, quæ maxime in Ordine illo quem erat ingressurus frequentantur, nihil sibi foret dulcius, nihil commodius quam intelligentia Scripturarum : igitur nihil moratus, e vestigio Coloniam Agrippinam, ubi Academiam noverat Germaniæ celeberrimam, se contulit in qua Theologiæ studiis se applicans, ut fieret doctissimus operam omnem navavit. Ubi quantus evaserit, testatur liber quem *De Ente et Essentia* illico post adepta magisterii insignia scripsit, testantur et libri ejus cæteri quos in Ordine subinde scripsit Cartusiano, a doctis semper laudati potissime super utriusque Testamenti paginis, aliique varii ac pæne innumeri adeo ut in Ecclesia Dei qui tantumdem scribendo sudaverit, qui tot libros eruditione juxta ac pietate refertos ediderit, parem habuerit neminem. Cui tametsi Abbas Spanheimensis solum præferat Augustinum, quem nos quoque si de eruditione ac pietate certetur scribentium præferimus ; certissimum est tamen, ex his quos ipse in suo de Ecclesiasticis scriptoribus recenset libro,

neminem quanta Dionysius hic Cartusianus scripsisse. Unde conjicio Abbatem Spanheimensem Dionysii libros non omnes vidisse ; quorum profecto tantus est numerus ut juranti etiam mundo non crederem possibile fore tot libros eodem autore natos prodiisse, inter quos grandia plurima sunt volumina, nisi unius Dionysii et ingenium et stylum, manum quoque ac characterem, prorsus eadem ubique conspexissem. Suos enim ipse conscripsit libros, relegit, correxit, rubricaque illuminavit. Quæ omnia notissima singularis manus ejus et character testantur ; et hoc quidem pro constanti relinquimus. Unde neminem audivi, qui viri hujus laborem sine stupore viderit, qui non senserit mecum absque ingenti miraculo fieri non potuisse ut unus vir tot scripserit libros, quantum ipse æstimandus est non habuisse temporis, imo (ut verius dicam) quantum incredibile videtur etiam quemlibet alium ab omnibus feriatum posse legere. Nam ut cæteras ejus occupationes quibus a scribendo fuit remoratus taceam, certe in Ordine illo Cartusiano a cujus divino Officio quod satis est prolixum numquam abfuit, in quo Procurationis et Prioratus officia aliquanto tempore obivit, de monasterio abstractus a domino cardinale Nicolao de Cusa summi Pontificis Legato aliquamdiu Ecclesiæ negotiis servivit ; contemplationi præterea ac orationi modo peculiari fuit deditissimus. Porro lectioni ac studio, quod in libris ejus manifestissimum, pene assedit continuus. Ad hæc ex tota pene Germania pro consiliis ad eum confluebant innumeri, adeo ut in dandis consiliis et epistolis scribendis fere numquam non fuerit impeditus. Accedit postremo quod in monasterio tunc suo non habuit quibus indigebat, quibus et usus est libros. Inde illi occupatio immodica parabatur pro codicibus aliunde conquirendis.

Libros plurimos scripsit, magnis etsi occupationibus impeditus.

« Verum hæc de multitudine librorum, in quibus si diligens sit lector, si non invidus spectator, perinde inveniet quod possit mirari : adeo namque plenus est eruditione, adeo copiosus varietate, adeo pietate refertus ut nihil supra. Videbis plane quam nihil quod cæteris perspicuum fuerit illum

ANNUS 1423

Mirandus etiam in qualitate librorum.

fugerit, quam multa insuper quæ non quæsieris, quæ non speraveris, ad suavitatem et pro desiderio tuo administret. In lucubrationibus tamen suis ubique circa Scripturæ textum versatur, nec ostentandi se ullam admittit occasionem qua ab instituto divagetur. Accedit præterea ad Dionysii laudem quod in illius libris nihil fucatum, nihil tumidum, nihil habeatur a piis moribus alienum; sed, ut dixi, eruditio tam lucida quam abundans, adeo ut nihil in illius libris tibi desiderandum restet, nisi fortasse elegantia verborum stylusque venustior. In quo tamen potest excusari quippe qui suo scripsit sæculo, suæ ætatis hominibus, atque eo tempore quo lingua latina præsertim politior neque in usu neque in pretio doctis fuit. Nam si in nostra incidisset tempora, si præceptores litteratos et libros sortitus fuisset latinos, cum ipse fuerit litterarum desiderantissimus, crederemus etiam in politioribus illum vix alicui fuisse secundum. Obsecro autem eos qui hæc sunt lecturi per Christum, ne ita me putent velle extollere Dionysium ut cæteros deprimam, aut quibus anteferendus non est hunc anteponam. Manet singulis sua præeminentia, quæ non superatur ab aliis. Pari modo huic nostro Dionysio tribuendum est ut in ipso præemineat aliquid eidem singulare, quod desideretur in cæteris. Hunc virum, o lector, hujusque eruditionem, et Cartusiana Religio et Ecclesia omnis catholica acceptum referre merito debet Academiæ Agrippinensi, in qua studia sua initiatus tantus evasit, ut in eremo etiam Cartusiana postea fieret notus orbi, cunctisque et doctis et piis celebris haberetur. Nam de illo summus etiam Pontifex Eugenius dixisse fertur, quando librorum ejus quemdam sibi oblatum vidit : Lætetur mater Ecclesia quæ talem habet filium !

Ab Eugenio Papa IV laudatus.

« Igitur ut ad enarrandam vitæ ejus conditionem pergamus, ab Agrippina Colonia recedens, Ruremundam concessit; ibi cartusiam desideratam repetens, posthabitis omnibus, monachum se Deo consecravit. Ubi mox ut sacrum habitum suscepit, tam religiose tamque integre vixit, ut etiam perfectis viris in se ostenderet quod dignum foret imitari : adeo

Ruremundæ Ordinem Cartusianum ingressus,

ANNUS 1423

namque se a mundi amore abstraxit, adeo ab otiosis sermonibus temperavit, adeo ab immoderato creaturarum usu abstinuit, adeo se inutilibus non occupavit, adeo denique nudum liberumque a vitiis animum Deo obtulit, ut divini amoris dulcedine ebrius, frequentes pateretur ad Deum mentis excessus, et divinis consolationibus continue illustraretur. Siquidem in oratione sæpenumero raptus ad Deum, tres aut plures horas stetit sine sensu, immobilis, viribus animæ in Deum abstractis. Quid multa ? adeo carus Deo factus est in solitudine ut supernis illum revelationibus dignatus sit, et merita ejus ac preces quantum apud se valerent etiam mundo ostenderit. Sensere ejus orationum virtutem desolati ac tristes, senserunt item inferni potestates : sed illi unde gaudebant, hæ unde invidebant. Porro sive loqueretur sive scriberet, licet tenui esset facundia præditus, eruditionis nihilominus gratia eminebat singulari. Orationi vero tanto instabat fervore, ut præter eas preces quas Ordo ille habet prolixas, Davidicum sæpenumero eodem die peroraret psalterium.

excellit in omni genere virtutum,

« Erat autem procero ac robusto corpore, laborum vigiliarumque patientissimus. Unde juxta Ordinis sui priscum illum rigorem, post cantatas cum Fratribus preces matutinas, quidquid superfuit noctis non quieti aut somno sed studiis ac orationibus dedit. Nonnunquam etiam integras noctes in oratione repertus est vigilasse. Atque ideo cum cæteri in hoc illum mirarentur, respondisse fertur : Ego ferreum habeo caput et æneum stomachum. Constat sane optimis ac robustis illum naturæ viribus fuisse, quibus arduum singularemque vivendi modum humilitatis ac modestiæ causa tribuit. Verumtamen devotionis gratia in illo longe fuit potentior, quæ ad hæc alia complura cæteris fortasse haud possibilia ipsum magno impulit fervore. Fuit et mirum in modum humilis, quippe quem magni facientibus cunctis ipse se contemnebat. Nec quod de seipso vilia sentiret contentus, cupiebat etiam in aliorum oculis vilis haberi : idcirco pro defectibus vel maxime exiguis graviter se accusans, et

maxime devotione, humilitate et abstinentia.

ANNUS 1423

palam et secrete humiliabat. Nec aliter modica delicta in quibus plerique solent gloriari ac cæteri magna plangebat. Conversationis internæ semper illi studium fuit, ideo satagebat ut secum habitans semper Domino sabbatizaret ; quo fiebat ut sensuum oblectatio in illo fere mortua esset : nam et ea quæ citra nauseam cæteri vix possint intueri, ipse pro cibo sumebat. Butyrum tabefactum vermibus, cerasa et alia id genus multa a limacibus prægustata, comedere non respuit; dicens hoc genus vermium nihil habere lethalis veneni, nec metuendum cum ejusmodi sumere eumdem cibum. Haleca si quando salsa fuissent nimium, aquis immergi atque in aerem jussit suspendi, nec edebat donec cellam putore oppleverant. Monitus ne sumeret illa : Malo, inquit, putentia in cibum sumere quam salsa. Abdicaverat enim jampridem a se omnem delectum cibi, et ob fervorem exercitiorum spiritualium diem sæpenumero ad noctem usque transigebat mediam. Adeo namque in legendis scribendisque libris erat assiduus, adeo in oratione fervidus, ut prandium propter illa nonnunquam differret et frigido sæpius uteretur cibo. Semper etiam sive vestiret sive exueret se, aut aliud quid operis ageret, nihilominus orabat. Abstinentia ejus in cibo potuque fuit mirabilis nec multis imitanda. »

CIRCA LIBROS DOMUS EXCUBIARUM CONTROVERSIA.

IV. Post abdicationem Domus Excubiarum anno præcedenti factam, quæstio orta est circa quosdam libros ab antea per Moniales Excubienses Domui Cartusiæ traditos ; an tuta conscientia servari possint ? Inde V. P. Domnus Procurator Cartusiæ Majoris rem, in hunc modum, generali Capitulo submisit : « Coram vobis Patribus Diffinitoribus, inquit, exponit Procurator Domus Cartusiæ, quod cum bonæ memoriæ Domnus Guillelmus Reynaldi Prior quondam hujus Domus, eo tempore, quo Moniales primo venerunt ad Domum Excubiarum, de pecuniis Domus istius e mutuo tradiderit summam quamdam eisdem Monialibus, indeque receperit ab ipsis aliquos libros, qui sunt in ista Domo, paucis exceptis ; et facta diligentia, non potuit inveniri quantæ pecuniæ fuerint commodatæ, vel quo pacto libri fuerint huc asportati,

cum sint de hoc diversæ opiniones. Nam ille qui libros huc asportavit, scilicet Guichardus tunc Procurator Domus hujus, dicebat opinando quod ipse ordinavit tunc ipsos libros esse Domus Cartusiæ. Item Domnus Obertus opinatur quod aliquæ pecuniæ fuerint a mutuo traditæ pro ipsis libris; et sic videtur sentire Reverendus Pater Cartusiæ modernus. Cum etiam bonæ memoriæ D. Joannes, Prior hujus Domus, commodaverit eis xxv scuta, et Reverendus Pater modernus xx florenos, et multæ aliæ expensæ fuerint factæ per Domum istam pro Domo illa, sæpius mittendo illuc Domnum Joannem G., Domnum Raymundum, Domnum Joannem Placentis, etc. : placeat vobis ordinare quod libri pertinent ad Domum Cartusiæ qui tunc fuerunt asportati, et hoc pro pecuniis et expensis de quibus supra fit mentio, maxime quia jam autoritate Apostolica, de voluntate Ordinis, ipsa Domus Excubiarum hoc anno translata est ad alienos; est de ordinatione vestra literas vestris propriis sigillis sigillatas concedere, ut ab inde de hac materia nullus scrupulus oriatur. » His auditis et mature perpensis, Patres hanc fecerunt ordinationem : « Nos Diffinitores Capituli generalis Ordinis Cartusiensis anni 1423, visa supplicatione præsentibus annexa, volumus et per præsentem ordinamus quantum possumus, ut libri de quibus ibidem fit mentio et pecuniæ (si quæ sint), pro libris ipsis jam venditis sint et perpetuo cedant in utilitatem Majoris nostræ Domus Cartusiæ. In cujus rei testimonium sigilla Domorum nostrarum præsentibus duximus apponenda. Datum Cartusiæ, anno quo supra, die 7 Maii. Ego Prior Bononiæ, loco sigilli quem mecum minime tuli, me quoque manu propria subscripsi. »

ANNUS 1423

Majori Cartusiæ addicuntur.

Nec his tamen contentus atque firmatus, R. P. Guillelmus de Mota timens ne quid iniquum ageret, judicem sumpsit Humbertum Aquini Prioratus Excubiarum Superiorem, qui die 30 Aprilis 1427 controversiam per infrascriptum Instrumentum diremit : « Notum sit omnibus præsentibus et futuris, quod cum eo tempore quo primo Moniales venerunt ad Domum Excubiarum Ordinis Cartusiensis, quidam libri

Assensus tamen Superioris Excubiarum requiritur,

ANNUS 1423

ejusdem Domus asportati fuerunt ad Domum Cartusiæ, ubi fuerunt spatio circa quadraginta annorum usque in præsentem diem; nullusque certitudinaliter aliter sciat, neque aliquo scripto constet, qua causa illi libri tamdiu ibi permanserint, sed tantum opinative refertur quod pro pecuniis mutuatis et expensis factis per Domum Cartusiæ prædictæ pro eadem Domo Excubiarum, cum licentia Apostolica et etiam cum voluntate Diffinitorum Ordinis Cartusiensis, ibidem fuerint aut venditi vel pignorati. Cum etiam mortui sint hi qui de hoc poterant informare, et cum Reverendus in Christo Pater Domnus Guillelmus Prior ejusdem Domus Cartusiæ in tali dubio non velit permanere, et cum remorsu conscientiæ sic perplexe dictos libros retinere : hinc est quod anno Domini (ut supra), ego frater Humbertus Aquini, Prior dictæ Domus Excubiarum a Sede apostolica de voluntate Ordinis Cartusiensis institutus, per eumdem Reverendum Patrem Cartusiæ et ad Domum Cartusiæ vocatus, visis libris et auditis opinionibus supradictis, bene ædificatus et bene sentiens de sua conscientia, recepi ad usum Domus Excubiarum quæ alias nunc dicitur Revestiti, in qua sum institutus Prior, de dictis libris quos et quales volui eligere, qui fuerunt numero viginti duo, et eos feci reportari ad ipsam Domum Revestiti. Reliquos vero qui similiter sunt quasi ejusdem numeri, et si qui alii possent reperiri in Domo Cartusiæ sub titulo vel nomine Domus Excubiarum, eidem Domui Cartusiæ perpetuo in tali dubio, ex certa scientia, volo remanere ad usum et utilitatem servorum Dei ibidem famulantium. Asserit enim idem Reverendus Pater Prior Cartusiæ fecisse diligentiam in quærendo, et in unum locum colligendo omnes libros hujusmodi quos ostendit mihi. Et si qui ex dictis libris hactenus per Domum Cartusiæ fuerunt venditi vel alienati, hoc ego approbo et pretium inde habitum quitto eidem Domui. Hoc autem facio quia idem Reverendus Prior Cartusiæ, nomine suo et Domus Cartusiæ ac etiam Capituli generalis Ordinis Cartusiensis, perpetuo quittavit penitus et remisit mihi et dictæ Domui Revestiti omnia

quem dat sub certis conditionibus.

in quibus ipsa Domus Revestiti posset esse obligata Domui Cartusiæ vel Capitulo generali totius Ordinis Cartusiensis, tam ratione et causa mutui vel expensarum quam etiam collectarum Ordinis usque in præsens. Et hæc omnia pro me et successoribus meis nomine Domus Revestiti promitto perpetuo rata et grata habere, nunquam qualicumque modo contra dicere, facere vel venire, per me vel per alium, cum omni renuntiatione juris et facti. In cujus rei testimonium sigillum parvum, quo soleo uti, præsentibus apposui ; et me propria manu subscripsi. Datum ut supra. Ita est. Humbertus Aquini Prior. » Quæ vero omnia minutatim percensere non recusavimus ut exinde commendabilis Patrum nostrorum simplicitas et animi probitas clarius conspiceretur atque, ut decet, amplius laudaretur.

ANNUS 1423

B. NICOLAUM IN GALLIIS STARE VULT SUMMUS PONTIFEX.

Tab. Vatic. Lib. II Brev. f. 97.

V. Ineunte hoc anno Martinus V negotium pacis instantis beato Nicolao rursus commendavit, scripta die 18 Januarii epistola quam F. Urbano Cartusiensi Gallias repetenti tradidit : « Propter summum nostrum desiderium, inquit Papa, illius pacis dudum magno studio procuratæ, sicut alias fraternitati tuæ scripsimus, placet Nobis et omnino volumus, ut adhuc ibi resideas et prosequaris incepta, vel per te ipsum vel simul cum venerabili fratre nostro Ludovico episcopo Portuensi, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinale, per Nos ad hoc pium opus pacis procurandæ cum plenæ legationis officio deputato, prout ex pluribus nostris literis cognovisse debuisti ; Nobis enim videtur, quod tua integritas, quæ omnibus grata est, plurimum profutura sit in isto negotio, et propterea non graveris perseverare usque ad conclusionem quam speramus esse propinquam. Cæterum pro tua consolatione remittimus ad te dilectum filium Urbanum de Ordine Cartusiensi, qui te etiam de hac nostra intentione plenius informabit. »

Duci de Bethford Nicolaum commendat ;

Et paulo post, die 24 Januarii, scripsit etiam idem Pontifex ad Joannem Bethfordiæ ducem ut in pacis negotio beato Nicolao faveret : dux etenim Henrici VI, Angliæ regis adhuc pueruli, tutelam agebat. Hujus pontificii Brevis

ANNUS 1423

Reg. Martin. V. Epist. 251.

sententia hæc erat : « Martinus, etc. Dilecto filio nobili viro, Joanni duci Bethfordiæ, etc. Dum celebris et præclaræ memoriæ Henricus rex Angliæ frater tuus ageret in humanis, ad eum et ad alios Principes, quorum consensus est necessarius pro tractanda pace, transmisimus venerabilem fratrem Nicolaum episcopum Bononiensem, virum Deo devotum et dignum Nuntium tantæ pacis, qui ex commissione nostra eamdem adhuc materiam prosequatur. Propterea Nobilitatem tuam affectuose requirimus et rogamus, ut ad tantum bonum Deo autore feliciter concludendum, et sibi te præbeas propitium et benignum : nam nulla res est, in qua magis possis Dei gratiam et hominum benevolentiam promovere. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, VIII kalendas Februarii, Pontificatus nostri anno sexto. »

sed, paulo post, mutato consilio,

Tab. Vatic. II. fol. 104. n. 110.

Mense autem sequenti, mutato repente consilio, Martinus V Carolo Francorum regi, ut Nicolaum Bononiam reverti sineret literas misit in hunc modum : « Pacem et quietem tuam et regni tui semper optavimus, et omni studio et charitate quæsivimus, et specialiter hac pro causa destinavimus ad eas partes venerabilem fratrem Nicolaum episcopum Bononiensem, sperantes ejus immaculatam vitam, prudentiam et integritatem, plurimum in eo pacis tractandæ negotio profuturam, nec dubitamus eumdem pro tanto et tam publico bono, sincero et libenti animo laborasse; quem licet Serenitas tua libenter audiret, et ob nostram et apostolicæ Sedis reverentiam ac etiam ob sua merita honoraret, et in omnibus benignitate regia pertractaret, sicut per literas ejus accepimus ; tamen Nobis, illius pacis desiderio nostrum animum stimulante, visum fuit ad tractatum tantæ rei eminentiorem personam cum plenæ legationis officio deputare, videlicet venerabilem fratrem nostrum Ludovicum episcopum Portuensem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalem, tunc putantes, sicut etiam nunc putamus, eum parti utrique gratum esse futurum ; nec propterea volebamus præfatum Bononiensem Episcopum revocare, quamvis forsitan, Cardinale ex commissione nostra negotium hoc tractante, ipsius

Episcopi præsentia non multum necessaria videretur. Nunc vero pro nonnullis novis et arduis necessitatibus nostris cupimus, et est nobis expediens, ut Episcopus antedictus ad civitatem nostram Bononiensem revertatur. Quare Excellentiam tuam rogamus, ut si assistentia sua non est admodum necessaria, si recessus ejus non affert impedimentum aut turbationem aliquam rebus cœptis, sicut credimus non afferre, præsertim sicut intelleximus, rebus inclinatis ad pacem, et Cardinale ad hoc negotium deputato, benignam licentiam ei concedas ut possit cum bona tui gratia ad Nos reverti. Nos enim eidem in hanc sententiam scribimus ut in Italiam revertatur; ita tamen, ut si ejus præsentiam necessariam esse cognoverit tam salutaris pacis perficiendæ causa, tantum bonum et omnem voluntatem tuam omnibus nostris et Ecclesiæ necessitatibus anteponat. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, xiv kalendas Martii, Pontificatus nostri anno VI. »

ANNUS 1423

Nicolaum in Italiam reverti jubet.

Quænam vero erant istæ novæ et arduæ necessitates? Juxta J. A. Victorium Bononia tunc pestilenti morbo laborabat, quocirca beatus Nicolaus ex Galliis fuit revocatus : quidquid autem sæviente ista pestilentia, ipse egerit audiamus : « Usque reditum maturabat, aiunt Ephemerides, suavissimam sponsam Ecclesiam revisurus a qua jam biennium aberat. Gestorum ergo ratione ad Pontificem perscripta, redituque ab eo impetrato, post pedum oscula distinctius iterum muneris totius ordinem gestaque illi enarravit, et falsos denique mortibus improvisis illius eventus, cum essent prope diem in quietem regnorum felicissimam exituri; Deo videlicet occultis consiliis incertam hominum providentiam eludente. Insigni cum benevolentia excepit et prosecutus est Pontifex, testatus sanctis ipsius laboribus quantum Romana Ecclesia deberet, quibus jam integre perfunctum perhumaniter dimisit. Inde optimus Præsul, Augusti octavo anno ejus sæculi vigesimo tertio, Bononiam optatissimus appulit, omniumque gratulatione mixtis gaudio lacrymis, velut omnium pater exceptus est, mendicorum præsertim et egentium qui nota sibi subsidia gaudebant restitui. Nec distulit Pastor

Bononiam appellit.

Vita B. Nicol. Alberg. ms. fol. 80.

Cap. 9.

ANNUS 1423

vigilantissimus vultum pecoris sui retractare et introspicere singula, ne quis forte ovem præferret lupus, aut ovium aliqua pessime affecta luem pestiferam reliquis affricaret; num recens aliqui abusus irrepsissent, vel possent industria aliqua fibræ veterum extirpari. Qua in re, ac ludo potissimum revellendo, cujus absente Episcopo, proculcata olim germina surgebant, adjutorem habuit strenuum Bernardinum Senensem. Bononiam hic sub idem temporis venerat et Italiæ laboranti a Deo in Apostolum tunc datus, qua victus et habitus asperitate omni, qua lucrandarum zelo animarum morumque sanctitate seraphicum Patrem ad vivum referebat. Lætus ejus adventu Nicolaus, fraternum illi amorem exhibuit. Icta per id temporis pestilenti lue Bononia, tunc prorsus caritas quam tota sit ignea et quam sua non quærat, ambo palam illustres hi Dei famuli magnifice fecerunt, omni ope contactis ferenda et vitæ prodigi (qua nihil magis proprie nostrum est) ut vitam iis et salutem servarent; diceres beatos Brunonem et Franciscum e solitariis latebris ad solatium populi densim morientis, in orbem excitatos. Cujus excelsæ caritatis Bernardinus, etsi tyrocinium posuisset in limodochio Senensium essetque in juvandis laborantium animis jam rude donatus, haud tamen re ulla huic cedebat Nicolaus; neuter has inter miserias quid somnus aut quid esset quies nisi obiter scivit; utriusque esse potuit illa vox magni Apostoli : Quis infirmatur et ego non infirmor? Cæterum privatis subsidiis publicas preces addidit Nicolaus, obivitque illas frequentissimus populus B. Præsulis imitatione ad pietatem inflammatus, cum eum videret totum in lacrymas dissolvi : sed ductum ex humeris sanguinem videre non poterat quem duro verbere per noctem ad placandum Numen exprimebat. Vicit tandem Deum iratum tam sancta precatio; et pestis, sic Deo placitum, brevi exaruit. Sed duos Christi servos supra omnem modum deprædicabat fama; per ora omnium Nicolaus et Bernardinus volitabant. Traxit illorum nomen sanctitatis e Longobardia Bononiam mulieres ducentas pœnitentium cultu in veste candida, sed atro stolatas et panniculis in

Adjuvante S. Bernardino abusus extirpare conatur.

Mira amborum charitas dum sævit pestilentia.

frontem cadentibus velatas, unde fletus latentes manifesti prodebant singultus, omnes quanto ab oculis omnium secretæ, tanto expressius veræ formam pœnitentiæ reddebant : per majora veris jejunia nullus abiit dies quin binæ ad ecclesiam majorem audiendo concionatori procederent, suaque et ipsæ tum rari exempli tum modestiæ muta concione multos ad frugem converterunt. Quibus mire lætus Pastor sanctissimus immensas divinæ misericordiæ horum fonti bonorum gratias agebat. »

* JESU CHRISTI

ANNUS 1424.

Martini PP. V Ann. 7.	Ordin. Cartus. Ann. 341.	Guillelmi III. Pr. Cart. Ann. 4.

PRIVILEGIA ORDINIS CONFIRMAT MARTINUS PAPA.

Recitantur apud Bohic.

I. CHRISTI Redemptoris annus sequitur vigesimus quartus post mille quadringentos, Indictione secunda, quo Martinus Pontifex confirmans omnia privilegia, immunitates et indulgentias ac exemptiones per prædecessores suos, sive per Reges et Principes Ordini nostro concessa, has ad eumdem dedit Literas : « Martinus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis magnæ Cartusiæ Gratianopolitanæ diœcesis, cæterisque Cartusiensis Ordinis Domorum Prioribus et Conventibus, salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates et immunitates a prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, sive per privilegia vel alias indulgentias vobis et Ordini vestro indultas, necnon exemptiones secularium exactionum a Regibus et Principibus ac aliis Christi fidelibus vobis et Ordini vestro prædicto concessas, sicut eas juste possidetis et quiete, vobis et per vos eidem Ordini autoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum.... Si quis autem, etc. Datum Romæ apud Sanctum Petrum,

septimo decimo Calendas Aprilis, pontificatus nostri anno septimo, » cœpto scilicet anno priore.

STEPHANI MACONI MORS PRETIOSA.

II. Hoc anno, die septima Augusti, sancte obiit admodum venerandus Pater noster Stephanus Maconi; antequam vero hujus viri justi pretiosam in conspectu Domini mortem describamus, de ejus in retinenda Ordinis disciplina severitate, ad nostram ædificationem et utilitatem, nobis sit sermo. « Ad alia quædam, ait sæpe laudatus noster Bartholomæus Scala, me convertam digna quæ silentio minime obruantur; ea quippe satis superque Stephani zelum ac curam, quam erga suorum Monachorum salutem gerebat, indicant ad retinendam quam castissime religiosam domesticamque Ordinis disciplinam, progressionesque in rebus divinis faciendas. Quæ partim e purissimo fonte hausta dixerim antiquarum nostrarum constitutionum, partim vero ex ejusdem Stephani deprompta pectore pleno spiritu suæ seraphicæ Matris epistolas illi divinitus dictantis ut supra attigimus; quarum epistolarum cœlestem doctrinam sensusque mirificos apprime idoneos censebat Vir pius noster ad inflammanda suorum Monachorum pectora in cursu religiosæ perfectionis : cujus rei experimentum plurimum sibi profuisse se testabatur. Ita enim exorsum quandoque Virum beatum scripsit Dominicus Pisanus, per ea tempora apud Florentinam cartusiam Monachus : Priores cupio certare pro existimatione Ordinis tuenda, sanctitate vitæ ac morum innocentia; ad primævum vero rigorem retinendum incumbere potius exemplo quam verbo ; suis Monachis levamen laborum esse debere, aiebat, ingenii suavitatem, clementiam, assiduum cum eis usum atque consuetudinem : et quo libentius jugum Ordinis ferant illudque pacato animo sentiant leve ac suave, diu domi se continere vigilantes et custodientes vigilias nocturnas pariter ac diurnas super gregem sibi creditum. Neque hisce tamen contentus erat, addit Dominicus, quo magis incorruptum integrumque quisque nostrum foras egressus ad res domesticas constituendas decus Ordinis retineret, ut si quem rei familiaris Curatorem aut aliquem alium ex domesticis admi-

Lib. V. c. 5.

Ejus in retinenda Ordinis disciplina severitas.

ANNUS 1424

nistris vago errore ductum cursare per oppida et castella rescivisset, verbis castigaret ardentibus tanquam sui immemorem propositi ; contumaces vero gradu deturbatos in Ordinem redigebat ut resipiscerent. Cujus rei causa legimus in veteribus generalium comitiorum codicillis, quæ Stephano Ordinis Primate habita fuere, Priorem quemdam per nundinas et emporia sæpe vagantem, inducto velamine negotia Domus transigendi, ut ad se rediret præfectura locoque motum. Hæc ut referamus haud veriti sumus nomen delicati ingenii nimiumque religiosi, non ignorantes in sacratis virtutum officinis, hoc est in monasteriis, nil parum aut leve esse ducendum, cum fere omnia magna mala ex minimis principiis paulatim proveniant. Ad hæc sibi valde esse cordi re et verbo monstrabat Stephanus, ut iidem Priores, si contingeret in aliquem suorum animadvertendum esse, eo casu exemplum ederent in peccantem lenitatis spiritu acti ac zelo justitiæ incensi ; ut in altero reus nocens suo in Præsidente parentis erga se studium agnosceret et confiteretur, in altero vero alte in se descendens neglecti officii errative se acriter argueret, rubore salutari saltem perfusus, si minus conscientiæ morsu perstrictus. Memores Priores, addebat, esse debere non ad enervandum propositum Ordinis, priscorumque Patrum spiritum extinguendum disciplinæ laxitate se ad cœnobiorum gubernacula tractanda vocatos, sed ad retinendum tuendumque præsenti animo spirituale religionis robur, animi æquitate, soliditate ac celsitudine quadam ad majorem Dei gloriam ; ne sua vel incuria vel remissione, internæ externæque custodiæ vigor studiumque virtutum debilitaretur ac frangeretur. Cujus rei causa sæpe solitum fuisse Stephanum tradunt ea usurpare, quotiescumque Monachorum exedram ingressus sedebat ex visitatorio munere, juxta Pater indulgens ac æquus dictorum factorumque censor ac judex, quæ divus Anselmus eleganti piscinæ similitudine suis explicabat, ne fervoris tepor ac languor erga monasticam disciplinam paulatim in suos irreperet : nimirum sicut rimulis, aiebat, in vivario per incuriam actis minusque occlusis,

Ad Priores monita.

ANNUS 1424

sensim defluunt latices ac divagantur, piscesque propterea in eo natantes tanquam extra suum elementum relicti pereunt; ita in sacris Religiosorum septis cum parvi minima ducuntur, pedetentim una cum disciplinæ rigore cunctus spiritus in res divinas extinguitur prorsus et evanescit. Hortabatur quoque Priores ut assuescerent per orationis studium Deo et non hominibus niti, et consilia sua rationis trutina examinata ad rationes divinas accommodare, cujus divinæ voluntatis interpretamenta suo arbitratu haurire poterant ex Ordinis constitutionibus divinitus inspiratis. Interponerent præterea rei transigendæ spirituales exercitationes, præsertim cum sese in quampiam animi sollicitudinem et anxietatem spiritus conjectos cernerent, ut per hujusmodi pietatis studium lumine divino illustrati, haud caderent animo sub fasce; et ad ea, quæ recte agenda sunt, videnda magis in dies roborarentur. Junioribus vero monachis optima in loco monita instillabat. Discerent et ipsi divinum ante conspectum pie ac pure incedere, agnoscerentque magnum Dei esse munus divini obsequii portare jugum ab adolescentia sua, fierique proinde levem et lenem eam quam forte sentirent initio asperitatem ad munera Ordinis fortiter subeunda, si assidua grati animi significatione continentique prece divinam Mentem rogarent, ut suum idem obsequium perquam purum castumque ad majorem ejus gloriam suorumque salutem sibi quotidie fieret. In eo omnem curam, studium industriamque omnem figerent ac locarent, ut senioribus mentis recessus ac pectoris latebras nudent ac patefaciant, et sancta Ordinis Statuta diurna manu nocturnaque versantes, illud vel præcipue arripiant perpetuumque custodiant, quod licet multa sint ac diversa quæ observamus uno tamen et solo obedientiæ bono cuncta nobis profutura speramus. Hanc totis animi viribus complectantur, huic se subdant et hanc sibi ducem magistramque sequantur, ne suæ tenaces sint sententiæ nec videantur. Argillosam quam incolimus cellam parum nobis prodesse, ferebat, si mente per vias et compita urbium vagamur, si pectus nostrum nundinas facimus et popinam. Pro-

Eos per orationem, Deo non hominibus, niti debere.

Ad juniores Monachos exhortatio.

Obedientia Cartusiano necessaria.

ANNUS 1424

inde e salutaribus seraphicæ virginis monitis hortabatur omnes ut construerent suum intra pectus spirituale domicilium, quod ingressi nunquam inde evagarentur, sed quocumque locorum, cocleæ instar, illud circumferrent; in quo inhabitantes tanquam in Eliæ specu, loquax illud divinumque silentium doctorem habeant, qui diserte eos doceat audire quid in nobis loquatur Dominus Deus. Ibi enim per fidem Christum inhabitantem sentient, in eo sui cognitionem invenient per quam humiles efficiuntur, invenient et divinæ clementiæ ac bonitatis notitiam divino in eis pellucente lumine, cujus luminis ac sui notionis causa orietur in eis ardor quidam et ignis amoris quem intra se sentient tanta cum suavitate spiritus, ut omnis amaritudo vertatur eis in dulcedinem, omnis animi imbecillitas et languor roboretur, et omnis privati amoris durities dissolvatur. Nec in eo degentes se propter se sed propter Deum amabunt, magnamque vim lacrymarum fundent dum sua desideria ardenti amore accensa in fratres extendent, quos non mercenario sed puro ac sincero prosequentur amore. Rursus alias : Expergiscamur, aiebat, fratres, et ex torpore desidiaque nos excitantes, dies nostros ex Instituti nostri præstantia insumamus ad nostram frangendam voluntatem divinamque exequendam, per exercitationes humilitatis et obedientiæ, per studium internæ compunctionis et mœroris, per studium, inquam, divinæ contemplationis ad quam omnes animi nostri impetus nobis sunt dirigendi. O quam felix fortunatusque Monachus ille ! qui dum vitam ducit in hoc circo mortalitatis, tempus non inanibus futilibusque cogitatis terit, sed sacræ litterariæ exercitationis pabulo se recreans, vegetior inde robustiorque evadit, ut vineam animæ suæ excolat, spinas ex ea ac tribulos (hoc est pravas animi propensiones ad res humanas) evellat, peculiarem ac proprium suimet amorem sensusque vitiosos extirpet, inque illorum locum fructuarias virtutes inserat. Hæc et alia id genus sæpe dicebantur a Stephano dum ex officio, ut diximus, nostra monasteria ratione animoque lustrandi inter monachos versaretur ; æquus rerum morumque

Solitudo quam proficua.

Spiritualis ager improbo labore colendus.

castigator simul et publici juris asservator Instituti. Ex quibus fiebat ut ex ingenti studio quo eum cuncti prosequebantur, summa voluntate ejus monita acciperentur; quæ non casu quodam aut uno eodemque argumento ex ardentissimo ejus pectore prodibant, sed mirum in modum accommoda maximeque idonea personarum rationibus ac vitæ degendæ proposito. Quæ consentire videntur iis quæ Antonius Macius Clarentinus, qui ejus temporis æqualis Montellanam Parmensemque cartusiam administravit, de Stephano monasteria nostri Ordinis visitante literis mandavit, qui hæc inter alia addidit : Cum Stephanus ad monasterium quodlibet adventaret ut ex more munus obiret Visitatoris, et in eo res non usquequaque lætas quandoque offenderet, Deum sibi consulendum inprimis frequenti prece ac quotidiano sacrificio putabat, antequam rem ex officio aggrederetur. Quo tempore mens ejus divinis illustrationibus ac suavitate spiritus perfusa, hauriebat a Patre luminum quæ de re essent ad negotium integre transigendum, quæque mox suis monachis traderet ut ad virtutem perfectius instituerentur... Et paulo post : Explanabat prisca Patrum Statuta, et ad ea amplexanda efficaci oratione verborumque pondere unumquemque adhortabatur; primos ubique renovabat ardores. Beatæ suæ Catharinæ documenta in medium identidem afferebat, et ad monasticæ vitæ formam et disciplinæ rigorem intentus, primævum Ordinis spiritum apud unumquemque in digressu linquebat. Et si quid molestiarum cœnobii inspectio interdum ferebat, propter nationum ingeniorumque varietatem, placide devorabat. Nec paternum modo in omnes studium, sed maternam quoque suavitatem retinebat, ut quisque agnoscere posset in Stephano vim apostolicæ vocis : Facti sumus parvuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foveat filios suos. Visitatione peracta ad ægrotos visendos si qui Domi lectulo affixi erant revertebatur, eosque blanda oratione demulcens, suæ apud illos charitatis certa vestigia relinquebat, quando ne quid ægrotantium cura desideraret gravi præcepto jubebat. Qua agendi ratione in Visitatione obeunda, tantum afferebat uni-

Quo modo Visitatoris munus obibat Stephanus;

ANNUS 1424

versis utilitatis et gaudii, ut nullus ab eo tristis aut contracta fronte discederet, nulli non ab eo cumulatissime satisfieret.

« At multus essem ac tædii plenus, si per singula Stephani virtutum ire vellem, quas in decursu nostræ scriptionis opportune delibavimus. Tacebo igitur ejus in adversis fortitudinem, animi tacebo religiosam in domesticos simul et extraneos liberalitatem, in pauperes benignitatem, clementiam denique et animi æquitatem, et ad ejus obitum prosequendum stylum et orationem convertam.

Febre corripitur.

« Hisce igitur virtutum præsidiis munitus ornatusque testimonio, Stephanus noster vitam ad devexam usque senectam duxit : septimum circiter ac septuagesimum annum natus. Tanta vero cum opinione inusitatæ sinceriorisque religionis ac sanctitatis habebatur, ut ad eum quam plurimi tanquam ad divinæ voluntatis interpretem de rebus dubiis consulendum confluerent, ipsique sui cordis arcana reserarent. Sed ille cum invisus omnibus et obscurus esse cuperet, atque intra suæ cellulæ amicos recessus multo libentius se contineret quam in exterorum conspectum se daret, ad eum statum devenit jam in rerum cardine positus, ut diu noctuque nihil aliud cupere videretur quam de cœlestibus sempiternisque bonis assidue loqui ac cogitare, cum res suas omnes ita ad summi Boni studium componeret, ut jam quædam beatitudinis præludia et futura cœlestis patriæ gaudia animo præciperet ; ut verum illud esse reipsa cunctis ostenderet quod olim a sapienti viro litteris consignatum fuit : Optime nimirum eos vivere qui maxime curant ut quam optimi reddantur, suavissime autem illos qui maxime sentiant sese fieri meliores. Igitur in hac pacata et tranquilla vitæ statione cum esset Stephanus, leni febricula primum tentari est cœptus ; quæ paulatim vires capiens, quotidie magis in venerabilem senem sævire cernebatur. At ille seipso terrisque major, ad extremum usque spiritum mentem illam suam singulari Dei munere in potestate habuit, qua tam sancte atque utiliter semper fuerat usus. Id ubi cœnobii Patres animadvertunt, rati non procul abesse tempus beati Viri abscessus, omnes

Cap. vi.

Xenoph. de Dict. et Fact. Socrat. Lib. IV, in fine.

in ejus cubiculum convenientes divinissimo viatico sanctoque oleo ad pugnam ineundam eum muniunt. Ille Deo plenus, eosdem Patres lectulo circumfusos intuitus, consueta sua lenitate ac spiritu ad institutum perfectæ vitæ cursum sancte ac fortiter perficiendum in arrepto Ordinis proposito expedite adhortatus est, precatusque unicum solatium illud ac dulcissimam libertatem Religiosis undique claustris sibi devinctis putarent, ut in obedientiæ legibus disciplinæque rigore summa voluntate studioque se continerent. Id quod longe facilius eis erit futurum si ab orationis studio, quæ omnium virtutum est parens, animæ tamen plenæ Dei lumine numquam discederent. Deinde in Monachos juniores tyronesque oculos conjiciens, in magnum fletum erupit vix ut sibi temperare posset, spirituali quadam in eos teneritate dulci mixta gaudio commotus; at collecto spiritu ita eos affari est orsus : Filii, Ordinem amate qui vos amat, qui vos in gremium suum (hoc est in Dei tutelam) ab exitiali sirenum cantu ac tyrannico diaboli dominatu per gratiam Dei abstractos continet ac fovet, qui vos ad obsequium Christi Jesu (cui servire regnare est) peramanter adduxit ; rememorate pristinos dies, caute ambulate, simplicitatem in dictis factisque diligite quæ cœlestium donorum est capax, et fons beatæ cordis tranquillitatis cellulis vestris apprime necessariæ. Vestris precibus me apud Deum juvari opto, qui vobis semper benedicat et constantia roboret ad munera Ordinis ad extremum usque spiritum strenue obeunda. Hæc cum beatus Pater eloqueretur cadebant ab omnium oculis lacrymæ, præclara interni mœroris testimonia, dum contemplarentur Virum beatum in ultimo rerum omnium articulo constitutum. Sed magis magisque morbum ingravescere conspicati, Stephanum paulisper ut conquiescat admonent. Ille vero lumina in cœlum tollens silenter orabat. Dein conversus ad quemdam monachorum prope assidentem, Sanctorum reliquias ob oculos sibi statui deposcit. Orat iterum et in Deum quasi absorptus, Mariæ matris gratiæ ac Catharinæ nomen ingeminans, lenissime mortalitate eximitur, VII Idus Augusti, anno post Chri-

Moriens, Fratres suos alloquitur.

Spiritum placidissime Domino reddit.

ANNUS 1424

stum natum millesimo quadringentesimo vigesimo quarto; et ad ea quæ semper in pectore tenuit et ob oculos habuit æterna migravit gaudia, ut eximia ejus sanctitas nobis pollicetur. Patres itaque ac Monachi Ticinenses simul atque tanto Viro, qui eos tot annos antea singulari charitate ac prudentia rexerat, orbatos se vident; illius venerabilem ac jucundissimam speciem in feretro adhuc jacentis insolito quodam cum divinæ consolationis gustu contemplantes, mira animi jucunditate perfundi se sentiunt, novumque ardorem sibi accessisse experiuntur ad illum tanquam unum aliquem de cœlestibus invocandum, ac sibi suisque tectis Patronum ac Tutelarem asciscendum, pro certa spe beatitudinis ad quam recta eum evolasse quisque sibi persuadebat. Publicum igitur mœrorem in commune gaudium convertentes, Stephanum de cœlo devocant, ejus patrocinium ac tutelam omnibus in rebus deposcunt; eique ob insignem religionem ac sanctimoniam, uti divinum ante conspectum immortali gloria cincto, preces privatim effundere arbitrantur. Qui pius Monachorum erga Stephanum sensus ejusque obitus didita fama tantum valuit in patria terra, ut Senenses primarii, medii, infimique, præcipua pietate ad nostra usque tempora eum colant et inter suæ civitatis præsidia et firmamenta ducant ac venerentur; recordati in primis Stephani spectatam sanctimoniam ad publicum exemplum christianæ virtutis in rem patriæ sedis, quando ut in omnium ore tanti Viri nomen et memoria versarentur, intra extraque urbem Senas ejus imaginem pingendam curarunt elogiaque passim inscripserunt; et auspicem ducemque in virtutum cursu appellantes, in Sanctorum Beatorumque virorum Senensium sertum, quo magna Dei Mater cœlique Regina uti universæ Senarum civitatis princeps Domina ac præcipua Patrona est redimita, inseruere.

A Senensibus civibus præcipua veneratione honoratur.

« Interea temporis, vulgata per pagos et viciniam Stephani morte, ad cartusiam quamplurimi ejus exequias cohonestandi gratia confluere cœperunt. Quippe cum per tot annos in magna apud omnes veneratione fuisset, ob eximias animi

ANNUS 1424

sui dotes ad permovendos animos ad studium æternitatis, lamentabantur alii solatium suis in miseriis amisisse, alii pauperum subsidium illum fuisse palam prædicare, alii communem parentem, pupillorum tutorem ac miserorum levamen vocare. Patres autem pie ac rite corpus ejus curatum, in sacrum communeque conditorium terræ mandarunt. Et profecto nusquam Vir celsæ illius sacræ molis, secundum Vicecomitum Principes, autor et promotor constanter habitus, mori ac sepulturæ mandari quam in ipsa molis structura debuit convenientius, ut sparsa post ejus obitum et aucta singularium virtutum fama, ad Patrum superstitum valeret exemplum; sic ut intento quasi digito sacratus venerandi sepulti corporis commonstratus eis locus, monumentum esset per quod secum serio agitarent animo ac dicerent : Hic jacet ille qui primus omnium hujus amplissimæ molis semina jecit, irrigavit, sudoribus laboribusque coluit, et inter tot animi difficultates, inter tot judiciorum pericula ac capitis discrimina, sudavit et alsit. Et ad extremum pro magnificentissimæ hujus structionis tuenda causa, ipsum Dei numen vindicem ac defensorem habuit, ita ut quod esset tam dubiis Principum consiliis, discussionibus ac judiciis agitatum, jactatum, excussum, idipsum per summam Stephani virtutem ac vitæ sanctimoniam nulla unquam vis ac potestas aut temere vituperare auderet, aut in controversiam dubiumque vocare. »

In communi cartusiæ cæmeterio sepelitur.

III. Domnus Fr. Maresme, de quo jam supra diximus, hoc anno Prior novæ Domus Montis-hilaris instituitur, sed paulo post ad regimen Vallis Christi transfertur ; retenta tamen, quamdiu vixit, suprema et speciali hujus cartusiæ Montis-hilaris directione. Res quidem plane inaudita et notatu dignissima, quam sic narrat Autor chronici ms. Domus Portæ-cœli : « Postquam, ait, decem per annos præsentem Domum Portæ-cœli D. Maresme strenue gubernaverat, et in spiritualibus et temporalibus eam melioraverat, visum fuit Patribus Capituli generalis anni 1424 novam Domum Montis-hilaris indigere ejus industria et prudentia. Et licet jam ibi esset noster Joannes de Nea, ipsum præfecerunt in Priorem

FRANCISCUS MARESME PRIOR MONTIS HILARIS INSTITUITUR ;

ANNUS 1424

dictæ Domus. Aliquoties inter Religiosos hujus nostræ Domus percontari vidi, quænam fuerit causa seu occasio propter quam duo isti comprofessi nostri, nempe Domnus Franciscus Maresme et frater Joannes de Nea, Domum Montis-hilaris in tantum dilexerint ut revera dici possit quod quamdiu vixerunt in humeris suis illam portaverunt, ac modis omnibus adjuverunt et extulerunt, adeo ut quidquid in reditibus sive ædificiis utilitatis aut commodi habet dicta Domus, totum hoc adscribendum sit his duobus præclaris viris. Causa tamen hujus pii affectus seu propensionis, usque modo omnino mihi incomperta et incerta manet. Quod autem certum est, quemadmodum ex catalogo Priorum hujus Domus nostræ liquido constat, hoc præsenti anno illuc illum perrexisse ad regendam præfatam Domum ; et evidens quoque est non potuisse perdurare in dicto Prioratu ultra duos annos, nam anno 1426 jam erat Prior Vallis Christi sicut colligitur ex quodam procurationis Instrumento (quod penes nos asservatur) facto per ipsum Petro Bellido presbytero, die 30 Martii anni 1426, in hunc modum se habente : « Noverint universi quod ego Franciscus Maresme, Prior monasterii seu Domus Vallis Jesu Christi, Ordinis Cartusiensis, diœcesis Segobricensis, Rectorque et administrator major seu Superior in spiritualibus et temporalibus Domus novæ Montis-hilaris, dicti Ordinis et diœcesis Barchin., electus et deputatus per Reverendum in Christo Patrem D. Guillelmum Priorem religiosæ Domus Majoris Cartusiæ, Gratianopolitanæ diœcesis, vicegerentem Capituli generalis, cum quadam litera pergaminea patenti ipsius Domni Prioris vicegerentis, sigillo dictæ Domus Majoris Cartusiæ sigillata, data Cartusiæ die 24 mensis Novembris anno a Nativitate Domini 1424; de certa scientia, nominibus prædictis, constituo et etiam ut procurator, negotiator, actor specialis et generalis, ad hæc et alia una cum religiosis fratre Bernardo Ribes, Converso Domus Scalæ Dei, et fratre Joanne de Nea, Converso Domus Portæ-cœli ejusdem Ordinis,.... » In hac scriptura observandum est quod dicitur, quod etsi in Domo Vallis Christi

dein Prior Vallis Christi,

retenta tamen Montis-hilaris administratione.

Prioratus munere fungeretur, nihilominus reservaverat sibi nomen generalis administratoris Montis-hilaris. Non quod interim, et etiam quando Prior generalis Cartusiæ deinde fuit, dicta Domus non haberet proprium Priorem, nam hoc evidenter monstratur in Chartis Capitulorum generalium quæ in nostro Archivo asservantur, sed quia ipse de speciali facultate et commissione retinuerit superintendentiam et directionem dictæ Domus quamdiu vixit, una cum fratre Joanne de Nea, disponendo fabricam novam et ædificia quæ fiebant juxta prudentiam et discretionem suam. Anno autem 1427 cum claustrum majus hujus nostræ Domus minaretur periculosam ruinam, nec haberent Conventuales sumptus ad ejus reædificationem necessarios, et hoc notificassent Reverendo Patri Cartusiæ, ipse præcepit Domno Maresme Priori Vallis Christi et Visitatori provinciæ ut ad hanc Domum accederet, et huic necessitati sicut melius judicaret sollicite provideret. Venit ergo et per unum mensem conferens et tractans cum Conventualibus, omnia opportuna remedia investigavit et inquisivit. Ac tamen reliquit quamdam scripturam in qua disposuit modum et ordinem quo dictum claustrum instaurari poterat et debebat. Quæ scriptura, in pergamino exarata et sigillo in cera rubea Domus Vallis Christi munita, est apud nos. »

ANNUS 1424

BENEDICTUS XIII MORITUR.

IV. Die penultima Novembris ejusdem anni defunctus est, utinam in pace! Petrus de Luna; in sua (tunc temporis fere nulla) obedientia nuncupatus Benedictus XIII. Ex illis qui in ejus fide manserunt Anticardinales, unus erat vulgo dictus Cardinalis Cartusiensis, gentilicio autem nomine Dominicus de Bonafide. Natus erat in Badalona, viculo ab urbe Barcinone duabus leucis et a loco de Monte-hilari sesquileuca distante. An Cartusiensem professionem emiserit sive in S. Pauli de Maritima vel in S. Jacobi Vallis-Paradisi Domo, incertum; certum tamen hanc ultimam Domum rexisse anno 1413 quo monasterium Montis-hilaris ut supra diximus, emit, in quo Conventum Sancti Jacobi transtulit; sicque Protoprior hujus novæ cartusiæ evadit : unde refutantur qui

ANNUS 1424

Dominicum volunt jam ab anno 1408 inter Cardinales coaptatum. Honorum ac dignitatum avidus, a Benedicto XIII, tum Cataloniam peragrante, haud erubuerat efflagitare licentiam prorsus inauditam et nostris Statutis maxime contrariam : nempe Montis-hilaris prioratum in reliquam vitam retinendi. Negavit quidem Pontifex, sed ut beneficio novum fautorem captaret, Dominico præbendam, nescio qualem, in Dertusiensi episcopatu concessit. Cum anno 1419 Patres Hispani ab Ordine (propter Antipapam cui fidem dabant) separati, tandem unico Romano Pontifici et Reverendo Patri Majoris Cartusiæ Gratianopolitanæ adhæsissent, Dominicus Benedictum deserere recusavit : indeque detentus est in Domo Sancti Pauli, e qua fugiens, Paniscolam venit; quem Benedictus, auditis quæ pro ejus causa, vere an ficte, pertulerat, tanquam fidelitatis martyrem peramanter excepit. « Die autem septima decima Novembris anni 1424, Dominus Benedictus incipiens infirmari, eodem mense, die vigesima septima, quatuor Cardinales creavit, videlicet Julianum de Loba tituli XII Apostolorum, Eximinum Daha tituli S. Laurentii in Lucina, Dominicum de Bonafide tituli S. Petri ad vincula et Joannem Carrerii tituli S. Stephani in Monte Cœlio : quibus creatis, die penultima ejusdem mensis inter septimam et octavam horam » expiravit inveteratus ille dierum malorum, inquit Spondanus, olim in sua obedientia Benedictus nuncupatus ; adeo in sua obstinatione perseverans ut et suos sacramento adjuraverit alium in suum locum eligere : quinimo, ut habet Autor Burdigalensis hujus temporis, etiam postquam loquelam amisit, ne forte rem negligerent, accepto calamo suis qui aderant Cardinalibus injunxerit sub pœna maledictionis æternæ, post mortem suam alium eligere in Papam.

Dominicus de Bonafide, Cartusianus, ab eo Cardinalis creatus.

Ex Epistola Joan. de Thurena, apud Martene. Thesaur. novus Anecdot. II. col. 1731.

ad ann. 1424. n. III.

« Est quidem verum quod tempore mortis Benedicti XIII duo Cardinales Aragonenses prædicti * erant in Curia, in qua applicuit cardinalis Sancti Petri sabbatho quatuor temporum mensis Decembris proxime sequentis. Cardinalis autem Sancti Stephani extra Curiam residebat, in castro

Joann. de Thurena loc. cit.

* Loba et Daha.

videlicet de Torrena, Ruthenensis diœcesis, cui numquam fuit significata mors dicti domini Benedicti per dictos Cardinales nec alios, usquequo mense Junii proxime sequenti fuit significata sibi per serenissimum Principem dominum comitem Armaniaci. Hoc etiam tempore pendente, dicti Cardinales fingentes dictum dominum Benedictum vivere, in Missis diebus consuetis dabant Indulgentias solitas, ac si Papa viveret. Scripserunt seu scribi fecerunt plures literas diversis personis nomine dicti Papæ ut viventis, et plures bullas plumbaverunt seu plumbari fecerunt cum plumbo dicti domini Benedicti jam mortui, et fere in omnibus utebantur ac si viveret. Pendente etiam hoc tempore, Cardinales Aragonenses, et dominus Rodericus de Luna mortem prædictam Regi Aragonum, pro tunc circa partes Neapolitanas existenti, secrete nunciaverunt, et interim intrare conclave, eligere et Ecclesiæ de Pastore providere prætermiserunt malitiose, ut creditur, prout experientia expost docuit. Cum autem cardinalis Sancti Petri* instaret sæpe et sæpius ut conclave intrarent et Ecclesiæ providerent de Papa, sibi dicebant : Domine, non curetis, quia non intendimus alium eligere quam vos; et tam separatim quam insimul pluries sibi dixerunt et promiserunt quod ipsum eligerent in Papam; adjicientes quod nolebant alium, dum tamen ipse vellet acceptare : et sic per tales fictas et vanas promissiones (quas dictus Cardinalis Sancti Petri ante ingressum conclavis non acceptavit ullo modo) ipsum duxerunt, absque eo quod Ecclesiæ providerent, usquequo habuerunt responsum a dicto Rege fere circa medium mensis Maii proxime sequentis, ut infra dicetur. Hoc etiam pendente tempore, diversi tractatus habiti sunt inter dominum Rodericum de Luna et dominum Ægidium Sancii Munionis..... unde assistentes præsumpserunt, sicut expost apparuit fore verum, quod dictus dominus Rodericus promiserat eidem domino Ægidio ipsum facere Papam..... Cardinalibus remanentibus in conclavi in discordia et inter se diversa verba injuriosa habentibus, Cardinale XII Apostolorum eligente Cardinalem Sancti Petri et vice versa, Cardi-

ANNUS
1424

Mors Antipapæ ex industria celatur.

* Dominicus de Bonafide.

nalis vero Sancti Laurentii nominavit dictum Ægidium in Papam ; qui illico ab aliis duobus tanquam vilis et abjecta persona fuit refutatus : quod audiens idem Ægidius adhuc in Paniscola existens, tamquam furibundus recessit.... Tunc Rodericus de Luna accedens ad portam conclavis vocavit duos Cardinales Aragonenses dumtaxat, non vocato domino Sancti Petri, et eisdem duobus dixit talia verba vel in effectu similia : Cur non eligitis dominum Ægidium Sancii Munionis in Papam ?... Dicti autem duo Cardinales dictis verbis auditis et favore Regis et patriæ, ut creditur, et ad instantiam dicti domini Roderici, post recessum dicti domini Roderici ad invicem inter se loquentes, illico declinaverunt ad personam dicti domini Ægidii quam gratam fore Regi credebant, et notificaverunt dicto domino Sancti Petri quod ipsi erant concordes de eligendo dictum dominum Ægidium : quod audiens Cardinalis Sancti Petri et graviter ferens, videns tamen quod ipsi erant duo et faciebant duas partes collegii in conclavi, et quod in vanum contradiceret eis super coeligendo, eisdem tandem adquievit ; » et elegerunt Ægidium Sancii Munionis, Aragonensem, militari genere natum, Decretorumque Doctorem et canonicum Ecclesiæ Barcinonensis in pseudopontificem, qui nomen Clementis VIII sumpsit. Cardinalis autem Sancti Stephani (J. Carrerii) qui tunc huc usque steterat in Galliis nec ullo modo electioni prædictæ adfuerat, Paniscolam applicuit 12 Decembris 1425, et « contra Ægidium Munionis procedere voluit ad novam electionem alterius Papæ una cum cardinale S. Petri, Dominico de Bonafide, quem ad suam sententiam traxerat. » Quum vero res Clementi VIII innotuisset, statim Cartusiensem in obscuro carcere detrudi jussit ; qui ibi per triennium mansit. De eo ad annum 1429 iterum dicemus.

Clemens VIII antipapa eligitur.

ORDINATIONES.

V. Simplicitatem Ordinis ad hæc usque tempora viguisse satis arguit ordinatio facta hoc anno quæ hujus tenoris est : « Quia in plerisque nostri Ordinis Provinciarum Domibus tabulæ curiosis imaginibus depictæ in altaribus, et aliæ diversæ picturæ cum clypeis et armis sæcularium et formis

mulierum, contra sanctam Ordinis simplicitatem et humilitatem, tam in fenestris vitreis et aliis locis contra Statuta multiplicantur, de quo Nobiles viri non modicum scandalizantur : ordinamus ut tales omnes picturæ tabulæ et aliæ curiosæ picturæ amoveantur, ubi sine gravi scandalo fieri poterit, et non de cætero fieri permittantur ; Visitatoribusque Provinciarum committitur ut hoc firmiter faciant observari, et Priores in hoc inobedientes punire non omittant. »

Ad servandam vero mutuam charitatem, Patres talem edicunt pœnam in quosdam qui hanc virtutem viris solitariis apprime (licet rarius) necessariam violaverant : « Injungitur Priori Domus N..., quod quoties D. N... et D. N... ad invicem rixabuntur vel alias invicem rixando pacem violaverint, ambo simul in refectorio ad terram et in una scutella comedent, aut alter eorum qui culpabilis fuerit ; nec Prior super his possit dispensare. »

* JESU CHRISTI

ANNUS 1425.

Martini PP. V Ann. 8.	Ordin. Cartus. Ann. 342.	Guillelmi III. Pr. Cart. Ann. 5.

MARTINUS V CONFIRMAT PRIVILEGIA CLEMENTIS VII ET BENEDICTI XIII

I. SEQUITUR annus millesimus quadringentesimus vigesimus quintus, Indictione tertia, quo, ut omnem cuicumque scrupulo vel dubitandi prætextui viam intercluderet Martinus Papa V, semper in Nos propensissimus, solemniter confirmavit quædam maximi momenti privilegia nostro Ordini tempore schismatis, a Pontificibus utriusque obedientiæ concessa.

Inter Privileg. n. 112.

Et primum quidem, Nonis Octobris, anno sui Pontificatus octavo (1425), privilegium Clementis VII et Benedicti XIII, de decimis papalibus et aliis impositionibus et procurationibus non solvendis ratificavit, data bulla e qua principaliora tantum excerpimus, ut sequitur : « Martinus episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam. Sacri Cartusiensis Ordinis perseverantiam et augmentum sinceris zelantes affectibus, quæ ad ipsius et personarum sub eo degentium favorem provide facta sunt, ut illibata persistant, libenter opportunis confirmationibus roboramus. Sane petitio dilectorum filiorum Cartusiæ Grannopolitanæ diœcesis, necnon aliorum Priorum et Fratrum dicti Ordinis, nuper nobis exhibita, continebat quod dudum Clemens septimus in obedientia sua nominatus, prædictorum Priorum, Fratrum et personarum in ea parte supplicationibus inclinatus, eisdem Prioribus, Fratribus et personis in eadem obedientia et devotione ipsius persistentibus, autoritate Apo-

stolica et certa scientia indulsit ut Priores... ad præstationem decimarum, subsidiorum, etc., per Sedem apostolicam pro Camera apostolica impositorum.... ad contribuendum minime tenerentur... Petro de Luna, Benedicto XIII in sua obedientia nuncupato... exposito quod licet essent prorsus exempti et liberi pariter et immunes, tamen nonnulli collectores... Priores... ad præstationem solutionis et contributionis compellere non verebantur : idem Petrus de Luna, tunc Benedictus XIII, eosdem Priores a præstatione decimarum prorsus exemit et in perpetuo liberavit... certis super hoc per ipsum Petrum, tum Benedictum, executoribus deputatis. Quare pro parte Priorum et Fratrum prædictorum nobis fuit humiliter supplicatum ut exemptionem, liberationem, indulta et decreta ac omnia alia in præfatis Literis dictorum Clementis septimi et Benedicti XIII contenta, autoritate Apostolica, præfata de benignitate Apostolica confirmare dignaremur. Nos igitur... exemptionem... et omnia alia... confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus... Datum Romæ apud SS. Apostolos... » die et anno quibus supra.

ANNUS
1425

de decimis papalibus, etc, non solvendis.

Eisdem die et anno, idem Pontifex Martinus exemptionem a jurisdictione quorumcumque Ordinariorum per Clementem VII et Bonifacium IX Ordini nostro concessam confirmavit tali modo : « Martinus episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam. Excitat nostræ mentis arcanum specialis affectio, qua dilectos filios Generalem et universos Priores et Fratres Cartusiensis Ordinis sumus hactenus prosecuti et paterno studio prosequi non cessamus, ut libenter non solum ipsos atque eorum loca et personas in eis degentes, qui ferventibus studiis per exempla virtutum alios ad divinæ Majestatis obsequia trahunt, gratiis ac libertatibus foveamus ; verum etiam quæ pro eorum tranquillo statu et pro prædictorum subsistentia firmiori provide facta sunt, ut illibata persistant cum a nobis petitur, confirmationis Apostolicæ munimine roboramus. Sane petitio pro parte dictorum Prioris et Fratrum nobis nuper exhibita continebat : quod dudum quondam Clemens, in sua obedientia VII nominatus,

Exemptio ejusdem Martini Papæ,

Inter Privilegia, n. 114.

ANNUS
1425

a jurisdictione quorumcumque Ordinariorum.

Personæ et loca Ordinis Sedi apostolicæ immediate subsunt ;

ita olim sanxerat Clemens VII,

per suas literas Priores et Fratres prædictos, necnon etiam dilectos filios universos et singulos Monachos, Conversos et Donatos, qui tunc erant et essent pro tempore, ac monasteria, Prioratus, Domos et loca alia dicti Ordinis ac eorum bona ubicumque existentia, præsentia et futura, sub sua et apostolicæ Sedis et beatorum Petri et Pauli apostolorum protectione suscepit : eaque a quorumcumque Metropolitanorum, locorum Diœcesanorum, et aliorum ordinariorum judicum lege, dominio, potestate, coercitione, compulsione, censura, jurisdictione, etiam per appellationem vel alias pro quavis causa, autoritate Apostolica prorsus exemit et totaliter liberavit. Necnon idem Clemens VII, Priores, Monachos, Conversos, Donatos, monasteria, Prioratus, Domos et loca hujusmodi, sibi et Sedi præfatæ immediate subesse decrevit et etiam ordinavit : ita quod iidem Metropolitani, Diœcesani et alii ordinarii judices, ratione delicti vel contractus seu quasi, aut rei de qua ageretur, ubicumque committeretur delictum, iniretur contractus, vel res ipsa consisteret, non possent in Priores, Monachos, Conversos, Donatos, monasteria, Prioratus, Domos et loca prædicta, excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias fulminare, aut quamcumque jurisdictionem aliam, dominium, potestatem, cognitionem, decisionem, coercitionem, compulsionem, vel censuram quomodolibet, etiam per appellationem aut alias exercere : inhibendo nihilominus idem Clemens eisdem Metropolitanis, Diœcesanis, ordinariis judicibus et quibusvis aliis, communiter vel divisim, ne ipsi contra dictarum suarum literarum tenorem, aliquid attentare præsumerent : ac decrevisset ex tunc irritum et inane quidquid in contrarium a quocumque ex quavis autoritate scienter vel ignoranter contingeret attentari. Quoque præfati Clementis VII intentionis fuisset, quod per susceptionem, exemptionem, subjectionem et ordinationem hujusmodi, prædictis Prioribus et aliis Præsidentibus in dicto Ordine, quominus jurisdictionem eis aliis in Monachos, Conversos et Donatos prædictos a quomodolibet competentem, in eosdem libere exercere

valerent, sicut prius, nullum præjudicium generaretur, prout in ipsis literis plenius continetur. Et deinde quondam Bonifacio, in sua obedientia IX nuncupato, pro parte dilecti filii Prioris generalis et Fratrum prædictorum exposito, quod licet dictus Ordo cum omnibus monasteriis, Prioratibus, Domibus et locis ejusdem, atque personis degentibus in eisdem, ab olim reputatus esset et tunc etiam communiter reputaretur fore a jurisdictione quorumlibet ordinariorum judicum exemptus, et soli Sedi prædictæ immediate subjectus ; tamen nonnulli locorum Ordinariorum, cupientium dictorum Prioris generalis et Fratrum dicti Ordinis privilegia et libertates infringere, et diversis ex causis eos inquietare et multipliciter molestare, ac personas ejusdem Ordinis ad forum suum trahere et alias vexare præsumerent, propter quod, nonnunquam Prior generalis et Fratres prædicti a contemplatione et quiete sua contra Religionis statum trahi, et sæcularibus negotiis implicari oporteret : ac pro parte dictorum Prioris generalis et Fratrum eidem Bonifacio supplicatum, ut ad evitandum cujuslibet molestiæ et inquietationis materiam, et gravamina quæ ipsis contra hujusmodi exemptionis libertatem possent inferri, et ut tolleretur quælibet contra eos omnis occasio malignandi ; Priorem generalem et Fratres, necnon Ordinem prædictos, cum omnibus monasteriis, Prioratibus, Domibus et locis ejusdem, pro incremento eorumdem status, et pro pace et tranquillitate personarum degentium in eisdem, de novo plenarie eximere dignaretur. Præfatus Bonifacius, dictorum Prioris generalis et Fratrum supplicationibus inclinatus, etiam per suas literas, Priorem generalem et Fratres, necnon Ordinem prædictos, cum omnibus et singulis monasteriis, Prioratibus, Domibus et locis eorumdem, quæ tunc habebant et in posterum ipsos habere contingeret, et cum personis degentibus in eisdem, præsentibus et futuris, ab omni ordinaria jurisdictione, dominio, visitatione ac potestate qualibet, omnium et singulorum Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum et aliorum quorumlibet judicum ordinariorum, de

ANNUS 1425

similiter et Bonifacius IX

ANNUS 1425

novo prorsus exemit et liberavit totaliter; illaque in jus et proprietatem beati Petri et Sedis apostolicæ prædictæ, ac sub eorum et sua speciali et immediata protectione suscepit; decernens Ordinem, monasteria, Prioratus, Domos, ac loca, et personas hujusmodi, soli et immediate Sedi prædictæ fore subjecta. Et quia locorum Ordinarii seu Diœcesani vel alia quævis persona, in Priorem generalem et Fratres seu monasteria, Prioratus, Domos, aut loca, vel personas, præfata, utpote prorsus exempta, non possent autoritate ordinaria excommunicationis, suspensionis, et interdicti sententias promulgare; vel etiam alia ratione delicti vel contractus aut rei de qua ageretur ubicumque committeretur delictum, iniretur contractus, vel res ipsa consisteret, jurisdictionem aliquam exercere : necnon excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias et quoscunque processus quasvis pœnas et sententias continentes, quas et quos adversum Priorem generalem et Fratres ac monasteria, Prioratus, Domos vel loca aut personas hujusmodi, contra tenorem et formam exemptionis hujusmodi ipsius Bonifacii IX quomodolibet promulgari contingeret, irritas decrevit et inanes ac nullius existere firmitatis. Quoque idem Bonifacius IX per exemptionem et libertatem hujusmodi et alia supradicta, libertatibus, privilegiis et immunitatibus vel aliis juribus, Prioris generalis et Fratrum Ordinis, ac monasteriorum, Prioratuum et Domorum atque locorum prædictorum, nullum intendebat præjudicium generari : quinimo voluit quod illa in sua plena remanerent firmitate, prout in ipsius Bonifacii literis præfatis dicitur plenius contineri. Quare pro parte Priorum et Fratrum prædictorum, nobis fuit humiliter supplicatum, ut exemptionibus, susceptionibus, subjectionibus et omnibus aliis præmissis in præfatis literis dictorum Clementis VII et Bonifacii IX contentis, robur Apostolicæ confirmationis adjicere de speciali gratia dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, exemptiones, susceptiones, subjectiones hujusmodi, et omnia alia præmissa, necnon dictas literas et quæcumque in eis contenta, sicut rite

Hæc omnia ratificat Martinus V,

et provide facta sunt et concessa, rata habentes atque grata, ea autoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc. Datum Romæ apud SS. Apostolos, v Nonas Octobris, Pontificatus nostri anno octavo. »

ANNUS
1425

Item et eodem die, confirmavit summus Pontifex inhibitionem Benedicti tredecimi, ne quis de Ordine Cartusiensi transeat ad alium Ordinem, nisi cum bulla plumbea Apostolica; similiter et privilegium Urbani, sexti nuncupati, quod Ordo Cartusiensis non tenetur præstare quæcumque præsidia Nunciis apostolicis.

Inter Privilegia, n. 115.

Denique, paulo post, id est VIII Idus Novembris ejusdem anni (1425), « per Apostolica scripta mandavit venerabili Episcopo Bononiensi (beato scilicet Nicolao Albergati), et dilectis filiis Decano Lugdunensis et Præposito B. Mariæ ad Gradus Coloniensis ecclesiarum, quatenus illi per se vel per alios, Generali et aliis Prioribus... super contentis in Clementis VII et Benedicti XIII literis (de non solvendis decimis, ut supra), efficacis defensionis præsidio assistentes, non permittant Priores et personas Ordinis quomodolibet molestari vel etiam impediri; contradictores per censuram ecclesiasticam compellendo. »

datis super hoc executoribus.

II. Superius, id est anno 1373, diximus Gregorium Papam XI, sancti Gorgonii abbatiam in Gorgonæ insula Nostris concessisse : ibique novam Cartusiensem Domum fuisse ædificatam, quam licet pia Monachorum conversatione florentem, cito tamen generale Capitulum deseruit eo quod fere semper piratarum incursus experiretur. Etenim jam paulo post hujus novellæ cartusiæ plantationem, Urbanus VI, die sexta Junii 1382, Priori Artium de Florentia ducentos auri florenos Gorgonæ monachis solvi mandaverat ut damna a prædonibus illata resarcire valerent. « Anno autem 1420, de mense Junio, ait Molinus noster, sub prioratu et regimine venerabilis Patris Domni Bartholomæi de Viterbio, triremis Tunetana ad dictam insulam appulit, insidiis paratis, propter dispositionem insulæ hujusmodi insidiis aptissimam ob na-

CARTUSIA GORGONENSIS A PIRATIS SÆPE OPPUGNATA.

pag. 554.

ANNUS 1425

turam loci : est enim tota recessibus plena, sinuosa, montuosa, nemorosa, ita ut ad monasterium per abrupta ad jactum lapidis conscendere quis possit, nemine cominus secernente ac conspiciente. Itaque signo dato, armata manu insulanos aggressi, quos fuga non subripuit gladius peremit. Contigitque ut eadem die Monachus quidam, Domnus Privalis nomine, a curia Januensi, et frater Joannes de Bononia Conversus una cum Petro Galletto de Ragugia Oblato et jam septuagenario, et Georgio de Jara ibidem amore Dei serviente, ad calum Biervecchiæ, sive ad turrim Fratris-Bindi, descenderent, quos interceptos, captivos ad triremem traxerunt, Petro Galleto jam septuagenario graviter in capite vulnerato et semivivo relicto ; discessumque simulantes revera autem in insidiis habitantes per tres dies, quibus elapsis denuo diffusi fratrem Simonem de Luca Conversum (qui charitate ductus e clivio descenderat quatenus dictum Petrum sive viventem sive defunctum ad monasterium asportaret) captivarunt, secumque cum cæteris Tunetum in Africa deportarunt ; qui postmodum maximis expensis redempti sunt. » Sic etenim in Charta anni sequentis (1421) legitur : « Recommendamus pie omnibus Prioribus Ordinis qui præsenti non interfuerunt Capitulo generali, quatenus Dei amore et charitatis intuitu recommissum habeant, et largas manus ad eleemosynas porrigant, sicut qui præsenti Capitulo interfuerunt, pro redemptione quinque captivorum a Sarracenis de insula Gorgonæ, Domus Ordinis nostri ; videlicet unius Monachi, duorum Conversorum et aliorum duorum famulorum, qui ab infidelibus detinentur in vinculis. » Non omnes tamen redimi potuerunt, quum in Charta anni 1426 « denuntietur obitus fratris Joannis, Conversi quondam Gorgonæ, qui obiit captivus Sarracenorum. »

Monachus et Conversi duo in Africam deportati.

Iterum prædones domum diripiunt.

Itidem anno 1423, de mense Aprilis, altera triremis ad præfatam insulam applicuit, egressique prædones ecclesiam sacellumque sancti Gorgonii diripuerunt, altaria et Sanctorum imagines dissiparunt, Reliquias profanarunt, ædificia solo fere adæquarunt molendinumque exciderunt : nec his

contenti Religiosos (decem numero) qui præcipiti fuga se ad fortalicium Turris-veteris receperant, obsiderunt ; ast monachi ita impavide propellerunt hostes, ut brevi piratæ eos expugnandi spem amisere. Tunc unum captum monasterii famulum et omnia quæ rapuerant ad navem trahentes, recesserunt. « Quibus discessis, Patres e turre exilientes, quidquid supellectilis, imaginum sacrarumque Reliquiarum, librorum ac scripturarum colligere potuerunt, navigium sortiti, Liburnum secum detulerunt et ad cartusiam Vallis Calci se transtulere anno 1424.

Molin, ut supra.

« His de causis, ait Molinus, considerantes Capitulum generale et Reverendus Pater, Domnus Guillelmus de Mota tunc Prior Cartusiæ, non esse tutum præfatum monasterium inhabitare nec servos Dei in mancipia Barbarorum maximo cum damno et religionis dedecore adsportari, consulto decreverunt præfatam Domum Gorgonæ cartusiæ sanctæ Mariæ sanctique Joannis evangelistæ de Calci unire, incorporare et annectere cum omnibus suis juribus. Itaque de anno 1425, 11 Maii, hæc unio, incorporatio et annexio facta fuit, beneplacito sanctæ Sedis apostolicæ requisito ; sedebat tunc temporis in sede Petri Martinus quintus Columna, qui super hujusmodi negotium facta inquisitione per dominum Laurentium de Rosselminis, nobilissimum canonicum cathedralis Ecclesiæ Pisanæ, tanquam a Sede apostolica delegatum, ac comperta rei veritate, de anno 1428 sub datum Romæ pontificatus ejus anno nono, kal. Julii, præfatam unionem motu proprio et autoritate Apostolica, monasterium scilicet Gorgonæ monasterio cartusiæ Vallis gratiosæ de Calci univit, annexuit et incorporavit cum omnibus suis juribus, actionibus, oneribus et honoribus, omnesque ecclesias quas præfatum monasterium de Gorgona retinuerat et retinebat in insula Corsicæ et Sardiniæ, sive cum cura sive sine cura, huic monasterio cartusiæ Vallis Calci donavit, confirmavit, ac tanquam de mensa monasterii esse censuit et voluit ; quarum collationem et provisionem per capellanos presbyteros idoneos, ad nutum amovibiles, ad Patres spec-

Gorgonæ Domus cartusiæ Pisarum unitur,

approbante summo Pontifice,

ANNUS 1425

tare decrevit, nullo super hoc requisito loci Ordinario, quamvis hodie ad parrochianam jurisdictionem requiratur approbatio solummodo præsentati; quæ jura, privilegia et rationes usque in hodiernum diem apud Monachos et monasterium conservantur illæsa. Vacantibusque ecclesiis hujusmodi in præfata insula Corsica, per monachos de rectoribus et capellano idoneo providetur, nullo super hoc se ingerente Ordinario loci præterquam in approbationem præsentati.

hac lege ut in Domo Pisana capella S. Gorgonii construatur.

Hoc insuper provisum fuit a Capitulo generali atque a summo Pontifice confirmatum, ut in cartusia contrueretur capella in honorem sancti Gorgonii martyris in memoriam monasterii Gorgonæ, quod factum fuit. » Monachus autem quidam antiquatæ S. Gorgonii Domus, omnimodæ qua in hac insula fruebatur solitudinis dum esset memor immemorque periculi, a generalis Capituli sententia ad sanctam Sedem appellavit, rogavitque Gorgonæ repetendæ facultatem : sed a Martino V destinati Commissarii, videlicet Abbas S. Michaelis juxta Pisam et Laurentius Rosselmini canonicus, re omnibus ex partibus trutinata, ordinationem Capituli confirmarunt, Romaque in decisis stetit.

pag. 556.

« Itaque, pergit Molinus, diruto a Sarracenis et piratis monasterio et a Patribus derelicto, jus insulæ Gorgonæ permansit apud Patres cartusiæ Vallis Calci usque ad annum 1513, Leone decimo tunc summo Pontifice : qui ad arcendum piratarum accessus, præfatam insulam reipublicæ Florentinæ donavit, reservato tamen directo dominio monasterio cartusiæ Vallis Calci cum annua recognitione unius libræ ceræ laboratæ; quæ quidem Respublica emphiteosim accepit insulamque retinuit et huc usque Magni Duces Etruriæ retinent. Sed monasterium cartusiæ canonem minime recepit, titulum tantummodo directi dominii retinens. Hæc sunt quæ de monasterio Gorgonæ colligi potuerunt ex archiviis scripturarum cartusiæ Pisanæ. »

LEONARDUS CAMALDULENSIS MONACHUS,

III. Captivum cum Gorgoniensibus Cartusianis piratæ duxerant Leonardum de Avona, monachum professum Ordinis Camaldulensis, qui simul ac Nostri carcere liberatus,

in Religione Cartusiensi imposterum conversari decrevit. Quum autem licentiam ad Nos transeundi a suo Generali, celeberrimo illo Patre Ambrosio Camaldulensi petiisset, non omnino hic recusavit, sed ad perseverandum in pristino statu eum dehortatus est; laudato tamen, et egregie quidem, Cartusiensium Instituto; unde operæ pretium duximus hanc ejus epistolam inserere : « Frater Ambrosius sacri Camaldulensis eremi Prior, dilecto filio D. Leonardo Monacho professo nostri Ordinis, salutem cum benedictione perenni. Accepimus literas tuas quibus te significas miserationibus Domini redemptum de infestissima immanitate gentilium, et de miserabili jugo barbaricæ servitutis ereptum. Egimus Deo gratias, dilectissime fili, qui numquam deserit sperantes in se, quique te idcirco hoc genere probationis exercuit, ut fides tua multo esset pretiosior auro, quod per ignem probatur. Illi laus, illi gloria, illi gratiarum actio, qui servos suos ideo flagellat ut corrigat; ideo vexari patitur, ut ad purum omnem squalorem, omnem sordem rubiginis tollat. Fecisti autem amanter, fili carissime, quod me tam læto tuæ ereptionis nuntio exhilarare voluisti. Novit enim scrutator cordium Deus quanto mœrore animi tua vincula captivitatemque tam miserabilem et conditionem vilissimam mecum cogitabam, et ferre opem voluissem si quo pacto licuisset. Deo gratias qui non solum te ab illo ergastulo, sed nos quoque a vi mœroris absolvit ac mirifice consolari dignatus est. Sane quoniam humiliter postulas absolutionem a professione Ordinis, atque ut ex permissione nostra liceat tibi transire ad Cartusiensem Religionem, et vivere in illa quod reliquum est vitæ tuæ spatium cum captivis Fratribus illius Ordinis tecum pariter absolutis, amplector, fili, intentionem humilitatis, quod voti tui non immemor, nihil quamvis salubre, quamvis arduum, sine Prælati tui consensu tentare voluisti; dicam tamen paterno affectu quod sentio. Nosti, fili, hujusmodi mutationes fuisse semper vitiosas ac leves a sanctis Patribus existimatas. Recolis te inter cætera professionis tuæ vota, stabilitatem quoque in Congregatione promisisse. Quod si indecens vel

Nostrorum Gorgonensium concaptivus,

Martene, Vet., Script. III, 421.

e carcere simul cum eis ereptus,

cum eis in nostro Ordine vivere intendit.

Nec laudat hanc voluntatem,

monasterii mutatio voluntaria, levisque et inconstantis animi judicium existimatur ; cogita quanto magis reprehensioni pateat non monasterii solum, verum Ordinis quoque habitusque mutatio. Quod si majora conversationis certamina agere vis, districtioremque vivendi normam, potes illam in Ordine tuo facile consequi. Sunt namque monasteria perpetuo clausa in quibus perfecte per Dei gratiam sanctæ Religionis nostræ servatur Regula. Est eremus sacra nostri Ordinis caput quæ anachoreticam professionem ac districtionem æmulatur ; potes in his, fili, absque reprehensionis nota quiete et sanctissime vivere. Sancta est illa Religio ad quam transire cupis, nemo ambigit; verumne nostra quidem multum laudata, in his scilicet monasteriis in quibus regulare servatur institutum ? Ne ipsi quidem religiosi viri qui vere discreti sunt hujusmodi mutationem in te laudabunt, probabuntque potius reditum ad nos tuum, quam hoc ad se diverticulum. Cæterum ut ista potius ex judicio, consideratione et affectu tui quam ex ulla privata affectione dicta noveris a me, quasi impediendi tui causa atque ab instituto retrahendi, paternumque animum et consilium magis quam Prælati autoritatem recognoscas, si persistas proposito et transire ad Cartusienses Fratres velis, etsi non satis probo, permitto tamen ; teque cum benedictione et benevolentia nostra a nobis ad illos migrare concedo, atque inter eos ut unum illorum Religionis habitare. Admoneo tamen paterno affectu ut quæ a nobis dicta sunt repetas, ac sæpius relecta diligenti examinatione perpendas. Quod si transire decreveris, id obsecro, quod te talem exhibeas, ex cujus operibus laudetur Deus a Fratribus tuis. Vale. »

nec tamen denegat licentiam ejus Superior Generalis.

* JESU CHRISTI

ANNUS 1426.

Martini PP. V Ann. 9. — Ordin. Cartus. Ann. 343. — Guillelmi III. Pr. Cart. Ann. 6.

I. CHRISTI Redemptoris annus exoritur vigesimus sextus post mille quadringentos, Indictione quarta, quo Martinus V beatum Nicolaum, « nullius precibus, nullius intercessione, sed sua sponte, S. R. Ecclesiæ Cardinalem designavit. » Fluebat, inquit ejus biographus apud Ephemerides Cartusianas, nondum typis excusas sed brevi ut speramus prælo dandas, « fluebat beati Præsulis primus et quinquagesimus vitæ annus, in administratione muneris qualem exposuimus nonus; eadem semper in adversis constantia, moderatione in secundis, ubique vigilantia et amore : cum ævi tum currentis anno vigesimo sexto, illam ejus ad summum provectam cum excellenti virtute prudentiam statuit Martinus Pontifex sacra purpura ornare, cui ejus menti æquissimæ incredibili assensu totus purpuratorum Patrum consessus adplausit; ac licet aliis etiam acclamatum creatione hac altera promotis, haud quotidianæ scilicet virtutis ac meritorum viris, at peculiari quodam instinctu ac modo dictum est pro Nicolao : Bonum factum; ut qui esset ex reliquorum omnium dotibus absolutus, et ex ejus delectu omen faustissimum accepit Roma, orbisque christianus spes hausit maximas præsidii quo adhuc plurimo indigebat. Et re quidem vera ad hoc decus Romam evocari dissimulaverat Pontifex alia specie, sed in itinere positum fecit de tota re cardinalem certiorem. Quo sane nuntio

B. NICOLAUS CARDINALIS EST CREATUS,

Poggius in Oratione funebri B. Nicolai.

Ephemerid. Cartusianæ cap. x.

plaudentibus omnibus.

ANNUS 1426

quid apud se senserit, dixerit, questus sit, voluerit Nicolaus, dubium esse non arbitror; nam æque ut apices honorum nihil horrebat, seque infra omnes et locabat ipse, et judex sui vilissimus locari ab aliis gestiebat. Etenim quo vultu delatam viderit purpuram, quos ore colores dederit, non satis Historici explanant. Aiunt Bostius et Dorlandus universum ab sese honorem repulisse, ut mitram Episcopi vidimus ab sese fuisse deprecatum. De purpura scribit Sigonius omni ambitu egisse ut eam diffugeret, seque illa tamdiu abdicando ad pedes Pontificis perstitisse donec ad eam admittendam censuræ præcepto cogeretur : sed narrat in ejus funere Poggius perinde de pileo audisse ut frigidior marmore, ne minimum quidem aut vultu aut lingua moti animi signum præ se ferret; evidenti profecto indicio ista quæ homines tanti putant, quam nihili faceret : excepisse tamen quod deferebatur, ne Pontificis erga se animum spernere videretur (24 Maii). Utrobique laude dignissimus seu demissione sui modestior seu in parendo obsequentior esse maluerit; certe omnibus ubique virtutis partibus defunctus. Illud vero pro certo traditur, in tanto licet fastigio sublimem, de severioris vitæ consuetudine sic nihil remisisse ut ne habitum quidem Cartusianum immutarit; idem secum et intra se, qui prius nec sui unquam dissimilis; exterius dumtaxat paucula in usu quorumdam parcissimo quæ habet reverentia purpuræ necessaria adjuncta. Integritas eadem, continentia, benignitas, pietas iisdem in officiis impigra; suimet despicientia, etiam in alto abjectior, fastu nullo, quod ait Poggius, vel pompa vel sensu illibatæ vitæ candorem interpungentibus, cardinalibus idea, teste Antonino, quam exprimerent, factus. Addunt Bostius et Dorlandus pascendis qua verbo populis, qua instituendis formandisque per eruditas epistolas bene multis incubuisse ardentius, fuisseque illius sapientiam Primoribus, Principibus, Regibus venerandam; vitam pro sanctimoniæ exemplo, pro ecclesiarum institutis ac legibus mores, pro miraculo doctrinam et eloquentiam. Reddebat ex se intuentibus ubique, velut e tersissima crystallo, vivam

Ipse vero nil de severioris vitæ consuetudine remisit.

effigiem virtutis, Antistitum decus, parentem pauperum, asilum miserorum, Principum pacificatorem, profligatorem errorum et schismatis ; rei denique christianæ firmamentum, et quidquid ageret ac mente versaret ad Patrem luminum omnia referebat. Laudum vero fumos vetabat tamquam auram pestilentem, licet eæ honoribus vinctæ fugienti perpetuo instarent. Atque his diserte encomiis Nicolaum Dorlandus noster prosequitur, et hac luce fulgentem dum exhibet ex illustrissimi exempli argumento monstrat, datos cœlitus Cardinales ut Seraphinorum vices in Dei Ecclesia impleant. Mœstum tamen et ex impositæ onere dignitatis affectum gravius consolatus est purpuræ quam acceperat titulus a sancta Cruce in Hierusalem ductus ; quo titulo crucem tenere amanti nihil potuit venire jucundius, gentilitio exinde scuto Albergatorum familiæ rejecto, crucem in posterum habere voluit pro insignibus, quæ una hodieque Bononiæ multis locis in episcopio spectatur. Hoc æmulatum postea legimus Thomam Sarzanensem, qui et ipse in tesserarii laterculi area præter pontificias claves duas nihil pingi voluit. Ædes vero ad habitandum legit Nicolaus apud sanctam Pudentianam, mediocres et ab frequentia semotas, ut esset, dum Romæ ageret, ab aulæ tumultu collectior.

ANNUS 1426

Vocatus Cardinalis S. Crucis.

II. « Neque vero Martinus hoc illum cardinalitiæ dignitatis ornamento cohonestasse satis habuit, quin etiam insigne ac magnificum imprimis adjunxit munus legationis, cujus decernendæ hæc materia data : Philippus Mediolani dux, jam pridem animo ad Italiæ dominationem aspirans, bellum Florentinis internecivum intulerat, et cum Martino ipsa hujus belli consilia sociarat. Quare compulsi Florentini sese Venetis suspectas jam pridem Ducis ipsius opes habentibus junxerant, ac maximo exercitu congregato, Philippi ditionem adorti, Bergamum ei ac Brixiam magna cum castrorum Cremonensium parte ademerant. Itaque Martinus, Philippo socio in maximas rerum suarum difficultates adducto, consulere, atque imminentia Italiæ mala propulsare desiderans, pacem inter eos conciliare constituit, ac propterea ad eam

PRO PACE ITALIÆ MULTUM LABORAT.

Bellum erat Ducem Mediolan. inter et Venetos atque Florentinos.

ANNUS 1426

tractandam ac transigendam Nicolaum cardinalem, spectatæ multis in rebus autoritatis ac sapientiæ virum decrevit. Dat se in viam Cardinalis, et Septembris septimo decimo Bononiam suam in itinere positam revisit, quanto civium applausu et alacritate, quantis et prodeuntis obviam magistratus et urbis extra muros effusæ lætitiis difficile dictu est! pastor sane ac pater, Cardinalis et legatus, non potuit ab iis honorificentius excipi. Mox* oratoribus eorum, ad quos bellum pertinebat, cum mandatis convenire Ferrariam jussis, ipse eoque adivit, ubi summam Nicolai marchionis erga se humanitatem atque hospitalitatem expertus, utriusque partis procuratoribus evocatis, ei cognitioni operam dare singulari animi æquitate instituit. Causa vero utriusque magno animorum ardore ac partium contentione tractata, et variis injectis postulatis querelisque distracta, cum pax ad optatum perduci exitum haud posset, nisi ipse cum Principibus in colloquium congressumque veniret, primo Venetias deinde Mediolanum accessit. Venetias autem profectus ac summis honoribus a Senatu illo ornatus, sic cum Francisco Foscaro duce egit causam, ut senatus retentis urbibus atque oppidis bello partis, se pacem compositurum esse promiserit. Pridie inde Calendas Octobris (literis ab eo de tuto per Lombardiam itinere sumptis) Mediolanum ad Philippum decessit, atque hominem allocutus (licet gravissime de Venetorum avaritia et Florentinorum superbia conquerentem) ad Bergamum et Brixiam dimittendam adduxit. Quare sequenti anno (1427) Bergamo profectus, ad Venetos in possessione cæterorum locorum constituendos procedens, Brixiam adiit. Eam vero urbem ramum olivæ præferens iniit, ab Episcopo, clero et magistratibus universis exceptus; qui usque ad rivum Mellam cum crucibus et vexillis, gratias Deo solemnibus hymnis concinendis agentes, obviam prodierunt. Cum autem inde agrum Brixianum exisset ut castra ipsa urbi apposita quæ a Philippi custodibus tenebantur, Venetis magistratibus præsentibus ex pacto tradi juberet, omnes præclusis portis invenit, asserentes se neque Venetos neque eo-

*i. e. die 19 Septembr.

A Venetis Nicolaus honorifice suscipitur,

rum amicos intra oppida recepturos. Quod ex tacito Philippi mandato factum, occulta aliqua bene gerendæ rei spe oblata erecti, putatum est. Quod ut Nicolaus vidit, vehementer permotus, reverti ad Philippum voluit; sed Venetorum præfecti prohibuerunt, qui rem non verbis sed armis dixerunt esse decernendam, atque ad singula quæ restabant oppida deinceps senatus autoritate adduxerunt exercitum. Ita Nicolaus re irrita sexto Idus Februarii rediit Bononiam. Inde octavo calendas Martias Romam ad reddendam impeditæ legationis rationem progressus, ibi quatuor menses peregit; per quos Veneti omnia Brixiana castra Philippo frustra resistenti eripuerunt. Quod ut ipse audivit, octavo decimo calendas Septembris eo consilio se contulit Bononiam, ut verba iterum de pace inferret, ac Cremonensia oppida ad Ollium spectantia, quæ a Venetis postulata controversiam adhuc faciebant, restituenda curaret.

a Duce vero Mediolanensi ludificatur.

« Itaque Pontificis jussu iterum Roma profectus, in Ligusticos fines venit. Exierat tunc Mediolano Philippus, quod fere alias nunquam consueverat, et ad Pizzicatorium oppidum (quod passuum millia quinque supra triginta Mediolano abest) sese contulerat. Cum vero post solitos honores de rebus pacis pariter conferre atque agere cœpissent, et plerosque dies sermonesque super hisce causis conditionibusque protraxissent, nihil rectum Philippus, nihil integrum penitus sentire videbatur. Quod ut singulari prudentia Nicolaus animadvertit, quanquam dolore et molestia anxius, quidquid agi, dici, tractari, persuaderive potuit, experiretur; neque eo magis proficere quidquam, aut flecti ad servandam conventorum fidem Philippus posse videretur; cum quid ageret amplius non haberet, certiorandum consulendumque summum Pontificem censuit. Erat tunc apud Nicolaum Thomas, et sacris et sæcularibus literis eruditissimus, ex Sarzano oppido Januensis regionis oriundus, qui diuturnam illi operam præstiterat. Hunc propter singulares virtutes, eximiamque doctrinæ, fidei, diligentiæque præstantiam Nicolaus unice diligebat, et primarium apud se constituebat,

Iterum ad ducem mittitur Nicolaus,

Sigonius Vita B. Nic. Alberg. cap. x.

quem ad pacem haud simulatam inclinare nequit.

ANNUS 1426

fideque atque autoritate nemo apud illum gratior et carior erat. Est autem is, qui post Eugenium summæ Apostolatus paulo ante præfuit arci. Hunc Thomam ad Martinum summum Pontificem ire jubet, et quæ Philippo mens, quæ verba, quæ acta, quæ spes, quæ opinio concipi valeat, nota facere. Ipse cum Venetias venire constituisset, quod graviter in urbe pestilentia laborabatur, Mathemaucum* venit**, quod millia passuum quinque Venetiis abest; ad eum locum Nicolai gratia Princeps Venetus et senatus omnis accessit, summique honores Nicolao habiti sunt, de rerumque statu sermones collati et consilium actum.

* Malamocco.

** i. e. die 28 Augusti.

A Venetis Dux victus pacem ultro rogat. Sigonius c. XI.

« Inde dissolvens cum mandata Pontificis præstolaretur, nunciata est insignis illa clades Philippo illata, qua apud Machilonium* (sic enim loco nomen est) illius militares omnes copiæ a Venetorum Ducibus profligatæ ad internecionemque deletæ fere sunt. Ea calamitate cum ferox ille Philippi animus, qui per superiora tempora flecti nullo pacto potuerat, mitior compressiorque redditus esset, et pacem tam diu spretam supplex petere atque ultro rogare adduceretur, rursum in pacis mentionem pertractationemque ventum est. Ferraria urbs commoda et idonea ubi convenirent est visa. Eo Nicolaus profectus, oratores partium illuc etiam sunt secuti. Ducta est res diutissime*, et de pacis exitu sæpenumero desperari visum : graves enim inter partes esse videbantur dissensiones, neque in unam poterant convenire sententiam. Subterfugere videbatur Philippus, et quanquam ad pacem proclivis admodum et pronus apparuerat, instaurationem tamen quærere et petere non desistebat. Veneti etsi modestioribus animis viderentur, tamen quod parta victoria facile Philippi vires extingui posse arbitrabantur, lentius tepidiusque accedebant. Florentinorum omnino erant promptissimæ ardentissimæque ad pacem mentes, qui fatigati fessique diuturno bello et sumptibus fere intolerabilibus exinaniti, spem omnem quietis in pace defixerant. In tanta rerum atque animorum varietate, cum desperatis plerumque rebus digressuri infecto

* Macala.

* a die 16 Oct. 1427 ad 18 Apr. 1428.

negotio oratores partium viderentur, tanta tamen fuit in Nicolao prudentia, tanta diligentia et patientissima tolerantia, ut superatis difficultatibus universis, paci tandem (quippe post semestre, quæ agitari cœpta erat) optatus commodusque finis daretur, dictæ conditiones præscriptæque assensus partium omnium præstitus : supererat tantum ut quæ convenerant integre servarentur. Eam ob rem Nicolaus nullo fractus labore, iterato in Ligures profectus, fere provinciam omnem non sine gravissimis incommodis pro rerum felici exitu peragravit, sæpe agresti tuguriolo pro locorum difficultate tectus, nonnunquam vilissimo etiam cibo indiguit, bellorum diuturnitate et rapacitate atque atrocitate militum passim regione omni exhausta, et mirum in modum rebus usui necessariis exinanita. Cæterum etsi angusta omnia viderentur, non tamen, ut prius inde digrederetur, quam servata executaque commenta conspexisset, adduci potuit. »

Pax tandem componitur.

Vitæ ducum Venetor. Rer. italic. Scriptor. c. XXII. col. 999.

Tab., Vatican. lib. Brev. IX. 49.

Pax vero composita XIV calend. Maii 1428, hora quinta noctis, ait Marinus Sanutus, pridie Idus Maii fuit promulgata. Tali autem epistola summus Pontifex, beato Nicolao est congratulatus quod præcipue illius zelo ac sapientia pacem inter Ducem Mediolani, Venetos ac Florentinos sanxisset : « Martinus, etc. Dilecto filio Nicolao, etc. Recepimus tuas literas, quibus significas Nobis, pacem conclusam esse inter dilectos filios nobilem virum Ducem Mediolani ac Venetos et Florentinos, ex quo immensam in Domino lætitiam suscepimus ; benedicimus Deum et ei gratias agimus pro hoc tanto bono tamque optato a Nobis ; tuum autem plurimum commendamus studium, et prudentiam tuam, cujus maxime cura et opera hæc pax facta est ; ita enim ferunt omnes tua sollicitudine et industria pacem secutam esse. Quare et Deus summe laudandus est hujus boni largitor, et tibi gratiæ agendæ. Verum circa hoc nil amplius scribimus ad præsens, expectantes a te literas, quibus explicentur peculiarius Nobis conditiones pacis. Datum Romæ XXVII Aprilis, Pontificatus nostri anno XI. »

DOMINICUS TREVIRENSIS INTER NOS FLORERE CŒPIT.

III. His temporibus florere cœpit inter Nos, admodum

ANNUS 1426

venerandus et sanctus vir Dominicus, cartusiæ Trevirensis alumnus. Hic, postquam per aliquot annos vitio indulsisset, ad Deum plene conversus celeri cursu ad contemplationis apicem ascendit, perfectique Cartusiani typus evasit. Plura scripsit insigni pietate referta et profunda secretiora mysticæ theologiæ perscrutavit. Inter cætera, tractatum cui titulus : *Liber Experientiæ* exaravit, in quo præter tentationes et omnis generis probationes quas expertus est, multa sub fictitio fratris Ruperti nomine de seipso narravit ; ex quibus nonnulla ad ejus parentes, infantiam, adolescentiam et conversionem spectantia expiscamur ut sequitur. Et primo de ejus patre hæc habet : « Erat pater ejus homo simplex dum viveret, obediens præceptis Ecclesiæ in jejuniis, celebrationibus festivis ac cæteris fidelium observantiis bene institutus. Præbebat pauperibus juxta possibilitatem suæ facultatis, ita ut diebus Dominicis, emptis panibus in foro de optimo pane, ad sufficientiam familiæ suæ per hebdomadam, nullum panem sineret ex integro manducari a suis, sed de quolibet pulchriorem partem abscindens, pauperi præbebat. Nunquam in emendo vel vendendo aut alias alicui injuriam faciebat ; operanti sibi aliquid plus quandoque dabat quam debebat, dicens : Ego non caperem tantum ut hoc opus facerem. Quando morti appropinquavit vocavit ad se filios suos, præcipiens eis ut matri obedirent, et reliqua quæ ad salutem pertinent quia eos in magno vigore semper servabat ; munitus tandem omnibus Sacramentis placide obiit. Sed quoniam homines sæculares simplices, in rectitudine communi viventes, non omnia quæ agunt intelligere et conscientiose discutere sciunt, eos frequenter contingit aberrare; sicut huic contigit quod in aliquibus peccatis lapsus fuit : habuit enim personam de crimine suspectam, cujus excusationem accipere noluit quamvis eidem coram Deo injuriam faciebat ; quæ persona devote pro ipso orabat et cum viveret et cum defunctus esset. Solebat etiam quandoque inebriari, licet tunc inebriatus piissimæ conversationis esset magis quam cum sobrius esset. Æmulabatur etiam viros

Quædam de ejus patre narrantur.

literatos propter quorumdam reprobam vitam, magis tamen scholasticos quam sacerdotes vel Religiosos; quapropter etiam nullum filiorum suorum tradere volebat ad scholas dicens : Nolo otiosos educare filios, sed laborare debent et se nutrire sicut ego facio. Dei tamen nutu accidit ut ad suam salutem, patris scilicet, hic frater Rupertus filius ejus ad scholas et litteras discendas pervenerit.

ANNUS
1426

« Mortuo etenim patre, mater hunc (Dominicum) cum esset fere undecim annorum, cuidam seni Prædicatori obtulit ad serviendum ac ministrandum. Qui puerum valde charum habebat eo quod missus ab eo ad aliquos prudenter sibi negotia disponebat, ita ut quædam matronæ dicerent : Certe tu monachus fieri debes, quia optime mendicare scires. Videns igitur senex puerum agilem et facundum, fecit sibi scribi Alphabetum et *Pater noster,* quod puer cum magna celeritate didicit; statimque fecit sibi scribi Matutinas B. V. Mariæ, ut secum Horas B. Virginis dicere posset; ad quæ valde afficiebatur puer et beatam Mariam sedulo ad bene discendum invocabat. Cum enim aliquo mitteretur ubi ipsum per ecclesiam ire oportebat, genibus coram imagine beatæ Mariæ flexis orabat dicens : Sancta Maria, adjuva me ut bene discam, quod dominus et sacerdos fiam; juxta quod pueris in tabulis circa finem scribi solet. Dixit in lingua materna : *Liebe Maria, hilff mir, das ich wol lehrne, das ich werde ein Prister und Herr.* Fecit ibi etiam votum, quod heu! postmodum male servavit cum peccare cœpisset. Mater vero cum percepisset quod tam studiosus esset in discendo litteras, ipsum ad scholas ire fecit; qui in paucis annis pene omnium scholarium imo et Magistri sui scientiam attingere videbatur; in illa quippe civitate parvum erat studium, quia divites mercatores ibi habitant, quorum filii nisi parum in grammaticalibus primo student, et literas missivas scribere vix discunt. Unde Cracoviam se contulit ad studendum, ubi eo tempore viguit studium privilegiatum. Ibi primum ad peccata et mundi vanitates cœpit declinare. Socii vero videntes agilitatem ingenii sui in studiis, de illo mutuo loquebantur :

Dominicus litteras discit.

Cracoviam se confert.

ANNUS 1426

Si Rupertum non destruxerint mulieres et ludus, erit tam bonus Clericus sicut Cracoviæ esse potest; quia viderunt eum ad hæc duo vitia declinare, quæ et corruperunt eum. Præcipue ludus eum depravavit, atque contulit ubique et vagum fecit. Nam de regione in regionem abiit, et multas mundi partes hoc vitio compulsus percurrit. Nam sicubi ad tempus honeste stetit, regens scholas aut aliquorum divitum pædagogus existens, non diu in uno loco potuit permanere : occasione enim occurrente, in tabernis et alibi cum Christianis et Judæis ludens, perdidit quicquid habuit; ac sic cum confusione de uno loco ad locum confugit. Sæpe proponebat, vovebat et bene incipiebat abstinere ab hoc crimine, sed perseverare non potuit; ideo omnia mala quæ ex hoc pessimo oriuntur vitio ipsum apprehenderunt. In scholis cum peccatoribus stans, quasi princeps publicanorum erat. Quæ autem et qualia peccata commiserit, tam in se quam in aliis quos scandalizavit et seduxit, si in specie dicere vellem, aer ipse inficeretur, nec aures tuæ ferre possent. Habuit tamen semper bonum propositum se convertendi, ita ut Religiosos, quemadmodum fieri solet, subsannans ad socios diceret : Ego derideo monachos, cum tamen si unquam salvari volo, oporteat me fieri monachum. Et cum præ cæteris nimis dissolute viveret, et ab aliquibus argueretur, dicebat : Ego quamdiu in mundo sum mundialiter vivere volo, cum vero conversus fuero ad Deum, etiam tunc quæ agenda sunt facere volo. Cum autem 21 annos haberet rogavit Pragæ ut reciperetur in Domo nostri Ordinis, sed quia valde apparuit juvenis, timebant Patres quod rigorem ferre non posset; si tamen in proposito perstitisset in petendo, ipsum utique acceptassent prout postea intellexit; sed videns illos de se hæsitare, cito destitit : habebat etiam socium abstrahentem se a proposito. Idque quatuor annos distulit, sub quibus multo pluribus et gravioribus peccatorum vinculis ipsum tentator alligavit; porro cum ageret annum 23, mirabile quoddam religiosum, ni fallor, factum illi accidit. Cum enim anno præcedenti non communicasset, et in Quadragesima prope

Aleæ et ludo indulget.

Pascha cancellos in quadam ecclesia intrasset, et prostratus coram altare quasdam si posset lacrymas extrahere niteretur; sensit a tergo vestimento se trahi, et retrospiciens vidit honestam Dominam, blavio vestitam pallio, stantem ; quæ pie se inclinans dixit ad ipsum : Chare fili, rogo te, ut amore Dei des mihi unum denarium ; est quidam in hospitali jacens et huic illum dabo, et ego promitto tibi quod Deus liberabit te ex omni angustia tua. Qui admirans valde tantæ Dominæ humilem petitionem et magnam promissionem, recepit de manica sua denarium unum et solum, non enim habuit hac vice plus quam unum, insignis monetæ, scilicet sancti Joannis Baptistæ capite dragmatizatum, diœcesis Missenensis ; hunc dedit illi, quem cum accepisset virtuose illi gratias referens, abiit. Ipse post tergum ejus respiciens, satis mirari non potuit. Acciditque eodem anno similiter et sequenti quod pluries in periculum incidit, in quo corpore et consequenter in anima indubitanter damnatus fuisset, si non divina misericordia juxta Dominæ illius promissionem ereptus fuisset. Christi et piissimæ Matris ejus gratia hic quoque peccator, sed mox futurus frater noster Rupertus, tandem resipiscens, fallaci huic sæculo dorsum vertit et ad pœnitentiam agendam ad sacram Ordinis nostri Religionem se convertit.

ANNUS 1426

In pauperes munificus.

« Itaque cum homo iste, de quo loquor, mundi malis esset satiatus, et longis suis divagationibus quasi fatigatus, et multoties per misericordiam Dei ab utriusque hominis sui periculis liberatus ; timere cœpit ne nimis abuteretur divina bonitate, et aliquando relinqueretur ac damnaretur : unde triplici bono motivo inductus, Ordinem nostrum quantocius intrare deliberavit. Vidit enim homines pene omnes divitias et honores quærere, mortem timere, et divinum judicium ad quod venturi sunt parum prævidere : et ideo voluit ad locum et Congregationem talem ire ubi parvam portionem caperet pro floreno dum esuriret, ubi Dei judicium per misericordiam præveniret, et ubi mortem potius expectaret quam formidaret ; cœperat enim corpore ex nimis vana sua conversatione debilitari. Unde et magis arduam quam au-

Ad pœnitentiam agendam se convertit.

Quare Cartusiensem Ordinem elegerit ?

ANNUS 1426

dierat Religionem voluit intrare, ut confessione facta et pœnitentia aliqua peracta, citius obire posset et liberari. Dum autem ad Domum nostram iret, in via, corde tantum non ore, Dominum rogabat tacite ut propositum suum a tentatore celare dignaretur, ne ab ipso impediretur; cujus desiderium satis exauditum apparuit, quia ostium sibi apertum et omnia ad nutum sibi præparata invenit. Et licet quod egit, corde intendebat, magis tamen occulte trahebatur quam corde faciebat. Nisi omnia sic aperta comperisset, abiisset, nec aliqualiter dilatus ultra institisset. Nam quamvis humiliter se peccatorem ad pœnitentiam agendam peteret suscipi, statim tamen scire voluit an petitio sua effectum sortiri posset : videlicet ut abiret, et quod facere deberet citius sciret. Priori autem persona bene placebat et locutus cum Conventu ipsum retinebat ; conferensque cum eo, inter cætera sibi dixit quod oporteret illum omnia peccata sua ut renasceretur confiteri. Hoc ipsum valde perterruit : timuit enim quod illum nullatenus reciperet, vel nunquam diligere posset, si suam tam reprobam vitam cognosceret. Accidit autem quod eum examinans ex Statutis an aliquod impedimentum haberet, dubium quemdam casum in illo reperit, propter quem ipsum ad quemdam doctum, famosum et sanctum virum Ordinis Carmelitarum misit. Tunc interrogavit Priorem an eidem etiam confiteri liceret et respondente Priore quod sic, plurimum rursus consolatus fuit. Facta itaque confessione, vir ille sanctus confessor suus, stupefactus ex magnis et multis peccatis juvenis personæ, quia vix viginti quinque annorum erat, cœpit flere et dixit : Vellem fili me non audivisse confessionem tuam! hoc cum videret ille, videlicet quod fleret Pater ille sanctus, intra se dicere cœpit : Ecce alius plorat crimina tua, o quid es, canis an homo, quod tu ipse nescis deplorare peccata tua? et his in corde dictis, Deus bonitate sua ineffabili aperuit in illo fontem lacrymarum, ita ut mox in lacrymas resolutus, sic ploraret et ejularet ut nullum verbum ad confessorem amplius dicere posset, sed divertens faciem suam ad latus dex-

A Conventu recipitur.

Cuidam Carmelitano peccata sua confitetur,

trum in magna contritione et agnitione peccatorum suorum prostratus, diu jacebat et flebat. Quod videns ille devotus abiit et post tempestatem hora interveniente rediit, ipsum absolvit et decem psalteria sibi in pœnitentiam injunxit : ipsum apud Priorem nostrum plurimum recommendavit et pro ipso ut indueretur supplicavit. Quem assumens Prior, in cella sua interrogavit an bene scribere sciret ? et ut aliquid scriberet pennam ipsi porrexit. Accepta igitur penna, scripsit : In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, ejusdem Unitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, Amen. Quod Prior legens, caput reverenter inclinavit dans gloriam nomini sancto isti. Utrum divino instinctu sic scripserit, nescivit : nam Beatissimæ Trinitatis gratiam sæpius sibi adesse sentiebat, præcipue quando *Gloria Patri* in fine psalmorum et hymnorum cecinit, quia varium intellectum et sensum multiplicem bonum tunc habuit ; singulis siquidem Personis sigillatim gratias de beneficiis communibus et singularibus referebat. Sperandum est quod conversationem suam bene continuabit et feliciter consummabit, quia conversionem a sacro isto nomine gloriosæ Trinitatis inchoavit. Benedicta sit ergo sancta Trinitas atque indivisa Unitas, semper confiteamur ei quia fecit nobiscum misericordiam suam. »

ANNUS 1426

flens uberrime.

IV. Inter Ordinationes hujus anni istæ leguntur :

ORDINATIONES.

1. « Declaramus de Episcopis et Abbatibus, si quando in posterum recipientur in Ordine nostro, quod ob reverentiam sui status et dignitatis, ante nostri Ordinis ingressum detur eis optio, antequam profiteantur, de *officiis* Ordinis post eorum professionem suscipiendis vel non suscipiendis. » Officia, id est munera seu obedientiæ ut patet ex tertia Compilatione, capitulo IX, ubi dicitur : « Episcopis et Abbatibus qui Ordinem nostrum ingredi voluerint, ante professionem optio detur de obedientiis nostri Ordinis post eorum professionem suscipiendis vel non suscipiendis, ob reverentiam suæ dignitatis. » De Episcopo autem, vel Abbate, nostrum Ordinem ingredi volente, hoc antiquitus erat constitutum : «....(Novitius) in examinatione ad minus annua ponitur; exce-

De Episcopis Ordinem nostrum ingredi volentibus.

Antiq. Statut. II. P. c. 23, § 9.

ANNUS 1426

ptis Episcopis et Cardinalibus qui protinus ut venerint, si hoc postulent, ad professionem admittuntur. Et si pontificalia retinuerint, non facient *officia minora* sacerdotio ; si non retinuerint, in eorum dispositione sit utrum minora officia exequantur. Si itaque habitum nostrum suscipere voluerint, erunt in cella; si noluerint, servietur eis in hospitio et sepelientur in nostro cimiterio. Abbas vero, si Priori et Conventui placuerit, primus sit in Ordine quantum ad locum et quantum ad omnia quæ singuli per ordinem facimus aut dicimus ; non quantum ad officium Antiquioris; et si postulaverit, et Priori et Conventui placuerit, infra annum faciat professionem. » Officia minora sacerdotio, ut per se patet, sunt : Diaconum vel cantorem hebdomadarium agere et similia. Abbatibus autem solummodo locus honoratior inter Monachos ullum munus Ordinis exercentes, de gratia concedebatur.

2. « Ordinatio facta de pitantiæ moderatione, jam per duo Capitula confirmata, et de quinque ovis dandis.... stet in vigore suo. Et clausula quæ anno præterito est ad illam ordinationem addita, videlicet : salva secundum regionum diversitatem, discretione Priorum, debet intelligi de æquivalentia in piscibus quando tot ova non habentur, et quando ovis non utimur. » Ad hæc addit R. P. Le Masson : « Si qui Lectores in talibus pitantiis de nimietate nos argueret, illos nobis liceat cum Reverendo Patre Guigone ad experientiam provocare, in longis vigiliis, in cantu ecclesiastico, in exercitiis cellæ, et in semel eadem die comedendo, frustulo panis pro collatiuncula vespertina tantum concesso ne potus noceat; et post assumptam experientiam eos libenter audiemus. Interim Reverendum Patrem Guigonem sic loquentem audiant : Hæc, inquit, qui legerit, nec irrideat, quæso, nec reprehendat, nisi forte prius in cella longiore fuerit tempore commoratus. »

Discipl. Ordin. Cartus. p. 216.

Consuetud. cap. XXVIII, 5.

JESU CHRISTI

ANNUS 1427.

Martini PP. V Ann. 10.	Ordin. Cartus. Ann. 344.	Guillelmi III. Pr. Cart. Ann. 7.

I. AGITUR Christi annus millesimus quadringentesimus atque vigesimus septimus cum Indictione quinta, quo Benedictini Normanniæ videntes se ludere operam in persequenda apud Regem Angliæ bonorum suorum restitutione, ad Cardinalis Placentini opem confugiunt qui hoc negotium nostro Nicolao, tunc Cardinali S. Crucis, tractandum committit, et hic sequentem epistolam ad Cartusienses Shenenses dedit : SHENENSES NOSTROS INTER ET BENEDICTINOS RES DENUO AGITUR,

« Æternam salutem et pacem. Venerabiles et religiosi Patres, ex vera et maxima charitate quibus ad vestras Paternitates jure obligor, propter sanctæ Religionis vestræ cultum in qua Deo pariter novimus militare, eisdem inducor præsentes cedulas scribere. Est enim, Patres charissimi, fraternæ charitatis officium, pro mutua salute animarum maxime, sibi invicem præstare consilia. Est enim, Patres optimi, mei causa consilii res hujuscemodi quæ nuper in mei notitiam venit. Quidam R. P. Abbas monasterii S. Ebrulfi in Normannia, diœcesis Lexoviensis, ad Curiam Romanam venit, volens, ut jure obligatur, sui monasterii jura vendicare; quæ, ut ex facti relatione percepimus, vestræ Paternitates indebite videntur occupare, ut etiam ex publicorum documentorum monumentis probat. Verum cum super iis patrocinium quæreret, in manus venit Reverendissimi in Christo Patris et Domini mei, Domini Cardinalis Placentini, cujus consilio

ANNUS 1427

interveniente B. Nicol. Albergati.

ac patrocinio nititur. Quamobrem Reverendissimus in Christo Pater, præfatus Dominus Cardinalis, ob reverentiam et devotionem quam ad sanctam Religionem vestram habet, negotium istud mecum statuit communicare, et pro ejusdem Religionis honestate consuluit primum vestris Paternitatibus scribendum, easdem exhortando ut præfato Reverendo Patri Domino Abbati sine contentione et lite dignaremini restituere bona sui monasterii, quæ non jure de facto videmini occupare, licet regia autoritate et manu quasi militari dicta occupare defendamini. Est enim indignum valde, religiosi Patres, ut apud tam perfectæ Religionis viros tam gravis culpa committatur, quod cum aliena jactura locupletari non metuant : cum bonarum mentium sit ibi culpam timere, ubi culpa non est ; quanto ergo magis ubi est ? In Domino ergo Jesu Christo, vestras venerabiles Paternitates hortor et deprecor omni qua possum charitate, ut in re tanta recte consulant sibi et posteris ; nec sub prætextu pietatis et cultus divini, sibi licere queant quod est ab omni jure prohibitum. Nec, ut amo, ita scripsi ; si tamen nimia licentia dicendi peccare contigerit, veniam precor ; ut pro me oretis suppliciter exposco, Patres optimi, quos omnes in Domino saluto. Romæ, die ultima Maii 1427. » Nec tamen hac via quicquam Benedictini proficientes, per aliquot annos siluere, donec litem ardentius integrantes, Nostros ad Concilium Basileense vocarent, ut dicemus postea.

VARIORUM OBITUS :

II. Plures hoc anno, tum pietate tum doctrina clari inter nos obiere. Primum omnium mors eripuit Joannem Wigium, ex oppido Isnensi oriundum, de primis Aulæ B. Mariæ in Buxia filiis, quem chronicon ejusdem Domus magnum suum benefactorem vocat, aitque eum in spirituali militia et in prædicationibus faciendis emeritissimum. Cujus dies obitus signatur in Calendario ad 22 Maii hujus anni ; qui tamen tantum biennio post denunciatus fuit in Charta. Hunc, effluxis circiter quindecim diebus, secutus est Jacobus de Meisenberg in Hassia, professus Trevirensis, singulari erga B. V. Mariam pietate affectus, quem amoris sensum instil-

Chron. ms. Cart. Bux.

Ex Charta 1429.

Chron. ms. Cart. Trevir.

lavit Dominico Trevirensi et multis aliis, quos maxime incitavit ad Rosarii recitationem. Ejus exemplaris vitæ memoria diutissime inter monachos Trevirenses in benedictione fuit, quæ ne periret, mors illius in necrologio notatur ad 5 Junii. (Ex Charta 1428.)

Die duodecima Augusti, ad cœlos quoque evolavit Doctor venerabilis, ingenio, sanctitate et lingua præclarus, Henricus de Hassia, quondam Prior cartusiæ Arnhemensis in Gelria, quæ vulgo Monichusen (id est Domus Monachorum) dicebatur. Hic ex Doctore Parisiensi factus Cartusiensis in Domo Friburgensi, ad cartusiam Vallisbonæ, tempore schismatis, missus est; deinde reconciliato Ordine, ad partes Germaniæ rediens, primum pluribus Domibus nobis ignotis ac tandem præfatæ Arnheimensi jam senex præfectus est anno 1424, a Conventu expostulatus post mortem Alphardi Prioris, mense Augusto demortui. In comitiis subsequentibus nominatus provinciæ Rhenanæ Visitator, id officium corporis sui viribus impar credens, ab eo absolvi anno sequenti ipse præsens Capitulo generali a Patribus obtinuit, ea tamen conditione ut antequam in Gelriam rediret, has cum Alberto Buez expriore Trajectensi visitaret Domos : nempe Portam-Montis, Basileensem, Friburgensem, Argentinensem et Moguntinam, cujus Prior in ejus locum per eamdem Chartam suffectus fuerat. Arnhemium reversus, adeo viribus cœpit deficere, ut abdicato etiam Prioratu, præfatum Albertum in suum locum subrogari curarit. Tanti eum Patres Ordinis faciebant, ut audito in comitiis præsentis anni extremo illius statu, jusserint « Fratri Anselmo, Donato Domus Friburgi ut serviat venerabili fratri Henrico de Hassia in Domo Monachorum in suis infirmitatibus per biennium, si tanto vixerit tempore. » Sed paulo post expiravit, donatus per Chartam anni sequentis pleno monachatu, sub die duodecima mensis Augusti, unde arguuntur qui mortem illius in annum 1428 rejiciunt, allucinati forsan quod nomen ejus in Charta ejusdem anni reperiatur. Commentatus est, si Bostio credimus, in Magistrum Sententiarum, in Genesim, Exodum, Proverbia Salomonis et Apocalypsim. Scripsit etiam, teste eodem au-

H. de Hassia,

Bost. de Viris illust. Ordinis Cart. c. 18.

Ex Charta 1407.

Ex Charta 1425.

Ex Charta 1426.

Bost. ubi supra.

ANNUS 1427

qui plura scripsit ;

Labb. in dissertatione de Scrip. eccl. t. 1.

tore, sermones utilissimos : item *Dialogum inter Episcopum et presbyterum, Secreta secretorum,* Daventriæ editum anno 1501, ut legitur apud Labbeum. Edidisse etiam dicitur a Possevino *Regulas ad noscendum discrimen inter peccatum mortale et veniale.* Quæ una cum S. Antonini opere *de Eruditione confessariorum* excusæ sunt anno 1683. Sunt et alia quædam opera ab eodem Possevino et aliis autoribus ei attributa, sed cum tres fuerint ejusdem nominis qui eodem fere tempore floruerint, plerique scriptores in æquivocatione nominis ac proinde in assignatione temporis et operum illius errare facile potuerunt. Guillelmus Eisengrenius et Josias Simlerus eum confuderunt cum altero Henrico de Hassia, Viennæ defuncto anno 1397 ut volunt ; sive potius anno præcedenti, si, ut habet Eisengrenius, obiit 4 Calendas Augusti : nam idem Doctor denunciatus fuit inter mortuos in Charta Capituli nostri generalis, quod, ut cuique notum est, celebratur ante mensem Augustum. Fuit et alter Henricus, cognomine de Langestein, etiam dictus de Hassia, canonicus primum Wormaciensis, qui forsan idem est cum illo præposito Wormaciensi quem Gerson vocat « magnum et devotum et licentiatum Parisiensem in artibus. » Hunc postea asserunt Ordinem sancti Augustini professum fuisse, quem ideo a Thoma Bozio inter Cartusienses perperam annumeratum puto. De eo agit noster Petreius. Denique quod spectat germana nostri Henrici opera, ea ab operibus aliorum discernere non valeo, cum nulla eorum viderim. Asservatur codex in Majori Cartusia plura variorum autorum opuscula complectens, ex quibus unum est sic inscriptum : *De cognitione et differentia instinctuum habenda super opus cujusdam experti,* et ad marginem nomen autoris eadem manu habetur sic : H. de Assia. Operis vero initium tale est : « Quadruplex est instinctus sive motio interior, etc. » Verum an autor nostri fuerit Instituti, ex illius verbis non potui detegere.

Vid. supra ann. 1397.

Tom. 1, apud Gerson, in proposit. coram Anglic.

Phil. Elssius. in Encom. Augus., Boz. l. 9, de sign. Eccl. c. 12.

Barth. Chartier, Bruxellensis,

Obiit etiam hoc anno, in octava Assumptionis B. Mariæ, Bartholomæus Chartier, alias Clantier, patria Bruxellensis ;

professionem primum emisit in Domo Capellæ et inde in Tornacensi, unde videtur ad Joannem Gersonem scripsisse de libris Joannis Rusbrochii, ut alibi diximus. Postea factus Prior Capellæ, omnisque muneris impatiens, obtenta absolutione, in solitudine pie decessit.

Chron. ms. Cart. Capellæ. Ex Ch. 1398. Vid. an. 1381.

Hunc paulo post secutus est Joannes de Bacharach, Vicarius Domus Argentinensis, Henrico Calcariensi olim charissimus, quem adhuc juvenem et aliquando tentatum, vel saltem aridum pius Pater, scripta ad eum epistola, consolatus est, sic inter cætera eum alloquens : « Confidas de me sicut tibi dixi. Es enim unus de dilectioribus meis in Domino filiis. Ego pro te orabo, et tu pro me. Laborabimus mutuo, ut tandem illam introeamus requiem quam omnes expectamus, quam nobis concedat ille cui serviunt mille millia Angelorum. Rogo, saluta mihi meam benedictam Mariam virginem dicendo ter *Ave Maria*. Dicas ei in oratione ut te respiciat loco mei, et dicas me capellanum suum hoc ipsum ei mandare. Promitto tibi, si ipsam devote honoraveris, libenter illud facturam esse. Vale in Christo Jesu. » Posthac Joannes accuratissima Statutorum observatione, ad perfectionis Cartusianæ culmen totis viribus tendens, a suis fratribus Prior Argentinensis electus est ; sed ille credens aliorum sollicitudine impediri quominus cumulatam virtutem consequeretur, ita egit suis precibus, ut biennio post absolutus sit. Ne tamen proximo inutilis plane fieret, officium Vicarii accepit in quo et mortuus est die 13 Octobris.

J. de Bacharach,

Ex ms. Cart. Argent. et Colon.

Prior Argentinensis,

Ex Charta 1420.

Denique in Charta præsentis anni legitur obitus F. Bernardi de Ripis, Conversi Domus Scalæ Dei, de Ordine, sed imprimis de sua Domo optime meriti, quamobrem habuit per universum Ordinem plenum monachatum sub die 19 Januarii. « Et ne Domus Scalæ Dei,inquit Charta capitularis, propter mortem F. Bernardi de Ripis, in membris damnum in temporalibus patiatur, injungitur Priori, ut plus solito dicta membra habeat visitare, maxime Castrum-asinorum. » Per « membra » videntur intelligi villæ seu grangiæ ejusdem Domus.

Bernardus de Ripis, Conversus Scalæ Dei.

Ex Charta 1428 et Calend. Domus.

ANNUS 1427

Hist. Univ. Paris. t. 4, p. 424.

Ex amicis Ordinis in Charta hujus anni recensentur mortui : R. P. D. Mathias episcopus Buduanensis in Dalmatia, sub ditione Dominorum Venetorum. Magister Dominicus Parvi, decanus facultatis Theologiæ Parisiensis, qui hactenus creditur obiisse tantum anno 1438. Dominus Petrus Regassos, canonicus Barcinonensis, habens plenum monachatum sub die 8 Novembris, quo obierat anno superiori.

ACTA CAPITULI.

III. Unica ordinatio hoc anno in comitiis facta est, videlicet : « Ordinamus quod propter uniformitatem in Domibus Ordinis servandam, in lectura Calendarii a duodecimo numero usque ad vigesimum, minor numerus præcedat majorem in pronunciando, prout servatur in Domo Cartusiæ. »

Quoad specialia decreta, pauca etiam sunt, et parvi momenti : « Domos Portus-salutis, S. Andreæ prope Amsterdam et Novæ Lucis prope Trajectum, certis de causis nos moventibus, separamus a provincia Rheni, et unimus provinciæ Picardiæ remotioris. Et quia Domus in Snalz nimium distat ab aliis Domibus Alemaniæ superioris, ideo ipsam adjungimus Alemaniæ inferiori. »

Cuidam Monacho prohibetur ne ascendat ad Ordines Presbyteratus sine licentia et matura deliberatione Visitatoris.

Præcipitur denique ut pro sedatione terræ motus qui pro nunc est in regnis Castellæ et Arragoniæ, fiat unum tricenarium de Spiritu Sancto; quod etiam repetitur duobus annis singulis. Per plures namque annos hujusmodi terræ concussus durasse conjicimus ex Mariana scribente in civitate Regia, secunda hora post meridiem, die 24 Aprilis anni 1431, hac terræ motione concussa ædificia, arcis nonnullas pinnas discussas : majorem vero cladem eodem anno in Arragonia, Catalaunia et Buscinonensi agro fuisse : quædam enim oppida in his provinciis eversa sunt dirutaque templa.

Marian. de reb. Hisp. Lib. XI, cap. 3.

* JESU CHRISTI

ANNUS 1428.

Martini PP. V Ann. 11.	Ordin. Cartus. Ann. 345.	Guillelmi III. Pr. Cart. Ann. 8.

I. ANNUS millesimus quadringentesimus vigesimus octavus, Indictione sexta, incipit, quo ingrati Bononienses denuo summi Pontificis fidem exuentes beatum antistitem Nicolaum contumeliis et injuriis afficere minime dubitarunt, ut legitur his verbis apud Nicolai Vitæ scriptores : « Etsi diuturnos perpessus labores, beatus Cardinalis merito potuisset de reficienda valetudine cogitare, hac tamen postposita cura, una se piorum operum continuanda serie refecit : nam Mediolano Bononiam redux, operam dedit ut nosocomium Sanctæ Mariæ a Morte amplificaretur ; et collata in eam rem bona sumptuum parte, Congregationem sancti Hieronymi viginti quatuor piis juvenibus constantem probavit ; vectigali quadam contributione inopes absolvit quæ in sancti Petronii fabricam fuerat imperata : quibus ita compositis ad sanctæ Mariæ in Vallem viridem secessit, haud multum Bononia distantem : illic fessum animum levaturus, non solutiores delicias, non aliquam saltem adhibuit exhausto corpori peculiarem curam, ubique sibiipsi a solatiolis metuens etiam evidenter necessariis, statoque insistens proposito severitatis assuetæ, sed mutuo solitariæ quietis opportuni secessus dulcisque silentii concentu fruebatur, sacris Domini sui affixus pedibus : inde haustus vitales sanctæ dulcedinis cum Magdalena ducens, diurnarum brevitatem horarum nocturnis pensabat ; misce-

B. NICOLAUS ADVERSIS DENUO PREMITUR.

Ephemerid. Cartus. c. XII.

ANNUS 1428

bat interdum cum potu lacrymas, pane fere ad cibum contentus, satiabatur jejuna fame; et his voluptatibus peregrinis Episcopus idemque Cardinalis exantlatos labores solabatur. In secreto illo diversantem convenit a Venetis legatio perhonorifica, immensas agentibus gratias per Santium Venierium nobilem Sancti Marci procuratorem, navatæ beneficio communi laboriosissimæ operæ; ac de quodam interrogantibus quod inter statutæ concordiæ capita obscurius intelligebatur. Verum his pie studiis otiantem solumque solo cum Deo degere et tractare gaudentem, novæ exciunt turbæ, et in procellas veteres revolvunt. Audit secreto bellorum civilium antiqua semina, sopita magis quam extincta, novos Bononiæ tumultus excludere; urbem armorum plenam, sollicitata studia, animos procitatos : exinde nec solitudinis captandæ, nec disserendi tempus esse, sed in lupos eundi, haud jam tacito furore in gregem suum ruituros. Igitur calendis Augusti, albescente vix cœlo, Bononiam intrat, Sacrisque operatus et suiipsius victima Deo cum adorabili hostia pro salute ovium affectu intimo oblata, multis manum divinam lacrymis, multa crebris abrupta suspiriis precatione, in præsens discrimen implorat : nam per se aliquid movere, quid foret aliud quam vulnus tractare vel solo attactu asperandum; uni restabant gemitus et ad Deum preces. Diem illum totum quasi parturiens civitas mœsto silentio se domi tenuit, ad alteram vero noctis horam, informe monstrum ex condicto in lucem daturam, visa ex imo subrui; mille inconditis pulsari vocibus perduellem unam sonantibus : Vivat populus et libertas; modisque omnibus excusso Pontificii jugo imperii, libertatem et rempublicam spirare. Factionis hujus capita Bentivolorum hostes Canetulenses, quos uti privata commoda semel ad Pontificis pedes abjecerant, sic eadem facile retraxere ubi se læsos ab eo finxerunt. Movit eorum invidiam ad ciendas iterum tempestates habitus Antonio Bentivolo honos, quem post reconciliatam gratiam Martinus Pontifex Comitis titulo decorarat et Latio regendo præfecerat. Canetulenses igitur armati forum suis cum sequacibus

Novæ apud Bononienses turbæ et pericula.

invadunt, ad terrorem adversariorum tabernis aliquot ligneis faces subjiciunt; adoriuntur palatium, illud cum Pontificis legato Condolmiero in suam potestatem redacturi; quæ rumore vix primo ad Bentivolos perlata aeris pulsu classicum insonant, et se ad partes Pontificis concursu aggregant, Canetulenses in foro corona cincturi. Quam tristem in modum hi turbines pia Nicolai viscera torquerent, quam edaci mitissimæ suæ caritatis cruciaretur igne, quantum inconsolabili animo spectaret dæmonem tot animarum exitio triumphantem quas iidem tumultus involvebant, quivis apud se recogitet. Optasset profecto sui ipsius sanguine concordiæ litare, solusque in mare ad placandos motus ad quos ipse nihil contulerat projici, ne, quod erat in promptu, ecclesiæ suæ sanguine ac cædibus fœdare oculos cogeretur; quare ad Bentivolos primum vico sancti Donati advolans, ore inflammato verbisque ignem afflantibus: Quid hoc, ait, o cives, novi doloris est? hunc, o filii, tam infelicem et luctuosum casum? hunc finem videlicet bellis civilibus ponitis? et huc mei apud vos labores reciderunt? hanc Pontifici optimo et liberalissimo rependitis gratiam? ad hoc miserum me cellæ carissimæ latebris direptum evocastis, ut essem funestæ spectator fabulæ, in qua laici omnes suam singuli personam furentes agerent, spectaret flens solus ac lamentaretur monachus? Idcirco me vobis præesse voluistis ut viderem pastor mearum ovium sparsam stragem, pater interitum lugerem carorum pignorum, episcopus mortes creditarum frustra quererer animarum? quarum apud me pretium is novit qui earum causa proprio sanguini non pepercit. Sunt isti, fateor, meorum sunt fructus criminum; vos tamen quid ulterius pergitis immanitate hac iram Dei judicis provocare? Redeat vobis in mentem et oculos, patriæ salus, liberi parvuli, miseræ uxores, facultatum jactura. Ita vobis excidit beati Petronii disciplina cujus alumni estis? Ecquando me nocte hac adacturum iri cogitassem ad petendum a vobis precario erga filios, patriam, adeoque vos ipsos miserationem? Date saltem breve sævitiæ spatium, rem peto exiguam, subsistite,

ANNUS 1428

Episcopium plebs invadit.

Nicolaus apud rebelles concionem habet.

ANNUS 1428

et per Christi Jesu amorem dulcissimum ne prius ultra tendere pergatis quam adversas partes adiero, cogor enim hoc illas vocare nomine, quod invicem vobis dæmon imposuit : ibo, et efficiam ut Canetulenses arma ponant et saniora capiant consilia! Hoc illis ut persuadeat in forum accurrit, et eorum caput Baptistam seorsum seductum, oratione acri Apostolum referens invadit : « Hoccine illud est restituere patriam libertati, an illam in ruinam exitiumque impellere ? ad hoc scilicet vobis Episcopus placui, et ab iis qui mihi præerant atque ab ipso me tunc, heu! Superum gaudiis in terra fruente, vi tanta, tot precibus, ut patriam regerem extorsistis ? imo ut infelici, et suorum incensæ manibus ac peremptæ tristes exequias celebrarem? Magnas Deo gratias habeo quod mihi tecum agere liceat, cujus prudentiam splendor nobilissimi generis haud quaquam patietur noctis hujus tenebris extingui. Civem an hostem deceat cogita tam sacro rerum articulo publicam quietem negligere ? Patriumne an perduellem arma illa movere ex quibus una pernicies patriæ certo certius expectatur ? præclaram vero hanc de te laudem in populos late fama disperget. Reveremini suo in Vicario Deum : at enim quam illi gratiam Canetulenses reddunt tam prolixe ab eo haud pridem habiti. Frænate impetus, communem cladem nihil præterea parituros. » Hæc et alia incassum edita apud obstinatos nihil agebant, descendendum fuit ad conditiones quibus acquiescerent ne quod gravius in malum erumperent. Condictum itaque ut Baptista crearet Antianos qui ad sustinendam dignitatem tributa populo impetrarent. Equites centum Bononiæ, totidem pedites haberet Pontifex qui apud Legatum fidem jurati promitterent; publica munera domi et foris civium in potestate essent. Hac triplici lege, posituros se arma cum suis asseclis Baptista, nihiloque imposterum moturos jurejurando confirmarunt. Hæc a Canetulensibus ægre impetrata, erant Legati chirographo munienda ; cumque essent ad illum ab ipsomet perlata Nicolao ejusque audito nomine fores pandi Legatus jussisset, mox Canetulenses violata quam dederant fide (hoc habent pessi-

Bononiensem seditionem componere conatur,

mum civiles discordiæ ut nobiles quoque et excelsas mentes contaminent) opportunitatem rati non prætereundam, in apertas fores turmatim se penetrant, disjectaque custodum statione, palatii portas occupant ; ibi comites Nicolaum, vitæ una et dignitatis periculo duplici, trahendo, tegendo, e turba subducunt, dolore semivivum ex deformitate indignissimi facinoris, tanto acerbiore quanto minus prævisa; susdeque versum Legati palatium, Legatus ipse carcere conclusus : digna prorsus nocte spectacula autore illorum dæmone, tenebrarum parente, id unum moliente ut veterem illam atque ingenitam Bononiensium pietatem probrosis maculis obscuraret. Hæc ad Bentivolos venerant, cum fugæ consilium ineunt et Sancti Donati porta sese proripiunt; afflictissimo vero tot inter scelera Beato Cardinali, en novum vulnus infligitur insolentius jam acceptis. Non dubitarunt novæ Reipublicæ magistratus, eorum quæ ausi fuerant ultorem fore Martinum Papam, et misso exercitu repetiturum pœnas ecclesiasticæ majestatis in Cardinalibus duobus impie proculcatæ, urbemque brevi obsessurum : quare arces duas, Centum et Plebem Episcopo redditas, statuunt iterum sibi vindicare, quod esse commodas censerent ad incursiones pontificii militis ab se longius arcendas; ad hoc Episcopum arcessunt, ut coram benevole primum atque humaniter, tum si lenitati non cederet, vi ab eo assensum exprimant; accersendi munus vilissimo homini demandatur, qui ut Cardinalis in conspectum venit haud paulo plura quam sanum deceret audacius effutiit, quibus graviter offensus Cardinalis quod et se vocatum cerneret jussu laici magistratus et ab tam turpi accenso vocatum, sui æque contemptor et sacræ assertor dignitatis, temeratam purpuram et ecclesiasticæ ordinem præfecturæ vehementissime doluit : Nicolaum enim proterendum omnium pedibus, supra omnium capita Cardinalem Episcopum censebat eminere. Tenuit se tamen, suarum misertus errorem ovium, nec lepido illi qui ad se venerat publici nuntio commoti animi significationem dedit ullam ; occupationes duntaxat placide excusavit ob quas

ANNUS 1428

sed fraude circumvenitur.

Eum juribus suæ Ecclesiæ cedere imperant.

ANNUS 1428

adire non posset advocantes; cum ecce sibi statim post monetur adventare de primoribus sex; ex quibus nihil boni ominatus, quippe tunc omnia in deterius vergebant, familiam convocat ingressisque palatium sex illis civibus jubet fores occludi; cumque illi prodirent, et indicturi aliquid viderentur, prior intrepidus occupat inopinos et forti quidem, ut Episcopum decuit, sed paterna objurgatione : « Sic, ait, obliti patriam, sic Bononienses vos esse? tam procul a majorum vestigiis abitis? hæc de avorum vestrorum exemplo æternum laudabili facinora ducitis? quæ rerum conversio? unde hæc vobis mundi arbitria? vos enim qui estis aut ego qui sum! Ego parens et pastor et antistes, vos certe filii, vos oves, vos plane subjecti. Ibo, ibo, vel ad mortem si vocer, ut subjectorum periclitantibus animis succurram et palantes quæram oviculas, quas dum luporum eripio faucibus, si mors contigerit ex voto venerit : sunt mihi hac luce filii cariores, et hanc libens amittam ut eos in lucem ex tenebris asseram; ut autem vos adirem temporariis vestris atque evanidis rationibus adactus, unde incidit vobis tam aliena cogitare? evidenti omnino turbati judicii argumento. Itane vero, me per homuncionem vilissimum acciri cui rubor cum cerebro periit? me quidem hæc injuria nihil spectat, ejus alioquin infinitas vobis acturum gratias; hac hierarchicum ordinem universum, hac Beati Petri successorem Christi vices in terris gerentem a vobis pessime violatos, si potestis negate, nec diu differet vindictam Deus; quod ego vobis potissimum timeo et quo præcipue crucior : sed ista plus satis. » Ad hæc partim amice, partim severius vibrata, hæsere ii cives in modum statuarum, nihilque aut responsi aut vocis dedere; linguam iis ipsamet veritas abstulit; proni Episcopum silentio salutant, et demisso in terram capite, alter alterum subtuens et convictum interius animum tacite contestans, uti advenerant sic ad suos recedunt; sibi tamen haudquaquam deerat adversarii communis malignitas, novas cudens et coquens insidias, quibus optimum Præsulem fatigaret. Quarum is præcipiens machinas, priusquam in

Populi Legatos vehementer alloquitur.

perniciem exirent, Dominicanum indutus et noctem unam apud Dominicanos Patres commoratus, ad primam postridie lucem porta Sancti Mamantis ex urbe discessit, ac in dulcissimum suæ cartusiæ asylum, inde Mutinam transiit. Paucis exin diebus, Augusti 23, solutus custodia Legatus Bononiam deserit, die vero Septembris decima Cardinalis familia episcopio extruditur; triduo post, consilium cogitur, deliberaturque de abbate sancti Bartoli Ferrariensis, Bartholomæo Zambeccario, substituendo in sedem Nicolai; designatur, et designationis præmium arces duas, Centum et Plebem spondet populo cessurum; post in episcopium a magistratibus solis deducitur, ne uno quidem ex Canonicis prosequente. Habere tamen ausus tanti non modo socios, verum etiam autores cum vellet magistratus, ne culpæ quam patrabat multitudinis et autoritatis patrocinium deesset, Zambeccarium a clero imperant in locum Albergati Cardinalis episcopum eligi; quo tale ut par erat imperium detrectante urgenteque nihilo lentius populo nuncupationem Episcopi suam esse, electionem ad Canonicorum collegium pertinere, controversiæ nodus juris peritorum judicio permissus est. Fuitque horum una consensio ad eligendum in locum viventis Episcopi alium, nihil posse omnino Canonicos. Utcumque res fuerit, Zambeccarius episcopum egit, vicarium sibi constituit et per annum solidum jus dixit.

Mutinam Nicolaus transit.

« His rebus cognitis, Martinus vehementer inflammatus, VI calendas Septembris edictum promulgavit, in quo gravissimas detestationes in Canetulenses et sacrorum interdictum in civitatem explicavit ; quod Legatum suum et ipsum urbis Episcopum et Cardinalem, turpiter in sui contumeliam exegissent, his verbis : Nam dilectum filium nostrum Nicolaum tituli sanctæ Crucis in Hierusalem presbyterum cardinalem, perpetuum administratorem Bononiensis Ecclesiæ, autoritate apostolica deputatum, suum concivem et patrem animarum suarum, taliter pertractarunt, contra omne debitum caritatis in proximum et reverentiam tanti patris, quod præfatus D. Cardinalis Nicolaus coactus est clandestine et tamquam

Restituitur a Romano Pontifice in suam sedem,

Cap. XIII.

ANNUS 1428

incognitus excedere civitate et diœcesi supradictis; neque eo modo quo decebat Cardinalem incedere, sed mutato habitu (quia aliter inde recedere nullatenus permisissent); eumdem libertate privarunt, in dedecus et opprobrium nostrum, et apostolicæ Sedis vilipendium et contemptum.....

« Deinde duces cum militaribus suis copiis invadere jussit Bononienses, qui direpto agro ad urbem progressi, acrius oppugnare ex diversis partibus instituerunt, unde bellum variis detrimentis inferendis in proximum annum est protractum. Quibus demum Canetulenses impulsi, oratores xv cal. Julias Immolam destinarunt ut cum Lucido cardinali Ostiensi Legato et Nicolao tunc Immolæ agenti de compositione tractarent; qui profecti nihil æqui obtinuerunt. Inde III cal. Septembris iterum missi, pacem commodis sane conditionibus retulerunt; in quibus illud præcipue continebatur: ut Bartholomæus episcopatum Nicolao dimitteret, Pontifex vero abbatiam S. Bartoli Bartholomæo ademptam reddi a Marchione curaret. Ita VII calendas Octobris, Legatus in urbem ingressus, postridie magistratus ipsos apud se fidelitatis sacramentum concipere jussit, ac sedi suæ restituit Nicolaum. Postero autem anno, cum exiguas se adversus florentes Canetulos opes ad retinendam dignitatem habere videret, urbe egressus Centum abiit ac Baptistam moderatorem urbis, ut moliebatur, reliquit. Qua re accepta Pontifex supremum decernit de Bononia plane et integre ditioni ecclesiæ subjuganda; ad hoc eo Tropeensem Episcopum destinat, qui magistratui indiceret summum Pontificem, ut erat supremus Bononiæ dominus, sic velle pro domino haberi; nimis lævam mentem usurpandi ejus imperii cujuspiam animo incidisse, quam nisi reipsa prorsus deponeret, civitati exitio futuram; frangendam armis pertinacem illam duritiem quæ flecti amore, censuris cedere noluisset. Perculsus hac denunciatione Magistratus, quod sibi non esset conscius contra pacta ultimum conventa et debitam Papæ obedientiam re ulla venisse; respondit nescire qua in re displicuisset Pontifici, paratos facere quæcumque imperasset, dominum ab

Bononia prius vi et armis redacta.

illo agnoscere neminem, velleque constanter illius conditionibus quas nuper jurassent continere. At hæc ab supremo civitatis illius dominio quod Papæ debebatur, et mente Pontificis, conditionum mentio longe abhorrebat. Igitur Caldoram potentissimi præfectum exercitus jubet cum Episcopo Tropeensi adversus Bononiam ducere. Verum enimvero quanta vi caritas paterno pectori jus dicit? Has inter gravissimi instantisque jam belli curas, meditabatur Martinus pacem inter Francos et Anglos deprælientes infestioribus etiam quam olim animis. Legatum ab latere Nicolaum ad eos iterum designat, et forte audita Bononiensium nonnulla parendi voluntate, totus in pacem pronus, omnem illi priusquam proficisceretur componendæ cum Bononiensibus conficiendæque in perpetuum pacis tribuit potestatem. »

ANNUS 1428

DOMUS GERUNDÆ RELINQUITUR.

II. Cartusiam S. Martini de Gerunda*, in Vallesia, jam a tam longo tempore quasi in firmam Joanni d'Anniviers, vicedomino Sedunensis Episcopi, traditam, ut supra vidimus*, et tandem ab Ordine nostro, in generalibus Comitiis anno 1427 celebratis, derelictam, hoc anno viri Religiosi de Carmelo nuncupati, incolere cœperunt. « Cum, inquit Briguet, cœnobium S. Martini Gerundense a discessu PP. Cartusianorum prope 80 annis vacasset, et cum etiamnum retinerent dicti Patres possessionem jurium ac prædiorum dicti monasterii, Andreas de Gualdo, episcopus Sedunensis, missis procuratoribus ad Cartusiæ Capitulum, sollicitavit ut vel locum repeterent, vel sibi Episcopo cederent pro alio Religioso Ordine, quod et præstitere sub conditionibus nonnullis; asseverantes, ex sacri Ordinis instituto, Cartusianos nunquam repetere loca quæ semel dimiserint. Ita literis datis in Capitulo anni 1427, 27 Maii, secuta cessionis laude apostolica a Martino Papa V, atque etiam septem Vallesiæ Decennarum sub totidem sigillis salvi-conductus (ut vocant) literis pro inducendo novo Ordine ex Comitiis generalibus Vespiæ* 1428, 10 Junii. Acceptis utrinque his conditionibus præcipuis : ne essent Conventuales Fratres cum Priore plures tredecim, e quibus sex essent sacerdotes et in illis quatuor a

* *al.* Gironda.

* Ad annum 1349.

Vallesia Sacra, p. 166.

* Viège.

ANNUS 1428

confessionibus, duo a concionibus in lingua germanica et gallica; ex reliquis senis essent quatuor diaconi aut subdiaconi, bini acolithi, etc. Item septem Conversi, ut vocant, fratres; universim viginti. Veneratur adhuc Gerundensis ecclesia patronos primo loco B. V. Mariam, dein sanctum Martinum Turonensem, tertio sanctam Mariam Magdalenam. »

HERMANN. DE PETRA SANCTE MORITUR.

Ephemerid. Cart. die 23 Aprilis.

* Cod. 4051-68, Miscellanea opera Du Wal.

III. Nono Calend. Maii præsentis anni ad vitam immortalem transivit, relicta sanctitatis opinione, Hermannus de Petra Brugensium Vicarius Monialium, cujus vitam damus partim ex Ephemeridibus Ordinis, partim ex quodam V. P. D. Petri du Wal monachi cartusiæ Bruxellensis manuscripto quod nunc in ejusdem urbis Bibliotheca regali * asservatur : « Hermannus de Petra, vulgo Steenken (id est lapillus), ab aliis Sutdorpius aut Santdorpius dictus, ex equestri dignitate et progenie, ad humilem Monachi statum se redegit, Cartusianam Religionem amplexus in Domo Diestensi. Fuit doctrina tam sacra quam humana percelebris, ornatus pietate eximia et omni virtute, sibi rigidissimus qui nonnunquam inhumanissime spinis ac virgis in corpus suum desæviebat. Præterea tam insignis eloquentia in sermonibus illius, tantaque elucebat in rebus agendis prudentia in Hermanno, ut sequaces plurimos, paucos vero haberet æquales. In Vicarium Monialium Brugis anno 1402 * datus, cum vir humilis esset, honoris impatiens, malletque delitescere in cellula quam lucere super candelabrum, suam exauctorationem non modo cum lacrymis sed sanguine proprio rubricatis literis Capitulo generali directis, ea cum instantia petiit ut tandem eam anno 1404 * extorserit. Secessit, ut opinor, ad Cartusianos Trevirenses * post abdicationem officii, ubi secundam emisit professionem. Dolebant interea Moniales tanto orbatæ pastore, molesteque illius absentiam ferentes, cœperunt Deum diu noctuque deprecari pro illius restitutione in pristinum gradum, sine quo se vivere secundum spiritum non posse arbitrabantur. Hac ergo de causa clamaverunt in cœlum, multiplicaverunt orationes continuas, præsertim ad sanctam

Vicarius Monialium Brugens.,

* *alibi*, 1398.

* *alibi*, 1400.

* ad Domum professionis, juxta Du Wal.

Catharinam Senensem, nec frustra : nam immediate ante celebrationem Comitiorum Ordinis, ipsa beata virgo eodem die qui sacer ei erat, Reverendo Patri Stephano Senensi Priori Seiz et hujus obedientiæ Generali (lancinabatur quippe Cartusiensis Ordo cum tota Ecclesia per id temporis diro schismate) quem dum in vivis esset noverat optime, moriensque sollicitaverat ut Cartusiense Institutum ille sectaretur, apparuit, hisque admonuit verbis : Reddite Monialibus Vicarium suum, hæc est enim voluntas Dei. His dictis, statim morem gessit Stephanus divæ Catharinæ alumnus, redditque Monialibus Hermannum. Cumque nonnullis Patribus ad Comitia convocatis hujusmodi dispositio non arrideret, respondit Stephanus : Nolite mirari quod facio, quia jussu supernæ potestatis ita compellor ordinare. Sic restitutus Hermannus huic parthenio non modicum attulit gaudium, sed ipse de amissa dolens solitudine denuo conatus est jugum impositum excutere, scriptis in hunc finem literis ad Capitulum sequens a quo tale habuit responsum : « Et hortamur eum in Domino ut habeat patientiam in obedientia sibi commissa propter honorem Jesu Christi, ad consolationem sponsarum ejus, etc. » Postmodum cognita Dei et Superiorum voluntate, Ordini prorsus acquiescens, totum se addixit directioni Monialium, quibus per annos viginti duos * cum ingenti sollicitudine præfuit, præbens omnibus quod sectarentur exemplum et implens opere quod voce docebat. Erat enim doctus in theologia et in humanioribus et liberalioribus artibus, vir prudens, humilis, sobrius, mansuetus ad omnes, comis et plenus consolatione Spiritus Sancti. Ejus sermo carbo erat ignitus, inflammans corda ad pœnitentiam et vitæ puritatem. Facies ejus angelica conversationem ejus reddebat suaviorem. In divino fervidus Officio, severus adversus seipsum et strenuus Ordinis observator ; optimus consultor animarumque director in tentationibus : perspicax in discutione conscientiarum, infirmorum provisor numquam vacuus charitate, fugitans inanium confabulationum, osor sanctus mundanarum vanitatum, numquam otiosus, sed semper do-

ANNUS 1428

apparente S. Catharina Senens. instituitur.

* *alias* viginti et octo.

Idea fit perfecti Cartusiani.

ANNUS
1428

cens vel scribens ; modo tempus orationi dispertiens, spiritum suum acuebat, precibus suis subinde devios ad meliora et viciniora saluti reducens. Ad hæc semper Dei gloriam sollicite procurabat et Ordinis incrementum, necnon et salutem animarum. Insuper pervigil erat ut tempestive moribundis administraret extrema Sacramenta, sibi parcere nescius ut ægris subveniret et quod officii sui erat expleret : unde et sibi de somno necessario ac refectione sua non parum detrahebat. Contigit aliquando Monialem ad extrema venire circa Natalem Domini ; tunc ille sentiens in se irruisse Spiritum Dei, dixit : Præcipio tibi ex parte Dei et in virtute obedientiæ, antequam hæc Natalitia transierint non moriaris. Mira res ! perstitit et supervixit usque ad ferias sancti Joannis Evangelistæ et tunc obdormivit in Domino.

Pacis amator et autor.

« Adeo paci studuit ut nullam posset ferre in Domo dissensionem, instabat omnimodo ut ea quæ pacis sunt omnes sectarentur ; si quas autem refractarias inveniret, acriter carpebat. Accidit quandoque hominem occurrere cui frequens juratio erat in ore, quem cum sacellani nostri frequenter reprehenderent, nihili faciebat monita ; tunc Hermannus indutus spiritu et virtute ex alto, captata occasione, cumque jurantem eum ex consuetudine audisset et intuitus eum intentis oculis, nihil præterea addidit : ille vero, perstrictus acie oculorum ejus, quæsivit quinam ille esset qui sic eum esset intuitus. Responsum est illi : Vicarium esse vicinæ Domus. Tum ille, percusso femore, profecto, inquit, sensi virtutem ex illo exiisse ; nam ut me fixis oculis aspexit, ita commotus interius sum ut juramento me obstrinxerim contra consuetudinem meam pravam jurandi, adeoque eam nunc abjuro. Dictum, factum. Ab eo die nullum amplius juramentum, sed potius mutatis studiis, nomen Jesu et Mariæ semper auditum est.

Valde affectus Dominicæ Passioni.

« Erant huic optimo Patri viscera pietatis et misericordiæ, et innata ad Passionem Christi sympathia. Accidit aliquando ipsum deflectere ad sacellum sanctæ Barbaræ cum familiaribus amicis, quibus ex officio debebat humanitatem aliquam; defixis autem oculis in crucifixum qui pone adstabat, adeo

commotus est ut totus a se discederet nec adverteret omnino quid amici dicerent; sicque per aliquod spatium extra se raptus, ignoraret omnino quid circa se ageretur. Post autem, ad se reversus, vidensque circumstantes, vehementer erubuit, deprehensum se esse sciens, quod minime cupiebat. Ex quo colligere est quantopere fuerit affectus Passioni Dominicæ ; nam et revera assuetus inspirationibus divinis nihil illis prius aut antiquius habebat : quapropter oblitus omnium quæ sub aspectum cadunt, convertebat se ad intima vulnerum Christi. Semper sibi similis et æqualis resignabat se in omnem voluntatem Dei, adeoque domabat naturam ut mortuo similior quam vivo videretur. Erat exemplum vivum omni animæ viventi, nec aliud ejus verba vel mores sonabant quam verum Cartusianum. Tempore schismatis cum tota Domo sua adhæsit legitimo Pontifici. Erat viscerosus admodum et affectus pauperibus. Denique, ut verbo absolvamus, fuit Pastor bonus, paratus in præparationem animi dare maxillam percutienti et animam ponere pro ovibus suis. Quantus fuit, patuit in exitu mortis ipsius, siquidem testatus est ejus confessarius se vere Israelitam invenisse in diebus suis, nec mori timuit nec vivere recusavit. Cum ergo ad vitæ extrema venisset, post exhaustos immensos labores reddidit Deo creatori spiritum plenum operibus bonis. Ad cujus exitum vehementer consternata est familia ; sed ille infractus inter angustias mortis promisit se memorem fore earum post obitum. Suscepit ad Ordinem 35 Moniales, 11 Conversas, 9 Donatas, 2 Clericas Redditas. Obiit anno 1428 in festo sancti Georgii Hermannus de Petra, Santdorpius ; scripsit sermones 50 in Orationem Dominicam, impressos Aldenardi anno 1480 apud Joannem Cæsarem vulgo De Keyser. » Scripsit etiam librum *de regimine Monialium, Sermones de tempore et sanctis Lib. 6, de Immaculata Conceptione beatissimæ semper Virginis Mariæ,* aliaque complura.

ANNUS 1228

Pauperibus erat viscerosus.

Biblioth. Cartusiana.

IV. Hoc anno multa per Chartam Capituli generalis circa disciplinam et regimen Ordinis sapientissime statuuntur :

DECRETA CAPITULI,

1. « Propter aliquos Priores et Rectores ac Procuratores

ANNUS 1428

Ordinis in Capitulo generali existentes, divinum Officium non frequentantes, non bonum exemplum de se præbentes, ordinamus ut deinceps prædicti intersint in Vesperis saltem usque ad *Salve Regina*, et in Matutinis usque ad finem secundi nocturni, et in Missa Conventuali nisi interim celebrent; alias post sic omissa dicant culpam in communi audientia, nisi pro infirmitate aut pro Charta scribenda aut alia rationabili causa fuerint impediti, et tunc super hoc licentia petita.

circa Visitationes;

2. « Priores, Rectores Domorum et Vicarii Monialium et Procuratores Domorum, durante Visitatione (videlicet lecta forma Visitationis), donec fuerit recitatio facta et Visitatio terminata, non comedant cum Visitatoribus, nec se immisceant eorum colloquiis nisi vocati ab ipsis Visitatoribus super aliquo tangente actum Visitationis, vel pro aliqua causa superveniente consulendo ipsos Visitatores. Sic enim servatur in Domo Cartusiæ et in Provinciis circumvicinis, et per hoc cessant suspiciones et murmurationes subditorum contra Visitatores, Priores et Officiarios prædictos.

3. « Declaramus quod omnes licentiæ hactenus concessæ et in posterum concedendæ Procuratoribus de equitando, intelliguntur per Priorem Cartusiæ ad quem spectat concessio dictarum licentiarum ut patet in capitulo decimo Novorum Statutorum secundæ Partis; si Procurator hujusmodi est senex aut debilis vel si via est longa aut propter luta aut alia tam difficilis.... quæ omnia judicio sui Prioris relinquuntur arbitranda.

4. « Item ordinamus ut quotiescumque Visitator aut aliquis Prior aut alia persona Ordinis literas directas Capitulo generali aut Priori Cartusiæ aperuerit, vel ne ad effectum perveniant impedierit, de hujusmodi peccato et præsumptione absolvi non possit sine speciali licentia dicti Capituli generalis vel Domni Cartusiæ; et subditi caveant falsa scribere si pœnam in Statutis expressam voluerint evitare.

de Anniversariis rite scribendis;

5. « Illi etiam denuntiantes monachatus vel Anniversaria perpetua sæpe negligunt scribere diem obitus prædictorum in præjudicium eorum : quia ex prædicta negligentia uno

anno perdunt per omnes Domos Ordinis Anniversaria ; ordinamus ut prædicti annuntiantes, qui sic diem obitus non scribunt, solvant pro qualibet omissione prædicta sex Missas defunctorum pro dictis habentibus beneficia prædicta.

6. « Pro reformatione et applicatione ultimæ ordinationis factæ anno millesimo quater centesimo vigesimo quarto, quæ incipit « Ad tollendum scrupulum Religiosorum... » ordinamus quod mortuo Priore, excommunicato, suspenso vel interdicto... Vicarius in eadem Domo habeat autoritatem in spiritualibus quoad personas Ordinis in eadem Domo quam habebat Prior jure ordinario et ex Statutis, donec Prior a prædictis sententiis absolvatur vel novus instituatur.

de pitantia feriæ secundæ et quartæ ministranda.

7. « Exhortamur omnes et singulos Priores et Rectores ac Priorissas ut in ministratione pitantiarum feria secunda et quarta, ac in observantia abstinentiæ in feria sexta, solliciti sint de cætero discrete se habere ut non indifferenter relaxentur Statuta. Quod si Visitatores Domorum Ordinis nostri repererint Priores in prædictis fuisse negligentes, reforment excessus supercitatos diligenter et discrete, pensatis qualitatibus regionum et valetudine dictarum personarum ; nec in cœna aliquid detur nisi quod Statuta concedunt.

8. « Monemus omnes Priores necnon Rectores, Vicarios Monialium et Procuratores ut in causis suis agendo sive defendendo non sint faciles ad litigandum, sed se offerant stare judicio simpliciter et de plano jurisperitorum vel proborum amicorum ; quia Ordo in plerisque partibus de rigore diffamatur, et Domus amplioribus expensis gravantur, et personæ Ordinis nimis evagantur in scandalum ipsius Ordinis.

9. « Monemus omnes Priores necnon Rectores, Vicarios Monialium et Procuratores ut Domui Durbonis casualiter incendio combustæ, faciant ex charitate eleemosynam; quam præsentes in hoc Capitulo tradant Priori Vallisbonæ, absentes vero tradant Visitatoribus, anno futuro Capitulo generali apportandam. »

JESU CHRISTI

ANNUS 1429.

Martini PP. V	Ordin. Cartus.	Guillelmi III. Pr. Cart.
Ann. 12.	Ann. 346.	Ann. 9.

SCHISMA PENITUS EXTINCTUM.

I. FELIX affulsit annus quadringentesimus vigesimus nonus, Indictione septima, quo tandem reliquiæ diri schismatis, quod Ecclesiam Dei per unum et quinquaginta fere annos dilaceraverat, penitus extinctæ sunt, Ægidio Munione, Papa larvato, Pontificis ornamentis publice se exeunte, Alphonso Aragonum rege ejus fautore Martino vero Pontifici reconciliato, illiusque pseudocardinalibus fucatæ dignitatis insignia ponentibus. Quo audito, Dominicus a Bonafide, quondam nostri Ordinis solusque qui ex Cartusiensibus isto falso Papæ adhæserat, in vinculis jam per triennium detentus quod consilia una cum Joanne Carrerio de tertio Antipapa Munioni opponendo contulisset, e custodia tum emissus, obedientiam et debitam reverentiam in manibus Petri Fuxensis cardinalis, Martino Pontifici maximo juravit ac præstitit, titulumque pseudocardinalitium abdicavit. Rei seriem fusius sic enarrat sequens Instrumentum quod recitatur apud Bzovium : « In nomine Domini, Amen. Anno Nativitatis ejusdem 1429, Indictione VII, die vero Mercurii quæ fuit 24 mensis Augusti, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri, Domini Martini divina providentia Papæ V, anno XII, in castro Paniscolæ et in camera principali, coram Reverendissimo in Christo Patre et Domino Petro, divina miseratione tit. S. Stephani in Monte Cœlio, S. R. E. presbytero cardi-

Rayn. ad hunc ann. n. 1 et seqq.

Bzovius in Annal. T. 15, ad hunc ann. n. 46.

nali, inclytæ Domus de Fuxo, meque Notario et testibus infra adscriptis præsentibus, constitutus personaliter, honestus et religiosus vir, Fr. Dominicus de Bonafide, Ordinis Cartusiensis, inter illos olim Paniscolæ cum domino Ægidio Sancii Munionis in universali Ecclesia episcopo (olim in dicto loco Paniscolæ Clemente PP. VIII a suis nominato), tituli S. Petri ad vincula presbyter Cardinalis nuncupatus, sua spontanea et libera voluntate, suum debitum faciendo et reddendo, eidem Domino Cardinali Legato nomine prædicti Domini nostri Martini Papæ recipienti, veram obedientiam et fidelitatis juramentum præstitit, et nihilominus capello cardinalatus, honori et titulo prædictis, et omni juri sibi in eis seu ad illa quomodolibet competenti, pure, simpliciter et liberaliter in manibus præfati Domini Cardinalis expresse renunciavit ; quam quidem renunciationem seu resignationem dictus Dominus Cardinalis Legatus apostolicæ Sedis autoritate admisit, et ibidem dictum Fratrem Dominicum autoritate prædicta ad gremium S. Matris Ecclesiæ recepit, absolvitque ab omnibus et singulis sententiis, censuris, pœnis atque monitis contra Paniscolenses, per Sedem apostolicam et per dictum Dominum nostrum Martinum Papam latis et fulminatis, restituitque eumdem Fratrem Dominicum et reintegravit ad omnes honores ecclesiasticos, beneficia et dignitates in posterum assequenda, omnem infamiæ maculam et irregularitatis, et quamcumque aliam inhabilitationem propter præmissa incursas, autoritate prædicta penitus abolendo et tollendo : de quibus omnibus et singulis prædictis idem Dominus Cardinalis Legatus petiit sibi fieri unum vel plura, publicum seu publica, Instrumentum sive Instrumenta ad perpetuam rei memoriam, per me Notarium infra scriptum. Acta fuerunt hæc sub anno, Indictione, die, mense, loco et Pontificatu supradictis, præsentibus quamplurimis testibus fide dignis, ad hoc vocatis specialiter atque rogatis. » Posthac Dominicus a multis annis ab observatione claustri desuefactus, oblatam sibi in Ecclesia Dertusensi præposituram non recusavit, ibique extra Nos expiravit.

ANNUS
1429

Cardinalis Cartusiensis, Dominicus de Bonafide, Ecclesiæ reconciliatur.

ANNUS
1429

CARTUSIA FUNDATUR IN SCOTIA.

II. Hoc anno Cartusienses in Scotia nondum visos a Majori Cartusia Jacobus Polinus rex accersivit. Dum olim idem Princeps a patre suo Roberto in Franciam bonis moribus excolendis mitteretur, ab Anglis captus, non nisi octodecim post mortem ejus annis, grandique in redemptionis pretium numerata pecunia, in Scotiam rediit. Uxorem in Anglia duxerat, Joannam Comitis Somerseti filiam, quæ patruos habuit Henricum cardinalem Wintoniensem et Thomam comitem Exoniensem, ambos insignes nostri Ordinis benefactores. Inductus itaque tum præfatorum Principum et uxoris exemplo, tum suæ ipsius in Nostros voluntatis inclinatione, post adeptam sui regni quietam possessionem, unius cartusiæ in suburbio Perthano jecit fundamenta, ac Oswaldo de Cordis, natione Bavaro, tunc Majoris Cartusiæ professo et Vicario, novæ ex Gallia et Flandria collectæ Monachorum ac Conversorum coloniæ præfecto, tradidit. Scribunt autores Scoti Jacobum ex Anglia in Scotiam Oswaldum (unde falso eum Anglum, quidam etiam Scotum crediderunt) et alios Cartusienses secum adduxisse. Quod fieri non potest, cum apud omnes constet Jacobum in Scotiam rediisse anno 1424, vel etiam ante ut volunt scriptores Anglici, cartusiam vero hoc tantum præsenti anno fundatam esse, ut Dempsterus Scotus his verbis refert : « Perthanum monasterium antea nominatum, quod in Valle Virtuosa, ait charta fundationis, sive in villa S. Joannis D. Oswaldus a magno Priore dimissus, liberalitate regis Jacobi erexit, et primus Prior fuit, cui successit Adam de Hongalaside Scotus, qui in partibus transmarinis per magna tempora religiosissime in Ordine stetit; ait Scoti chronicon libro XVI, cap. XVIII. Annus fundationis rudibus his versiculis continetur :

Hector Boet. Histor. Scot. L. 17.

Dempst. Lib. I, Appar. de Relig. 416.

Annus millenus, vicenus, sicque novenus
Quadringentenus*, Scotis fert munera, plenus,
Semina florum, germina morum, mystica mella,
Cum tibi, Scotia, fit Carthusia sponsa novella.

* 1429.

Eumdem annum, ex eisdem versibus, Camerarius ascribit.

Non longe ab mœnibus urbis Perthi, quæ est Atholiæ regionis caput, sita fuit hæc cartusia, splendide ac luculenter a Fundatore dotata; cujus situm ab ultimo illius Priore in quodam codice sub hoc tenore descriptum legimus ut sequitur : « Cartusia Vallis-virtutis quondam in Scotia fundata et situata erat juxta oppidum vocatum Perth, alio nomine oppidum sancti Joannis, vulgo *Sanct Johnstoon,* ad occidentem meridionalem, stagnis oppidi interjacentibus. Et protendebatur dicta Domus cum pomerio, a via publica quæ ducit a ponte S. Leonardi in oppidum, ab aquilone usque ad agros dictæ Domus qui sunt subtus capellam sancti Leonardi a meridie, et a dictis stagnis oppidi et horto vocato Mersarsyard ac quodam agello sive horto dictæ Domus vocato Thetungyard, ad insulam sive pratum aut planitiem meridionalem dicti oppidi ab oriente, et ad agros dictæ Domus jacentes ad aquilonem dictæ capellæ, et agellum Momperni, et hortum communiter dictum Fleminsyard ab occidente. His terminis Domus ac hortus retro cellas cingebantur, et aggere ac fossa plena aquis aliquando. Fossæ autem ex omni parte erant Domus, præter in oriente versus oppidum. Ædificia nostro usui magis necessaria magnamque dotis sufficientis partem tam brevi tempore magnificus Fundator confici curavit, ut illius incorporatio anno sequenti per Chartam his verbis facta est : « Domum noviter fundatam ab inclyto Domino Rege Scotorum Ordini nostro incorporamus et unimus in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen; et eam Vallem-virtutis, secundum voluntatem regiam volumus nuncupari ac sub provincia Picardiæ remotioris inscribi ; præficientes ibidem Domnum Oswaldum Cordes, professum Domus Cartusiæ in Priorem primum dictæ Domus, regimen spirituale et temporale eidem Patri generaliter et specialiter committentes. Domunculam quoque carnium immediate ante Domum et ante villam (in platea puta de Cuto) sine consilio Conventus constructam in scandalum Ordinis nostri, visis præsentibus, deponi volumus ; et si quid de novo fiendum sit in ædificiis, fiat

ANNUS
1429

Da. Camer. Lib. 3, de Scot. pietate, cap. 3.

Camden in descrip. Scot.

Ex Arch. Major. Cartus.

Situs Domus describitur ;

Ex Charta 1430.

incorporatur.

ANNUS 1429

consilio Conventus, quousque Domus ad modum Ordinis construatur in plenum. Et quia F. Joannes in novitium Conversum est indutus in Domo Ligeti, et in statu tali per dispensationem Capituli Regi Scotiæ pro sua fundatione est accommodatus, ubi Ordinem suum discere non potest, cum non sint ibi Conversi, volumus et decernimus ut ad ipsam Domum Ligeti, suæ receptionis primæ vadat, et profiteatur de consensu illius Domus. »

Primi incolæ.

Præter hunc Conversum e Domo Ligeti assumptum ad hanc novam plantationem colendam et multiplicandam, missi fuerant Joannes Bruni, professus Vallis S. Mariæ, qui et paulo post ibidem obiit; Brictius Montgumry, natione Scotus, sed ejusdem Domus Vallis S. Mariæ filius; Petrus de Trajecto, Belga, et alii tum e Gallia, ut diximus, tum e Flandria et Picardia, illuc translati. Plures Scotorum omnis generis et conditionis, novis sanctisque novorum incolarum moribus permoti, nostrum Institutum statim amplexi sunt, ex quibus hos præsertim reperio : Laurentium Houktaltium, Cisterciensis Ordinis monachum; Patritium Rousselli, Brictium Wychium, Mauricium Barry, qui omnes ad Prioratum postea evecti sunt, et alios quorum nomina passim occurrunt in Chartis capitularibus.

FAUTORES DOMUS.

Buchan. Lib. 10, Rerum Scot.

Ex Charta 1466.

III. Hinc Principes ac Nobiles pietate erga Ordinem affecti, magnis ac multis beneficiis hanc teneram Cartusiensium stirpem fovere cœperunt. Jacobus Kenedy, S. Andreæ episcopus, in cujus diœcesi posita erat cartusia, sororis Jacobi Regis filius, vir magni nominis apud Scotos, fundationem avunculi non solum confirmavit, sed sua liberalitate multum auxit; quamobrem tricenario per totum Ordinem post mortem donatus est, per Chartam anni 1466, quo, circa Julium obiisse a quibusdam autoribus dicitur. Sed cum Capitulum generale eodem anno, mense Maio, celebratum sit, hinc colligimus tempus mortis ejus ad annum superiorem revocandum esse. Euphemia, altera fundatoris soror, Jacobi Duglasii comitis uxor, « magna benefactrix hujus Domus, et Ducissa Turoniæ ac Comitissa Douglas » vocatur

in Charta, ubi mortua designatur. Jacobus quoque, maritus ejus, titulo Ducis Turonum a Gallorum rege Carolo VII ob bellicam virtutem ornatus, precum Ordinis beneficia, sua in nostros beneficentia, post mortem promeruit. Sed ad Fundatorem redeamus quem scriptores uno calamo magnis evehunt laudibus, ac præsertim quod plurimas sciverit leges, quibus divinus cultus augebatur, Ecclesiæ libertas asserebatur, ac reipublicæ forma multo florentior reddebatur. Nihilominus dum sic sapienter et utiliter regnum moderatur ab ipsis sui sanguinis Principibus viginti octo plagis confossus, perfide trucidatur die 21 Februarii anni 1437. Cujus obitus anno sequenti cum pleno monachatu et Anniversario perpetuo sub eadem die denunciatus fuit. Ejus cadaver apud Cartusienses sepultum fuisse Boethius asserit. Eum velut Principem omni virtutum genere absolutum, ut alii Scriptores prædicant, nec ipsi Hæretici ullam in eo maculam reperiunt nisi « quod velut æstu quodam consuetudinis abreptus, non se potuerit abstinere, quominus Ordini Cartusiano cœnobium ædificaret et magnis proventibus locupletaret. » Atrox certe crimen, flamma ferroque in Nostros quandoque expiandum ! Joanna regina in mariti defensione, duobus vulneribus acceptis, quanto amore eum complecteretur ostendit, in cujus morte ulciscenda tantam adhibuit diligentiam, ut omnes conjurati, nihil prohibente regio genere, intra quadragesimum diem inauditis suppliciis, pœnas tanto scelere condignas luerint. Illa posthac Jacobo Stuarto Atholiæ principi nupsit, tandemque moriens, tumulo prioris sui conjugis apud cartusiam fuit honestata. Cujus obitus per totum Ordinem, anno 1446, his verbis promulgatus est : « Obiit serenissima Domina Joanna regina Scotiæ, fundatrix Domus Vallis-virtutum in Scotia, habens plenum monachatum sub die obitus sui qui fuit 10 Augusti. » Unde patet mortem ejus ad præcedentem annum referendam esse, licet ad sequentem ab autoribus rejiciatur.

Ex Charta 1470.

Leslæus, ubi supra.

Fundator misere perit.

Boeth. ubi supra.

Buchan. ubi supra.

Lesl. l. 8.

Boet. l. 18.

Jacobus præfatæ Joannæ et prioris illius mariti filius, sextum annum vix agens, regnum iniit. Major factus, Cartu-

Ejus filius Domus fundationem absolvit.

ANNUS 1429

Ex Chartis ann. 1404 et seqq.

sienses eadem qua pater benevolentia prosecutus, fundationem nondum perfectam absolvit. Nostros sæpe invisebat, et ad se venientes honorifice excipiebat, Visitatores maxime, quos a Capitulo generali missos Diffinitores admonebant ut, « attento illius permaximo ac ferventissimo affectu circa prosperum incrementum fundationis paternæ, ad regnum se transferant, Regique cum literis Capituli generalis se præsentent, et cum ipso seriose conferant de necessariis dictæ Domui incumbentibus. » Hinc merito post obitum nomen et beneficia fundatoribus debita per Chartam obtinuit sub die 3 Augusti. Non parvam ex illius morte jacturam Nostros fecisse ex eadem Charta discimus : « attenta, inquiunt

Ex Charta 1461.

Patres, morte serenissimi Domini Regis Scotiæ recolendæ memoriæ, qui multa bona Domui Vallis-virtutis faciebat ; et alias attento infortunio temporis in caristia et penuria bladorum, gratiose et pie præfatam Domum a persolutione restantium debitorum merito pro nunc supportata habere volumus. » Maria Ducis Gelriæ filia, ejus vidua, bien-

Ex Charta 1464.

nio post defuncta, velut benefactrix habita est. Jacobus hujus nominis III, et Margareta (quam Chartæ capitulares Catharinam nominant) Regis Daniæ filia, eodem ferme ac conjux tempore mortua, simul tricenario defunctorum a Nostris donati sunt. Jacobus IV, utriusque filius, cartusiam novam voluit erigere; de quo propterea et de illius successoribus alibi dicemus. Joanna fundatrix, ex altero marito plures habuit liberos, quorum unus nostræ cartusiæ benefactor, sub finem hujus sæculi inter mortuos his verbis denunciatur :

Ex Charta 1499.

« Illustrissimus dominus Jacobus, comes Boschannæ (Buchaniæ), filius Joannæ reginæ Scotiæ, fundatricis Domus Vallis-virtutis, etc. » Joannes dux Albaniæ ejusdem Joannæ et prioris illius mariti pronepos, inter Gallos et Scotos celeberrimus, adeo nostro Ordini affectus erat, ut per plures

Ex Chartis a 1519 ad 1524.

annos ad obitum usque, preces per totum Ordinem pro eo indicebantur.

Benefactores.

Quorumdam aliorum hujus Domus benefactorum Chartæ capitulares meminerunt, quorum hæc sunt nomina, sicut

ibi occurrunt : « Dominus Joannes Montgumry[a], et Mariota uxor ejus, parentes Domni Brictii Prioris Domus Scotiæ. Magister David Smith[b], et dominus Robertus Henreot. Honorandus dominus Joannes Rooss[c] habens Anniversarium perpetuum sub die 8 Decembris. R. P. ac Dom. David Bethon[d], presbyter Cardinalis S. Stephani in monte, archiepiscopus S. Andreæ et episcopus Mirepuensis, commendatarius perpetuus monasterii de Arbriot (Arbrothe), Primas Scotiæ et Legatus a latere ; » ab hæreticis occisus, a Dumpstero inter Martyres collocatur.

ANNUS 1429

[a] Ex Charta 1445.
[b] Ex Charta 1496.
[c] Ex Charta 1519.
[d] Ex Charta 1549.

HÆC DOMUS PROVINCIÆ GEBENNENSI SUBJICITUR.

IV. In incorporationis decreto vidimus nascentem hanc familiam secundum voluntatem regiam Provinciæ Picardiæ remotioris (quam modo Teutonicam dicimus) a Patribus subjectam fuisse, licet Anglorum Provinciæ potius addicenda videretur. Id vero a Rege expostulatum credo propter utriusque nationis antipathiam. Attamen mortuis fundatore et Oswaldo de Cordis protopriore illiusque successore Adamo de Hongalaside, Scoti Cartusienses, ad vitandam Anglorum invidiam, petierunt immediate subjici Provinciæ Gebennensi, quæ est prima totius Ordinis et matri Cartusiæ subdita provincia. Quod et ipsis per Chartam concessum est, suffecto prius in Adami locum novo Priore : « Domui Vallis-virtutis, orbatæ pastore per mortem D. Adam præficimus in Priorem D. Laurentium Houktault, monachum professum dictæ Domus, non obstante defectu quod prius in Ordine Cisterciensium fuerit professus, super quo defectu cum eo dispensamus; et dictam Domum ad instantiam Vicarii et Conventus a provincia Picardiæ remotioris eximimus, et provinciæ Gebennensi incorporamus, et sub speciali cura R. P. Cartusiæ ponimus. » Huktaltius, spretis Cartusiensium usibus, cum vellet pristini Ordinis mores quibus assuetus erat inducere, Prioratu anno sequenti dejectus, posthac in cella perfecti solitarii virtutibus sensim imbutus, post triginta annos pie decessit. In ejus locum a Patribus subrogatus Patritius Rousselli, tunc ibidem Vicarius; paucis post mensibus abdicat se per literas apud Priorem Cartusiæ.

Ex Charta 1442.

Ex Charta 1443.

Ex Charta 1473.

ANNUS 1429

Ex Charta 1444.

In Galliis inter Nos tunc florebat vir magnæ prudentiæ Michael Virey, ab annis fere triginta, in primis regni Domibus Prior, ac provinciarum Aquitaniæ, Provinciæ et Franciæ Visitator ordinarius, cujus industria ad difficiliora Ordinis negotia extricanda Patres uti solebant. Hunc igitur Prior Cartusiæ Scotis præficiendum censuit, at ille repentino ictus morbo, quo etiam postea defunctus est, accedere non valuit. His Priorum mutationibus, et ex defectu Visitationum status spiritualis sensim tabescere visus est, quamobrem Brictius Montgumerius ab orbatis monachis interim in Pastorem assumptus, a Patribus « seriose admonetur, ut loquuntur in Charta, ut pro zelo Ordinis et observantia Statutorum observantias regulares a Monachis et Conversis Domus suæ servare faciat, nullum de subditis in contrarium palpando, salvis infirmis et quibus de Statuto subvenitur : et renuentes aut contemnentes Ordinem servare, legitime et sine timore aliquo puniendo. » Satis prospere regimen Brictius orsus est : qui ad primos suos conatus firmandos augendosque Visitationem a pluribus annis intermissam ordinari petiit. Difficillime, tum propter magnum locorum intervallum, tum maxime propter furentia per totam Galliam bella e Provincia Gebennensi Legati mitti poterant, qui tanto munere fungerentur. Quamobrem Diffinitores, laudato novi Prioris zelo, Theodorum Terlinckium et Jacobum Rubsium, Antwerpiensis et Gandavensis Domorum Priores, ordinariosque Picardiæ remotioris Visitatores, velut speciales ac extraordinarios commissarios delegant, quibus « reformationem, inquiunt, et ejus conservationem ac bonam in futurum dispositionem committimus pro ista vice duntaxat : dantes eisdem et cuilibet ipsorum in solidum super præmissis, plenam Capituli generalis autoritatem. » Sed nullo eorum post longam expectationem non apparente, aut quominus in regnum accederet impedito, turbatur Conventus Scotorum, Prior seipsum abdicat, quidam Brictius cognomine Wychius, nescio qua fultus autoritate regimen sibi usurpat. His per literas a Montgumerio abdicationem suam confirmari enixe

Ex Charta 1445.

Brictius de Montgomery Prior assumitur.

Ex Charta 1446.

rogante, ad Capitulum generale relatis, petitioni ejus annuitur. Wichio loco inique occupato, cum dedecore dejecto, Mauricius Barry ex Vicario Prior nominatur, tandemque Visitator e partibus Cartusiæ, juxta Scotorum desiderium delegatur, cujus adhortationibus pax reddita est disciplinaque regularis ut prius reflorescere cœpit, sed de his alibi. ANNUS 1429

Mauritio quinquennio post Prioratum cedenti successit Martinus Grootheerius, vir sanctus cartusiæ Gandavensis professus, cujus exemplis piisque admonitionibus Scoti magnos in Cartusiana observantia processus fecere. Jam per quatuordecim annos Vallis-virtutis Domus cum aliis Provinciæ Gebennensis copulata erat, cum Patres solum Deum ob oculos habentes, et ut commodius utrique illius statui provideretur, explorato Monachorum animo, quem non ita ab Anglorum moderamine alienum experti sunt, eam a præfata provincia « separatam, Anglicæ incorporarunt, annexerunt et unierunt ; præcipientes ut amodo in agibilibus ad Visitatorem principalem provinciæ Angliæ (Thomam Medley) tam Prior quam cætera supposita ejusdem habeant recurrere, et literas pro futuro Capitulo eidem transmittere. Qui Visitator Angliæ per ordinationem sibi factam, dictam Domum in forma Ordinis visitabit. » Accepto hujusmodi mandato, Medleyus ad Vallem-virtutis accessit; sed clandestino, ut suspicor, Jacobi Bayni Prioris, qui mortuo Grootherio successerat, consilio a Visitatione prohibitus recessit. Anno sequenti ad comitia Ordinis generalia pergens, et inter Diffinitores assumptus, rei veritatem detexit. Bayno statim absoluto, « electio futura Conventui remittitur, quam idem Medleyus, si canonica fuerit, habeat confirmare, aut alias, autoritate Capituli generalis, de Priore idoneo providere. Et interim, D. Simon Farly, monachus dictæ Domus habeat occupationem temporalitatis quoadusque dictus Visitator veniat, in actu Visitationis fidelem computum de dicta occupatione ei facturus.... et solvat ei expensas quas fecit, et damna quæ sustinuit veniendo primo ad Visitationem Domus suæ, quæ certis impedimentis pro tunc effectum non habuit ; et etiam

Ei succedit Mart. Grootheer.

Ex Charta 1456.

Ex Charta 1457.

ANNUS 1429

expensas quas facturus erit in futura Visitatione. » Præfatus Farly unanimiter a Conventu electus, ab eodem Patre Visitatore et tandem a Capitulo generali confirmatus, annis octo et amplius cum magno utriusque status profectu gubernavit. Vetare nihilominus non potuit quominus Rex spiritualium etiam negotiorum nimium se implicaret, ita ut « ad ejus requestam, » ut loquuntur Acta capitularia, hæc Domus ab Anglorum regimine avulsa, « ad Gebennensem provinciam reduci » et ejus Visitatoribus per 27 annos, sub regimine Priorum Andreæ Talezefer Farlii successoris, Patritii Russelli secundo ad clavum vocati et Joannis David, iterum subjici debuerit ; licet aliquando ex speciali mandato ab Anglis Patribus visitata fuerit, et maxime anno præsentis sæculi septuagesimo octavo, quo « injungitur Priori Domus Shene (Joanni Ingelbio, Visitatori Angliæ et in Comitiis ejusdem anni Diffinitori) quatenus cum Domno Laurentio Bureti, professo et Procuratore Domus Cartusiæ, Vallem-virtutis habeant visitare. » Ambo itaque simul iter aggressi in Scotiam transfretant. « Et Domum bene provisam, ut in sua charta loquuntur, invenerunt cum Joanne David Priore et quatuordecim Monachis, uno novitio et duobus Conversis ; et habentem in reditibus annuis de moneta Scotiæ 407 libras et tres solidos. » Posthac bis tertiove utrique Provinciæ alternatim adjuncta, anno denique sequentis sæculi trigesimo secundo Anglis Visitatoribus mille negotiis ob exasperatum in monachos Regis animum irretitis, Gebennensi Provinciæ restituta est et ad eversionem suam usque perseveravit. . . . . *Cætera desiderantur.*

Ex Charta 1458.

Ex Charta 1460.

Ex Charta 1478 et codice ms. Maj. Cartus.

Ex Chartis 1487, 1494, 1507 et 1532.

EXPLICIT VOLUMEN SEPTIMUM.

INDEX

INDEX

ANNALES ORDINIS CARTUSIENSIS

SECULUM QUARTUM

(prosequitur)

Jesu Christi annus 1396.

I. Preces ab utraque obedientia indictæ; pro pace Ecclesiæ pro bellantibus contra Turcas, et pro iis qui captivi a Paganis detinebantur. — II. Henricus Calkar B. V. Mariæ cultor piissimus; psalterii B. Mariæ Virginis propagator eximius. — III. De quodam Fratre cui B. Maria apparuit et quem confortavit. — IV. Bonifacius Ferrerius fit Cartusianus; natus in urbe Valentia; jurisprudentiæ dat operam; uxorem ducit; mundo valedicit; domui suæ disponit; Cartusiensem habitum induit; sacerdotio initiatur; omnibus omnium virtutum fit exemplar; lector Statutorum assiduus; Procurator instituitur. — V. Domnus Lupus Martinez moritur; Visitator Ordinis celeberrimus; Rex Aragoniæ moritur. — VI. Marci Parutæ insignis benefactoris obitus; vocabatur Pater Ordinis; Domus de Montello fautor eximius; pie moritur suis stipatus Cartusianis. — VII. Ecclesia Domus de Montello consecratur. — VIII. Papiensis cartusia fundatur; fundationis tabulæ; Domus sub titulo B. Mariæ de Gratia; dos assignatur pro victu et vestiariis Monachorum et fabricatione monasterii; primus lapis novæ Domus ponitur; fundator precibus Ordinis commendatur; omnium Domorum Ordinis pulchrior Domus Papiensis; quid de tali magnificentia sentiat Ordo noster; benefactores Domus. — IX. Fundatio Domus Ordinis apud Gothos; sed in vanum, ut videtur. — X. Cartusia prope Francofurtum ad Oderam inchoatur; incorporationis decretum; fundatores Domus et benefactores. — XI. Initia cartusiæ de Oyron prope Thouars; perpetuis oppressa calamitatibus; tandem ab Ordine derelicta.

Annus 1397.

Annus 1398.

Annus 1399.

Annus 1400.

Annus 1405.

Annus 1406.

Annus 1407.

Annus 1408.

Annus 1409.

Annus 1410.

Annus 1411.

Annus 1412.

Annus 1413.

Annus 1414.

Annus 1415.

Annus 1416.

Annus 1417.

Annus 1418.

Annus 1419.

Annus 1420.

Annus 1421.

Annus 1422.

Annus 1423.

Annus 1424.

Annus 1425.

Annus 1426.

Annus 1427.

Annus 1428.

Annus 1429.



Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Monstrolij.
Ern. Duquat typographus.